

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

BAC 1146  
327

3.76

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)


[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

HYGINVS  
et  
**POLYBIUS**  
De Castris Romanorum



AMSTELODAMI,  
Apud IUDOCUM PLUYMER Bibliopolam  
M DC LX.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

HYGINI GROMATICI,  
ET  
POLYBII  
MEGALOPOLITANI,  
DE  
CASTRIS ROMANIS,

Quæ exstant.

Cum notis & animadversionibus, quibus accedunt dissertationes  
aliquot de re eadem militari populi Romani,

R. H. S.



AMSTELODAMI,

Apud IUDOCUM PLUYMER Bibliopolam, propter Curiam, sub signo Senecæ.

M D C L X.

*Ex lib. Dr. Carl. Ruygen*

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

PROLEGOMENA  
DE  
CASTRIS  
HYGINI & POLYBII.



Opulum Romanum illum  
veterem , liberum & gen-  
tium domitorem , armorum  
peritiâ multùm populis præ-  
stítisse omnibus & bellandi  
quadam arte, non tantùm  
bello nationes vicisse, neque  
dubium & apud omnes pri-  
dem in confessò est paulò  
modò humaniores: tot enim, tam egregia, tam præ-  
clara & pœnè divina militiæ instituta utramque in hi-  
storia Romana paginam faciunt, & à veteribus no-  
visque celebrantur ingeniis, ut in omnium gentium  
Annalibus nihil inveniatur, quod cum his possit ulla  
parte componi: Sed cum tam multa passim occurrant  
omni laude digna, ac aliud alii ad cœlum tollant, qua  
parte maximè valuerit Romanus , quaque se ipsum  
vicerit ac supergressus sit, difficilè id quidem dictu est.

a

Huic

## *Prolegomena de Castris*

Huic morosus ille virorum delectus unicum libertatis publicæ & disciplinæ militaris fundamentum videtur: ille legionem & ordinem ejus rationemque promotionis non humano, sed divino consilio institutam exclamat: miratur aliis assiduam & indefessam meditationem armorum & ludum militarem nihil à vero prælio diversum, nisi quod incruentus: alias armorum genus in omnem belli usum unicè aptum & adeò habile, ut membrorum instar corpori putes innatum. Quid dicam modum agminis ducendi, acieū instruendæ, castra metandi, illa quæ & in toto genere tot habent laudabilia & in singulis partibus? quid præmia neque gravia reipublicæ & ad virtutem excitandam potentissima? quid pœnarum inexorabiles leges? Quæ omnia (longum enim sit singula enumerare) quo minus absunt à perfectione, eò magis dubium faciunt & incertum, quid maximè sit perfectum, cui primas, cui secundas oporteat deferre. Sunt tamen ex veteribus illustres quidam viri ac magni nominis homines, qui præ cæteris Romanorum militaribus institutis, castra eorumque rationem & disciplinam summis ferant laudibus. Polybius ille tanti & tam prudentis scripтор judicii, ille & Græcæ militiæ intelligentissimus & Romanæ, artes omnes in contubernio Scipionis sui edoctus, cum delectum, arma, præmia, pœnas, cæteraque populi Romani instituta militaria mandaverit literis: tamen castrorum descriptiōni sese accingens,

## Hygini & Polybii.

gens, rem pulchram, præclaram & omnium cognitione dignissimam sese traditurum præfatur: ac hanc partem haud paulo diligentius, pleniusque quam reliquas exsequitur. Non aliud fuit acerrimorum hostium judicium. Philippus rex Macedoniæ, is qui cum Romanis bellum gerit, *subjecta cernens castra & universam speciem & descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum intervallis*, adeò admiratus fertur, ut extorta ei vox sit, qua ab homine Græco, id est, superbo & omnium nationum mores legesque præ suis contemnenti nulla nec verior nec præclarior in laudem potuerit expectari: *Barbarorum illum ordinem minimè barbarum esse.* Hoc enim est pulcherrimum esse dignum Græcorum elegantiâ & pœnè invidiâ. Idem dictum Pyrrho Epirotarum Regi adscribit Plutarchus. Ille itaque ( si huic fides ) tantus Imperator, qui hac ipsâ solertiâ castrorum ponendorum singularem commeritus est gloriam, qui ipsos Romanos exemplo ordinationis suæ instruxit, invenit tamen jam tum in castris eorum, quod ipse quoque suspiceret & admiraretur. Ac erant profecto cum in universâ disciplinâ, tum in compositione castrorum singularia non pauca, remota ab communis usu & more nationum, & ut ita dixerim ἀρχόντες Romana, quæ etiam veteres bellandi & longo usu callidos Duces in stuporem dabant. Nam inter populos bellica laude nobiles, quidam animalium ferociâ quam arte bellari, aut si quid hic

## *Prolegomena de Castris*

esset scientiæ à veris, non ab commentitiis periculis, è medio hoste, non è ludo censebant peti debere. Alii arti plusculum tribuentes, hanc tamen omnem solâ armorum meditatione & ludicrâ pugnæ quadam imagine finiebant : Laborem autem & opera illa gravia & aspera, adeo inpace non præmeditabantur, ut eo iniqua bellorum conditio videretur, quod urgente necessitate & hoste instantे interdum subeunda essent & concoquenda : aliam rationem sequebatur Romanus. Non solum assiduâ campi meditatione, sed etiam operum, munerumque labore in pace militiam docebat, discebatque : incedere composto agmine juxta ac si hostis adesset, militem super arma ferramentis & copiis onerare, capere idoneum castris locum, eumque subinde mutare, describere partes singulas & dimetiri, suum cuique locum adsignare, fossam percutere, figere vallum, stationibus, vigiliis, omni militari custodiâ firmare cæterisque muneribus, quæ in ipso rerum actu usui sunt, ut justis militaribus in castris militem erudire. In bello enim ubi peccato locus non est, non bene in ipsis periculis tirocinium ponî, & sicuti novus & intraetatus equus insidenti inutilis sæpe & periculosus: ita & militem rudem & inexercitatum suis quam hostibus formidolosiorum. Non sufficere belli laboribus, nisi qui quotidianâ meditatione sibi eos emollivisset, non munera militaria nisi assiduo usu fami-

## *Hygini & Polybii.*

familiaria quenquam rectè obire , cum accessisset ex  
hoste timor , qui etiam peritos sæpe turbat & exer-  
citos. Ad hoc non tam metu hostili quam lege &  
disciplina dura illa & ardua volebant suscipi. Quid ?  
quod ne arma quidem credebant manibus , nisi ope-  
re castrorum ad virtutem duratis ? quod nihil in acie  
boni sperabant de milite , nisi quem invicta laboris to-  
lerantia approbavisset? Erat enim hæc illorum senten-  
tia , cùm ad disciplinam & universum bellum confi-  
ciendum multum , tum etiam ad virtutem non parum  
conferre laboris patientiam : imò hanc pœnè pluris  
fecerunt , quam illam ipsam , quâ solâ alii bella geri cre-  
debant , ferociam : hac enim in omni actu belli usum  
esse , cum illa in solis præliis valeat , ab hac facile  
ad contentionem periculorum milites træduci : at  
illos feroculos laborem sæpe pañum fortiter sustinere.  
Hinc magni quidam Imperatores in delectu , non ge-  
nus , non mores , non fortunam , argumenta magni-  
tudinis animi spectasse leguntur ; sed robur , vires ,  
lacertos , ut operis instrumenta , quasi animos ipsi  
adjecturi. *Da mihi grandes , ego eos fortes reddam:* dixit  
delectori suo rex ille , cuius paulò antè mentionem  
feci , Romanorum aliquando hostis , sed Romanâ in-  
dole animi & ingenii. Ex his alia & hæc quoq; peculia-  
ris laus Romanorum ; divina in præliis ineundis provi-  
dentia. Quamvis enim hoc genere in primis excellerent  
& ut martii ingenii homines pugnandi ferè arderent

## *Prolegomena de Castris*

cupiditate: illam tamen cupiditatem, illum animorum armorumque ardorem suorum non minori prudētia temperaverunt, raro admodum nec nisi inviti in hostem ducentes, nisi castris communitis justoque præsidio firmatis. Possem memorare, ubi egregii Duxes & celebres Imperatores deesse occasionibus suis & præbentem se fortunam ex manibus dimittere maluerunt, quām opere nondum perfecto suos & exercitus fortunas paululum in dubium devocare. Evidem, si superveniens necopinatō hostis aut belli quædam necessitas protinus de via in pugnam traheret, non illi erant Romani qui campo turpiter cederent, aut fuga salutem quererent: instruebant agmen, non detrectabant certamen, sed ne tum quidem castrorum immemores: primā, vel & primā & secundā acie contra hostem stante, tertiam opus facere jubebant: imò in ipso interdum pugnæ fervore manus aliquot subsidiis detractas applicabant munitioni: non enim virtuti quantumvis probatae & exercitiae tantum arrogandum putabant, ut casuum humorum obliviscerentur. Quicquid possint usus & experientia armorum, quicquid fama multis victoriis parta, quicquid providentia ducis & ars instruendi, (posse quidem haud dubiè multum) fortunam tamen de acie, hoc est, de regno suo, nunquam totam dejici: in illa permixtione & rerum confusione suam semper partem sibi vindicare, sæpe & omnia quasi suo jure.

## *Hygini & Polybii.*

jure. Castra censebant esse, quæ in illo martio campo, communi marti intercederent, quæ circumscriberent quantum humanitus liceret, hanc vim & potestatem, quæ nisi integrum & solidam victoriam darent, hoc certè quod in bello proximum est præstarent ne vincerentur. Lubet de hac Romanorum prudentia audire Imperatorem Romanum ingentem virum & antiquæ disciplinæ unum servantissimum, Paulum Æmilius intelligo, qui cum bello Macedonio, oblata rei bene gerendæ, ut videbatur, opportunitate, cum Perseo manum inire distulisset, eâ de causâ præcipue, quòd castra nondum essent posita, ac ideo apud plebem castrorum & ferocissimos primorum malè audiret prudentiæque quasi criminis istorum vocibus reus ageretur; sevocatos principes juventutis rationem consilii sui docuit, ac ibi inter extera ita legitur locutus: *Majores vestri castra munita, portum ad omnes casus exercitus ducebant, unde ad pugnam exirent, quo jaœta tempestate pugnæ receptum haberent, ideo quum munimentis ea sepsissent, præsidio quoque valido firmabant, quod qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium: quam multi exercitus, quibus minus prospera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo interdum momento post eruptione factâ, victorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris hæc sedes, vallum pro maximis & tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt.*

Ergo

## *Prolegomena de Castris*

Ergo nullo loco, nullo tempore, in nullum belli casum, castra exercitui deesse volebant. Erant hæc in pacato disciplinæ sedes & schola omnium rerum in usu militari positarum: in hostico salus & tutela, si rem ad manus ducere placeret: hinc tamen instare, urgere, capere tempora & loca idonea & bellum quodam genere ad pedem ducere. At si trahere ratio rerum postularet, tunc omnia in castris posita ducebant. Hic securi agitabant inter media pericula, hic omnis tumultus & insultus hostiles velut ex sanctiore arce despicabantur: cuius rei cùm alii Imperatores populi Romani, tum ille imprimis & re & nomine maximus illustre dedit documentum, qui prolapsam ac pœnè perditam Ducum temeritate rempublicam cunctando restituit, & illum omnium ad id locorum hostium suorum triumphatorem castris in ordinem cogendo, fortunam bono Imperatori non tanti momenti esse, mentem rationemque ostendit dominari. Cum enim unum ad victoriam iter per causas præliorum incertos tritum esset, tutius certiusque munivit aliud, docuitque (quod deinde de Romanis proverbio increbuit, adeo eorum proprium habebatur) *sedendo vincere*. Jam hoc quoque peculiare Romanæ disciplinæ: eadem semper & ubique formâ castrorum, eadem metatione utebantur: quippe Græci cæteræque nationes simul securitati consulentes & fugientes duritiam operum, sectabantur loca

## *Hygini & Polybii.*

ca munita , horum ingenio castrā accommodabant sua ,  
non admodum de forma exteriori aut compositione  
interiori solliciti , dum in tuto metarentur : longa  
an lata , rotunda an semirotunda , rectis an obliquis  
angulis constituerentur , quo quisque loco , quibus  
ordinibus consideret parūm referre rati , dummodò  
omne ab hoste periculum loci natura averteret . At  
Romani quamvis in locis solerter capiendis nihil in-  
termitterent , non tantū idonea , sed talia quibus  
alia non darentur meliora eligentes : attamen in situ  
inaccesso tantum non posuerunt , quantum in certa  
ratione & compositione castrorum . Quare si mon-  
tium colliumque natura non essent accommoda , in-  
solentia & iniqua loca devitare satis habentes castra  
in plano sola arte muniebant : idque non levibus de  
causis . Cum enim aliis alibi terrarum situs , nec ubi-  
que locorum beneficium occurreret , victoriæ autem  
studenti , non juga montium , sed hostis esset sequen-  
dus , ita instituerunt militem , ut securitatem suam non  
tam in loci natura , quām in manibus & arte reponeret .  
Loca magis subjēcerunt sibi , quām se locis : dabat &  
hoc solemnis & perpetua hæc compositionis ratio , ut  
nullo negotio castra ponerent , ut facilè posita tueren-  
tur , ut semper apta , composita & ordinata essent . In-  
gressus enim in castra miles non secus ac si patrias ad se-  
des , suamque in urbem pervenisset , omnia cognita ha-  
bebat statim & perspecta . Non illum fugiebat quā par-  
b te ,

## *Prolegomena de Castris*

te, quā strigā, quo tabernaculo tenderet, non quem locum in tumultu tueretur, quo auxilio accurreret, quo in hostem educeretur: nullum erat periculum, ut in alium alias incurreret, aut ut aliarum partium propugnatione aliæ omitterentur, quod solet evenire in castris, quorum forma subinde mutatur, nullus turbæ locus, nullus confusio: Sed uti in cœlo sidera & ille exercitus, ut ita appellem, cœlestis, sic hic omnia certo, ordinatoque cursu incedebant & movebantur, nihil turbata totorum castrorum ratione. Quamobrem hæc castrorum facies non tantum locorum naturæ non cessit, sed velut lex quædam perpetua & immutabilis per multa sœcula apud Romanos custodita fuit & sanctè observata. Quamvis ut in cæteris artibus, sic in hac quoque haud dubiè usus & meditatio prudentium quædam docuerit quibus paulatim ad perfectionem est perventum: quamvis alias legionum numerus alia castra ex parte fecerit & in primis rei militaris mutatione aliquid quoque mutationis invexerit: ratio tamen & modus mansit idem, mansit voluntatis & generis quædam similitudo, & ita à more majorum recessum est, ut tamen in his novis castris, illa prisca facile agnosceres. Eadem castrorum utrorumque forma, eadem viarum directio, idem locus Prætorii, Quæstorii, Tribunorum, Legatorum, cæterorumque principum, eadem portæ, eadem munitio, adeo ut hæc omnia prisca etiam

## *Hygini & Polybii.*

etiam tunc vocabula retinuerint , cum causæ vocabu-  
lorum jam pridem disiissent. Tantò in disciplinâ mi-  
litiæ , quām domi conservandæ constitutiones fue-  
runt. Hac enim non semel transfigurata illa sui simi-  
lis mansit : Ac sanctitas hæc & constantia eò lauda-  
biliar est in Romanis , quòd qui aliarum gentium  
instituta promptissimè adsumerent & avidè perse-  
querentur , iidem diversa virtute semel adsumta con-  
stantissimè tuerentur & pænè consecrarent disciplinæ  
quadam perpetuitate & religione. Hoc autem  
isto consequebantur tenore , ut omnia militaria mu-  
nera militibus nota essent , ut durissima quæque mi-  
lius acciperentur & tanquam non ab importuna du-  
cum severitate , sed ab antiquæ disciplinæ rigore pro-  
fecta , minus invidiæ , plus autoritatis haberent. Im-  
perabantur gravia militi & pænè injusta , sed minus  
gravia erant , quia consueta : hac lege scribebatur ,  
hac in bella ibat miles , hæc animo jam ante omnia  
præceperat priusquam subiret. Ita dum pulchra o-  
mnia & præclara , tanquam sua arripiunt , nec quic-  
quam alienum putant quod usu salubre , dum non mi-  
norem in tuendâ quām comparandâ disciplina po-  
nunt virtutem , militiam ad summum perduxerunt ,  
eaque effecerunt rei militaris facinora , quæ omnes  
deinceps stupuerunt nationes , nullæ adsecutæ sunt.  
Putet fortassis aliquis , certam compositionem insidiis  
patere & non immerito putet , siquidem parum or-

## *Prolegomena de Castris*

dinatæ vescæ aut temerariæ partes quædam fuissent,  
sed quum omnia munimentis, vigiliis, stationibus,  
præsidiis firmata cum aptissimo ordine disposita, quid  
tandem habent quod insidias timeat? quid quod non  
bene cognitum suum inferat terrorem aggressuris?  
quid enim pulchrius, quid perfectius, quid omnibus  
numeris absolutius? nimium dico: quid simile aut se-  
cundum ulla unquam in militia fuit? si qua enim pars  
alia, hæc peculiaris certè & propria Romanorum est;  
non hic subtilitatis tamen aut reconditæ artis tantum,  
quantum prudentiæ militaris agrimensoriæ inest,  
quantum quotidianus & facilis usus recipit, perticâ  
militari ita metationem dispensante, ut pateat area in  
usum describentis, ut nihil pereat loci, omnesque par-  
tes aptæ sint & ordinatæ. Aspice speciem castrorum  
universam, quadrata vel quadra oblonga est, sim-  
plici & haud longa munitione, quæ tot hominum  
distributa manibus haud adeò multum operis præ-  
beat & opinione celerius perficiatur: nam sinus  
& circuitiones urbium munitarum firmamenta nec  
celeritas munitionis admittat: nec propter multitu-  
dinem copiæ militaris & propugnatorum admodum  
requiras. Portas & angulos tantum propugnaculis  
præmuniunt turribusque & tormentis crebris in-  
struunt vallum. Fossa & vallum, quæ neque incur-  
su transiliri possint & impetum quemvis facile elu-  
dant quotidianam metationem satis tutantur. Adsi-  
det

## *Hygini & Polybii.*

det enim ab omni parte miles ad vallum spectans  
propugnandis, si qua vis ingruat tuendisque muni-  
mentis: nec deest spacium, quo submitti subsidium  
ac instrui major copia possit. Jam quatuor portæ &  
ad eas ducentes grandiores viæ media fecant castra,  
quo neque multitudine portarum infirmetur muni-  
tio & ab omni parte educi & eruptione pugnare  
commode queant. Sedet inter has medias Impera-  
tor à nullâ parte remotus & undique prospiciens, tu-  
tissimo, aptissimo & quodammodo nato imperiis loco.  
Sedet inter aras, altaria, cultus & imagines divinas,  
velut in templo augustissimæ religionis, ubi & sancti-  
tas loci & circumstantia undique numina majestate  
eum & horrore circumdent suo; simul in omni cæpto  
aurem ei vellant & admoneant non prius hominum  
quam deorum meminisse. Proxime hæc habentur ju-  
dicia castræ, hic dantur imperia, hic indicuntur  
munera, hic pleraque magni momenti geruntur in o-  
culis & deorum & Imperatoris. Hic principes ca-  
strorum, legati, tribuni, primorum ordinum centu-  
riones, concilium Duci & autoritas, & ad danda per  
exercitum imperia ministerium: hic copiarum dignis-  
simæ & honestissimæ, primæ equitum turmæ, cohore-  
tes primæ legionum, socrorumque, & posteriori ævo  
cohortes Prætoriæ & equites Prætoriani: Præterea  
comites Imperatoris, Primipilares evocati, velut  
altera quædam cohors Prætoria ex centurionibus,

## *Prolegomena de Castris*

veteranis & emeritis composita , selecta quædam manus duci , quæ nisi jussa à latere ejus non abscedat in castris decus , in acie præsidium . Eques tam novâ quam veteri militiâ medium tenet locum , pedite utrimeque latera tegente contra quam in acie fit ; nullus enim aut exiguus admodum in castris usus ejus , non ad tuendam aptus munitionem , non ad propugnandum , non ad concurrendum , nisi è carcere illo in suum & liberiorem campum emitatur . Nolo te hic per longa exordia tenere aut per singulas ducere partes . Intuere tantum universam metationis rationem , illum pulchrum compositionis modum , illum aptum ordinem , illa dimensa itinerum intervalla , illam strigarum compositam directionem ; illam tot millium in tantulo pede laxam tensionem , illam providam cautamque adversus omnes belli causis dispositionem , nihil non præclarum , nihil non egregi è admirabile invenies , quo enim oculos cunque convertes , ordo , ratio , disciplina , sanctitas , religio obversabuntur , ut Romani castra toties ponentes moventesque sua : non alia , sed eadem castra : immò non castra , sed urbem bene moratam & compositam & munitam secum portasse , inque eà prudentiam & sapientiam suam & invictæ & æternæ urbis majestatem descriptam , vivisque depictam coloribus , omnibus populis & nationibus , cum quibus bella gesserunt , ostentasse videantur . Noli enim putare , solam

## *Hygini & Polybii.*

solam hanc exteriorem formam & ordinationem mirabilem: Pulchra illa quidem & laudabilis: pulcherrima tamen ejus pars in tabula non depingitur, nec aliis quam mentis oculis spectatur. Hæc in sanctitate disciplinæ, in severitate institutorum ( Fabii verba sunt ) in amore quodam laboris & quotidianâ exercitatione & assidua belli meditatione consistit. Hæc principes terrarum fecit Romanos & supra omnia mortalia evexit ad summum illud rerum culmen. Hæc vera castrorum forma, vera facies est; nam speciem quidem externam monstrata semel vera ratione fingere atque adeò inventis priorum de suo aliquid addere haud adeò magnum est. Illa interna & viva species velut anima huic corpori adjudicata mirabilia demum effecit castra: hanc ea secuta est fortuna ( si est ea fortuna ) ut inter tot secuta, quæ continentibus bellis dicam, an uno contra omnes nationes bello contriverunt ab tam variis hostium generibus, quorum hi missili telo pugnaces, alii manuari, alii equite pollebant, alii pedite, alii impletu, alii perseverantiâ, alii propiori pugna, alii eminus metuendi: contra omnium gentium arma & virtutem castra Romana invicta steterint, & tanquam rupestres adversus fluctus maritimòs inconcussa: vix enim ac ne vix quidem legas Romanas legiones acie abstinentes sedibusque se continentes & munimentis per vim exutas fuisse, parvæ quinimo & disjectæ manus  
con-

## *Prolegomena de Castris*

contra immanem vim hostium satis plerunque in iis  
habuerunt præsidii : validissimos impetus refutave-  
[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)  
runt & dum non superabantur , sæpius superaverunt.  
Hæc est illa pars militiæ Romanæ , quæ si qua alia  
( sunt autem quam plurimæ ) omnibus nationibus ve-  
luti perfectissimum exemplar , ab imitandum propo-  
sita ac omnium confessione , qui aliquid hic intelligunt ,  
his armis & hoc ævo etiam salutaris. Dele-  
ctus ille acerbus , illa lex militandi inexorabilis pau-  
carum gentium sunt nec horum utique temporum.  
Machinas & tormenta Romanorum horrenda novi  
martis fulmina difflaverunt pridem & disjecerunt.  
Cesserunt castris nec credere fese audent , ubi tam  
malè fuerunt accepta. Arma veterum an hodie sint  
resumenda non absque causa aut specie addubitant  
multi , propter vim bombardarum & igneorum glan-  
dium vehementiam. At quotidianam munitionem  
illam , ordinatam compositionis rationem & reliquam  
castrorum disciplinam antiquorum , quid tandem est  
quod rejiciat præter imperitiam , dicam , an com-  
munem omnium velut ex composito ignaviam ? E-  
tenim cum telis nostris , non thorax ullus , non scu-  
tum resistat , cum & ligna & ferrum , quæ quidem  
tractari manibus & portari possunt musquetorum  
impetu transverberentur , quo recurrentum est , ni-  
si ad dolabram & priscum hoc militare sepimentum ,  
fossam cum terreo aggere , quo etiam majora illa &  
quaf-

## *Hygini & Polybii.*

quassatoria tormenta tam facile eluduntur? nemo  
hoc hodie ignorat: reiecta pridem sunt lapidea, ple-  
raque & lignea munimenta & omne munitionis in-  
genium intra hos terræ aggerisque faciendi velut  
cancellos coarctatum est & conclusum. Constat de  
utilitate & necessitate, & tamen (quid hoc dicam  
mali?) in quotidiano castrorum opere cessamus &  
omittimus laborem, quo uno possumus servari. E-  
quidem negari nec debet nec potest, patrum no-  
strorum memoriâ quibusdam in locis, præsertim in  
Belgio egregios quosdam viros & proximos anti-  
quis longo quidem intervallo, sed tamen proximos  
Duces extitisse, qui edicti prisca quædam institu-  
ta ex comparatione tam ordinatæ militiæ, quâm mul-  
tæ res sibi deessent animum advertentes, non pauca  
jam pridem desita & inaudita revocarunt. Ac pri-  
mum quidem, quod nunquam satis laudabitur, san-  
ctitatem aliquam castris reddiderunt: raptus, latro-  
cinia, stupra, cæteramque infamiam demendo, quæ  
adeò invaluerant, ut pñè inter militaria censerentur  
facinora, certè absque his non magis quâm abs-  
que armis & telis bella tractari posse crederentur.  
Jam labore, qui pridem servilis habebatur, reducto  
egregia & posteritati quoque stupenda perfecerunt  
opera: tam cunctando & sedendo, tam ratione  
& disciplina bellum gerere, nec ut antea sole-  
bat, casibus cæcis omnia permittere. Quam rem ea

## *Prolegomena de Castris*

comitata est gloria, ut Belgium Sedes disciplinæ & Schola rei Militaris & quicquid illic in usu esset, norma & lex quædam militandi haberetur; In universum tamen æstimanti satis liquet, quantum decessores suos superaverint bellandi arte: tantum infra priscam Romanorum virtutem substitisse: sive enim genus belli, sive natura locorum hoc fecit, omnis hæc scientia in obsidiis & oppugnationibus oppidorum, tanquam in unâ Trojâ hæsit & consenuit. In cæteris nulla contentio est. Non illi conlatis comminus castris hostili vestigio insistebant, non premebant, non urgebant Romanum in morem, non tam facile, nec quotidie castra muniebant sua, nec adeo formam & rationem metationis ad hoc aptam habebant: quippe miles longè latèque per corpora cohortium collocabatur, eques verò extra castra, ut plurimum vicinis in pagis. Quid? quod illa ipsa quæ perfecerunt opera partim servilibus manibus, partim milite suo, sed voluntario & mercede ad id conducto perfecerunt & ferè felicius, quam si juberent, argumentum avaritiæ potentioris quam disciplinæ: nolo cætera persequi, quia de opere castorum præcipuè agimus. Et viri magni fuerunt & qualicunque hac ratione pulchra & celebria opera effecerunt expugnaruntque oppida, quæ ad eam diem invicta habebantur, & digni sunt vel ipso proposito ut credamus eos, quæ voluerunt perfecisse atque adeo.

## Hygini & Polybii.

deo Romanos æquasse : quorum si disciplinam non per omnia ~~www.Xerxes.com~~ reduxerunt ; at multum tamen præstiterunt , manifestis probarunt documentis reduci posse . Quo magis miror esse hodieque homines in his rebus exercitatos , qui quamvis salubrem utilemque fateantur , negent tamen posse antiquam disciplinam restitui . Romanos illos priscos *Durum à stirpe genus* , invictis ab labore corporibus , mirari magis homines nostros , quam imitari posse : nam ne cæteras quidem nationes , quibus olim cum Romano hoste res fuit , operum labore pares fuisse : quasdam etiam munitione tentatæ sucubuisse , statim adeò animo consternatos ( quod de Gallis tradit Cæsar ) ut omnia , quæ imperarentur sibi preferenda & patienda existimarint . Quin ipsos Romanos illam traditam per manus & usu tot seculorum firmatam disciplinam vitiorum illecebris & dulcedine captos tandem excusisse , ne nunc ignotam recipient homines in otio nati , tot seculorum socordia & educatione prava in aliam quasi naturam transformati , præsertim , cum duces ordinum nostrorum plerique laboris insueti , vulgus militum vaga fortuitò ac temerè congregata turba tædio operis & laborum odio ad militiam plerumque tanquam diverticulum desidie confugiant . Qua in disputatione sicut nonnihil est veri , cum omnino statuendum sit priscam disciplinam reducere conanti , non pauca ad priscum morem recidenda , ita

## *Prolegomena de Castris*

non video, cur ideo pondus rei tantoperè perhor-  
rescere & ante experimentum desperare debeamus.  
Militæ nostræ vitium esse desidiam & laboris intole-  
rantiam, nemo negat. Omne genus hominum atque  
adeò seculum inertiaræ condemnare iniquum putamus:  
Vide juventutem rusticanam, fossores, agricolas, fa-  
bros, aurigas, venatores cæteros virilibus ministeriis  
vitam sustentantes, assiduo illi labore & vitæ duritiâ  
nihilo priscis inferiores sunt: non gravem illis, non  
laboriosum, sed suavem & jucundum putas laborem,  
cum festis diebus, quibus opus vetitum, nec cessa-  
re soleant: comminisci in fraudem legum aliquid i-  
ter facere, venari, jaculari; in conviviis etiam &  
commessionibus tripudiare, per lusum & lascivi-  
am sese cum paribus exercere & ne animum qui-  
dem suum laxare & levare posse, nisi quodam cor-  
poris labore. Ac ita profecto est: nihil citius, si  
adsueveris in naturam vertit; nihil usu levius fit:  
desidentibus sæpe inertia sua gravior est, quam  
exercitatis opus. Ac ne ab alio genere ad aliud ar-  
gumentari necesse habeamus, viderunt hæc sœcula,  
videntque etiam nunc multis in locis magna belli  
pacisque opera à mercenariis hominibus redemta  
brevissimo tempore perfici & absolvi, ut planè ini-  
qui sint, qui laboris studium ævo nostro abjudi-  
cando militari ignaviæ patrocinantur. Nam cum  
isti parando victui aut parva spe lucri objecta, im-  
pigrè

## *Hygini & Polybii.*

pigrè paratisque ac lubentibus animis operentur , an  
arduum sit in Republicâ bene constitutâ eosdem im-  
pellere ad munera militaria , nihilo si res ex vero  
x̄istimetur graviora , tanto verò honestiora & di-  
gniora ? An cæteris rebus valemus , hic solum tor-  
pent artus ? hic hebent dolabræ ? hic effæta est vi-  
rorum natura ? Aut quid tam demissè sentimus , ut  
fieri posse desperemus , quæ & olim facta sunt  
& fieri posse quotidie videmus. Proponantur mo-  
do labori justa ad vitam sustentandam stipendia ,  
proponantur more antiquo honos , laus , decus , ea-  
que præmia , quibus omnes ducuntur , qui ingenui  
sanguinis aliquid habent . Quid ? quod ne nunc qui-  
dem minus dura miles sustinēt , minus ne tu operis  
putas , quod in hostico sine munitione considenti-  
bus necesse est ; totas noctes sub armis morari ? mi-  
nus ne solicitum & exercitum toties ad arma conclamare ? omnibus pænè auris , omni sono terrori ? sem-  
per in statione esse quam brevi opere defungi ? non  
tantum magis operosum , sed etiam summæ stultitiae  
est , cum causâ desidiæ labore fugias , desidiâ plus  
quam labore fatigari & fatigari non quo securior  
tutiorque sis , sed quo lassatus confectusque hosti-  
fias opportunus. Duri fateor Romani : parcè ta-  
men credere aliusmodi atque cæteros homines eos  
naturam finxisse : sunt & nobis lacerti & in illis  
ignaviæ fuit materia. Duri , sed olim . Posterioribus

## *Prolegomena de Castris*

seculis per bella præsertim civilia & sub Cæsaribus  
in tantam sæpe socordiam licentiamque effusi fuerunt, ut Romanæ disciplinæ Romano in exercitu nullum vestigium apparuerit. Non hic liberæ reipublicæ tibi ostendam corruptum militem, qualem Scipio ad Numantiam aut Metellus in Numidia inventit, quando quidam illos nostro militi etiam malè præferunt: sed sub Nerone aliquo omnium justorum militarium ignaros veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent, vallum fossamque quasi nova & mira viserent sine galeis, sine loricis nitidi & quæstuosi, militiâ per opipidæ expletâ, hos tamen Corbulo Dux ad durissima vocare & ad cunctam veterum disciplinam à tanta imperitia licentiaque formare potuit. Quid igitur nova jam hæc & invisitata objiciunt? Tanquam non & res novæ habeat gratiam suam & invisitata miraculo quodam homines rapere soleant: etiam pernicioſæ & in publicum exitiosæ novitates inveniunt plenunque populum suum aut nullis aut incertis præmiis adductum, nedum hæc tam salubris usu & experimentis, constitutâ mercede. Rempublicam ad novas leges traducere periculo sæpe haud vacat. Rem & disciplinam militarem de integro condere, milites quos mercede conducas (non enim aliis hodie uitimur) melioribus legibus alligare, quod est periculum? Adde quod non omnia nostris moribus nova sunt & inter ea quæ nova sunt, quædam quæ secundo milite

## *Hygini & Polybii.*

milite possint institui armorum exercitia & assidua  
campi meditatio habent, quo capiant erectioris in-  
dolis juventutem, lusu & æmulatione honestà si quid  
in eo grave est facilè levatur: castrorum in hostico  
munitione tot incommoda redimuntur, ut ne militem  
quidem ejus pœnitere possit: Paucitas stationum qui-  
bus castra munimentis septa tuta præstantur cætero  
milite quiete & in utramque, quod ajunt, aurem dor-  
miente: Tabernacula, æstus, frigusque & omnem aëris  
inclemantium defendantia & similia priscorum ca-  
strorum talia sunt, ut semel recepta resides quoque a-  
nimos excitatura & nostris hominibus arbitrer leno-  
cinatura, ut ne adeo ad mores suos & inertem hanc,  
duram interim & laboriosam socordiam relabantur.  
Ac ipsum quidem opus castrorum, ad cuius nomen  
maximè contremiscunt modo & disciplina levius eva-  
dit: ratione & arte describentis parva area in usum  
totius exercitus patet, angustiorem pedem disposito-  
facit capacē multitudinis. Continuantur ordines ten-  
toriis, plures unum tabernaculum tegit, interjiciun-  
tur dimensa itinerum intervalla, suus cuique locus  
adsignatur, ut densis castris omnia compleantur, intra-  
que parvum spaciū conclusus exercitus non con-  
stipetur & ad concurrendum inutilis evadat, contra-  
huntur autem castra, quo munitio celeriter & par-  
vo negotio absolvi & absoluta non multo magnoque  
præsidio defendi queat. Quid ergo est? non deest  
nobis

## *Prolegomena de Castris*

nobis hodie laboris tolerantia , desunt ratio & disciplina ; non desunt milites , desunt Duces antiquis pares aut certe ideo desunt milites , quia Duces ; occulta enim lege & fatali quadam socordiâ si qua interdum priscæ virtutis aura afflat ; non illa est diurna : redit cito ad ingenium suum seculum & pleraque in libris tantum renascuntur , quasi in opprobrium nostrum , ut sciamus quondam viros fuisse . Hos animus , illos scientia , alios autoritas deficit & in tanta bellandi libidine nemo à socordia sua impetrare potest , ut huc omnes nervos afferat , ut discat bellare . Da milii aliquem illis priscis imperatoribus parem , hoc ex professo agentem , ut lapsam castrorum disciplinam refoveat , qui militari ludo quotidie præsit & intersit , qui in agmine , in opere , in se ipsum exercet imperium , nec plus militi quam sibi imponat oneris , qui studium militum tanquam exactor intendat & tanquam particeps sociusque relevet , qui labore & virtute omnia vendat , næ ego tibi brevi exercitum laboris studio & tolerantia aut parem aut proximum illis antiquis præstabo : non tantum quotidiana illa priscorum opera , sed novas urbes , nova moenia inter militares , si necesse sit manus , drepentè surgentia , circummunitas hostiles munitiones , obsecros , obsidentes quæque alia in veterum monumentis resides & segnes stupemus . Sed hæc cum fatis visum fuerit dare reges principesque antiquos , nunc cum res

## *Hygini & Polybii.*

res proxime latrocinium multis in partibus venit, eoque quorumdam processit furor, ut nec causam in suscipiendo, nec disciplinam in gerendo bello ad rem potent pertinere, amentis sit sperare. Ne ab his quidem expectaveris boni quicquam, qui quamvis sine raptu & injuriis contineant militem; nihil tamen aliud nec docent nec discunt, quam militiam quæstui habere & quasi pacti ordinum ductores, stipendiorum fraudationem, milites desidiam & vacationem munerum, disciplinam resolvunt omnem: postquam enim deest hostis abiit, si quid fuit prisci moris, torpent otio & segnitie, nisi cum sua eos vitia habent exercitos. Nos tamen adeo non pœnitet versatos paulisper esse in illis olim invictis, nunc etiam doctis castris, quorum disciplinæ ferè omne debetur, quicquid in re militari magnificum est, ut etiam quæ ibi observaverimus publici juris facere non simus veriti, si quid fortè interea illorum studio prodesse possemus, qui cognitione antiquitatis delectantur & eorum exemplis ad præclara facinora incitantur, qui fama nominis sui orbem terrarum impleverunt. Aliam autem in hac parte atque in cæteris viam & rationem amplexi sumus. Cum enim duo veterum fragmenta de re castrensi ex professo agentia ad nos pervenerint, illa-hic ipsa dare consilium fuit, quo harum rerum studiosi ex fontibus haurire possent, rivilos necesse ne haberent conjectari. Accessit quod

d

bene

## *Prolegomena de Castris*

benē ab aliis hac in re dicta & eruta describere aut  
aliis verbis repetita obtrudere non placuit. Nam  
Polybii castra viri in Republica aut literis insignes  
meditationibus curisque suis jam pridem revocarunt  
in lucem. Ex professo quidem Franciscus Patritius  
& Justus Lipsius inter cætera militiæ Polybianæ hanc  
partem etiam libris commentariis illustraverunt:  
sed formam castrorum descripsierant jam ante eos  
non multo diversam Franciscus Maria Dux Urbini,  
Franciscus Robortellus & Conlius, uti opinor. Hi  
prima illa senticeta amovere, primi hanc partem anti-  
quitatis explicuerunt, postea concursus ad hanc  
palmam factus est. Quis enim de re militari, de mu-  
nitionibus oppidorum aut aliqua parte belli medi-  
tatus aliquid est (prodiit autem turba voluminum a-  
liorum super alia) qui non intelligens disciplinæ ve-  
teris haberi vellet? qui non sibi videretur? qui non  
à nomine Romano bellis nobili scriptis suis famam &  
autoritatem mutuaretur. Quāvis enim nihil à pri-  
oribus ferè dissentirent, nihil adferrent novi: per-  
itia verò rerum Romanarum & dicendi arte ab illis  
multis partibus vincerentur; placuit tamen eadem  
usquequaque cantilena. Nobis quum summoperè  
displiceat istorum arrogantia, qui sine gravi causa ma-  
gnis nominibus quorum meritis boni omnes adsurgunt  
caput suum inferunt, atque adeo bene ab illis &  
sapienter scripta, corrupta paululum aut male intel-  
lecta

## *Hygini & Polybii.*

lecta pro suis venditant n̄e eorum similes videreimur ;  
Polybianam quidē metationem autoribus suis totam relinquere constitutum erat, nisi in quibusdam rebus nequaquam omittendis sententiam Polybii parum adsecutos esse vidissemus. Est autem inter ista insigne quod illā formam & dispositionem quam Polybius duarum & quatuor legionum metationi aptam proposuit de sola duarum compositione intellexerint, eoq; errore ablati Prætorium, Forum & Quæstorium in exercitu consulari collocarint, eo in loco, quo in conjunctis quatuor legionum castris collocantur. Ac ut Polybii verba quibus docet quomodo hac in compositione simplicium castrorum ponantur, aliorum traherent formam nescio quam nobis protruserunt, qua Prætorium, Quæstorium, Forum, ut in medio utriusque exercitus constituerent, p̄nè extra ultraque castra ejecerunt. Sunt & alia quædam observatu non indigna, quæ hanc materiam tractantibus silentio præterire non licuit, hic autem præfari non est necesse. Dedimus tamen hoc tantorum virorum reverentia, ut hæc omnia paucis tantum transiremus : illa autem quæ isti recte & ex sententia veterum dixerunt, ne attingeremus quidem. Quemadmodum enim nullius gloriæ tantum studendum esse arbitramur, ut studio veritatis ac solidæ rerum cognitioni derogetur, ita parum ingenii parumque grati animi esse arbitramur per causam paucorum erratorum

## *Prolegomena de Castris*

quod hodie in morem vertit viris de Republicâ literariâ benemeritis insultare , derivare omnem in se laudem & scripta eorum manibus legentium excutere. Utinam hic ejusdem ætatis Latinum scriptorem Polybius dare possemus comitem, neque in tanto literarum naufragio èò deventum esset, ut omnis illa vetus populi Romani militia uno hoc scripto veluti divulgæ discerptæque à lacero navigii corpore tabulæ innataret. Est quidem hoc quantivis pretiū , pretiosius tamen quod unum supereſt: quantivis pretiū , sed tamen fragmentum vel digressio ex historiâ , in quâ multa (ut semper in ejusmodi diverticulis) omittuntur , multa obſcurè , multa perfunctoriè admodum docentur & neglegenter: Scriptum ab viro absq; controversiâ magno & omnium rerum bellicarum & civilium ſanè quam prudentissimo , ſed scriptum Græcè, quod ut in aliis rebus optandum eſſet propter prærogativam elegantiæ & ſingularem ejus linguae felicitatem: ita hic tamen hoc mali habet, ut caſtra Romana non in nativa & domēſtica illa compositione, in qua pleræque res habent venerem nescio quam , & perfectius intelliguntur , ſed extérno cultu habituque deformata conſpiciamus: vocabula certè militaria & illum caſtrenſem sermonem non audientes; illa nomina portarum, viarum , cæterarum partium propriâ desiderantes , non tanquam Romani in noſtra, ſed tanquam hospites & extermi in aliena caſtra ducamur. Non hoc nobis accide-

## *Hygini & Polybit.*

cideret, si Cincius Alimentus, si Cato imprimis ille  
priscus hodie supereffet: haberemus haud dubiè ca-  
stra illa vetera Latino stilo ad vivum expressa & quod  
non minus optabile effet, illum genium tanti viri verè  
Romanum & in magno scriptore magnum Imperato-  
rem agnosceremus. Sed quum nullus hic votis locus  
sit, nec quicquam querelis proficiatur; arripiamus po-  
tius utraq; manu quicquid in hoc naufragio fluctuum  
decumanorum sævitiae erectum sua quædam fortuna  
servavit aut provida majorum cura ad nos transmisit.  
Hygino itaque tantorum virorum vicario inter Latinos  
utantur, qui non optima quidem ætate nec ean-  
dem per omnia quam Polybius & Cato, sed suæ æta-  
tis metationem literis consignatam reliquit: Vixit  
autem circa imperium Trajani & Hadriani, is quidem  
certè qui librum de limitibus constituendis scripsit &  
in quibusdam libris dicitur *Hyginus Augusti libertus*, ut  
ex eo libro constat in quo ita scribit: *Nuper ecce qui-  
dam Evocatus Auḡsti, vir militaris disciplinæ, professionis quo-  
que nostræ capacissimus, cum in Pannoniâ agros veteranis ex vo-  
luntate & liberalitate Imperatoris Trajani adsignaret in ære, id  
est, in formis non tantum modum quem adsignabat adscripsit aut  
notavit, sed extremam lineam uniuscujusque modi comprehendit,  
uti acta est mensura adsignationis, ita scripsit longitudinis. Vivo  
Trajano nec ita diu post adsignationem agrorum hæc  
scripta appetet. Adscribitur autem & uterque liber in  
membranis his eidem Hygino & argumentum utriusq;*

## *Prolegomena de Castris*

eidem professioni conveniens est. Agrimensores enim illa ætate castra metabantur, iidem in coloniis limites constituebant, & in utraque re non pauca similia: nec mirum, militarium virorum utraque sedes. Coloniæ quasi emeritorum castra: castra quasi militantium quædam Coloniæ. Ac illum de limitibus librum autorem castrorum metationis non rudem habuisse, loca aliquot testantur & hic plenus est vocabulis mensorum, qualia sunt, *groma*, *striga*, *scamnum*, *stella*, *novercae*, *coxæ*, &c. Adhoc in castris non pauca exigit ad mensuram communem agrimenorum, ut pedaturam papilionis, latitudines viarum & similia. In eo quoque gemini quod subjectis formis omnia explanant. Nec genus militum quibus in hisce castris pedatura adsignatur aliud ævum sapit: Alas milliarias & quingenarias, cohortes item milliarias & quingenarias, peditatas & equitatas, vexillarios, classicos Mesinenses & Ravennates, auxilia nationum, quorum hic meminit cæteramque copiam jam in gentis Flaviæ imperio militia Romana habet, ut ex Tacito, Suetonio, Plinio, Josepho, reliquis ejus ætatis scriptoribus satis constat & nos in notis breviter ostendimus. Si qua interim in hoc libello occurrunt vocabula, quæ apud istos aut non inveniuntur aut in alia significatione inveniuntur, ut *papilio*, *prætentura*, *retentura*, *striga*, *semistrigium*, *supplementum*, *principales*, *Officiales*, *Schola cohortium*, *cohortes equitatæ* & *pedi-*

## *Hygini & Polybii.*

peditatæ, &c. Non est quod statim abjiciamus & ad inferiora secula cum autore suo relegemus: partim ~~τεχνολόγικα~~ [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) sunt, partim plebeja, quæ apud bonos scriptores aut frustra quæras aut non sine culpa invenias. Nam postquam terrarum orbis Romam confluxit, & tot exteri in civitatem recepti, corruptus paulatim nativus ille sermonis color, & quam plurima exotica & semibarbara in vulgari usu esse cernerunt, quæ politiores aures respuerunt. Scriptorum quidem præstantissimi non ad suum se seculum ea tempestate componentes, timebant Latio & civitate donare, quæ à probatis autoribus recepta non essent; nedum ut castrensis vocibus, rudi caligatae turbæ & incondito sono aut fictis in usum membrorum vocabulis locum darent in monumentis historiarum, quæ quamvis ad rerum imprimis veritatem, tamen non minus ad memoriam posteritatis & famam ingenii composita, tanquam solutæ quoddam poëseos genus effugere solent ab omni rerum & verborum vilitate & ad minimæ hæc infra majestatem suam vix sese demittere; nam quod in sequioris ævi scriptoribus partem horum vocabulorum reperias, mirum non est. Non enim tum supererat antiquus ille delectus verborum, sed nova priscis, barbara Latinis, rustica urbanis insolentia consuetis miscere & absque ulla necessitate verba procudere artiumque vocabulis scripta inquinare, scientiæ & doctrinæ ostendit.

## *Prolegomena de Castris*

ostentatio erat , morbi genus quo hodieque laborat magna pars eorum , qui vernaculo sermone scribunt , nec pauci qui Latinè conantur . Alia in hoc libello est Hygini ratio , qui castra metandi modum ex professo docens & in media militari versans turba , castrensi quoque lingua , uti nec ab ullo vocabulo abhorrire debuit , quod aut mensorum aut militum usu tritum esset : non enim homo otiosus bellum & copias & castra , quæ in usu non sint posita , solo animo & cogitatione fingit , rerumque ignarus imagine gaudet . Sed agrimensor & metator Imperatoris verarum copiarum , quæ tunc Romanum imperium tuebantur , dispositionem & ut ipsius verbis utar , *quotidianam meditationem* docet . Est certè hoc frequens ac tritum imprimis vitium eorum , qui rei militaris præcepta posteritati tradiderunt , fictas nullisque probatas experimentis meditationes adducere aut rursus ex Tacticis antiquis & rerum Scriptoribus quicquid speciem aliquam prudentiæ habet aut disciplinæ sine discriminâ & judicio arripere , non ponderatis pensitatisque causis , non temporibus , non locis , non armorum genere , quæ nisi eadem sint aut similia , etiam prudenter excogitata ad nihil recidunt & sapientissima quæque , si velis imitari , fiunt stultissima . Neminem eorum qui labente re Romana Tactica nobis reliquerunt , immunem ab hoc vitio pronunciaverim . Laborant imprimis Græculi sua alienis , Romana exter- nis ,

## *Hygini & Polybii.*

nis, vetera novis miscentes, peditum instituta ad e-  
quites in quibus tunc omne robur transferentes pas-  
sim turbantesque, ut ad eos legendos cognitione  
non parva antiquitatis ac terso opus sit judicio. Sca-  
tet non minus Flavius Vegetius, qui homines suos  
ad prisca instituta & exempla passim vocat. Rectè  
quidem istuc : Sed non armorum genus, non mili-  
tum, non legionis ordinationem, non aciei dispo-  
sitionem, non ullam veteris militiæ partem rectè  
eos docet, in sententiis quidem & generalibus mili-  
taris prudentiæ præceptis (hæc enim facile intel-  
lexit) pulcher est & probabilis. Cæterùm in pro-  
priis illis veterum institutis tantam ubique prodit  
ignorantiam & infantiam, ut non tam ratione &  
judicio quam fama & opinione communi & qua-  
dam nominis Romani superstitione captus anti-  
qua admirari videatur & extollere. Cautius &  
majori longè prudentia viri docti, qui his proximi-  
mis seculis intermortuas pridem literas suscitando  
seculum ab illo horrore & squallore ad cultum  
traduxerunt, non putant sese defunctos solis sen-  
tentiis aliquot veterum compilatis : distinguunt  
tempora, loca, mores, & id serio operam dant,  
ut vera nos instruant rerum cognitione. Est ta-  
men ubi cepisse eos etiam videatur majestas illa,  
& ut sic dixerim religio antiquitatis, ubi præ-  
ferunt etiam melioribus postea inventis minus lau-

e

dabi-

## *Prolegomena de Castris*

dabilia priorum , ubi instituta quæ Romanorum non sunt , nec si essent , digna prudentiâ eorum essent , ad cœlum tamen ferunt miris laudibus , quasi divinitus excogitata , hac unâ de causâ quod Romanorum esse putant . Sic in hac ipsa castrorum ordinatione , cum ex malè intellecto Polybio , Prætorium in prætentura non longè à portâ prætoriâ ponant , laudant tamen hanc positionem , quamvis temeritatis & periculi plenam , quasi bene & sapienter ordinatam . Sed rarius hoc istis accidit . Nos tamen inde discamus , quanto tutius eorum insistamus vestigiis , qui de rebus suæ ætatis , quæ & usus comprobavit & ipsi per omnes penitus numeros cognoverunt , monumenta nobis reliquerunt . Tale est Hygini hoc in usum exercituum illius ætatis conscriptum & sigillatim ad illarum copiarum quas in hoc libello recenset , quarum compositio & ordinatio illi , ad quem liber hic scriptus est , ab Imperatore imposta videtur fuisse , nisi toti potius præfectus fuerit exercitui . Hoc autem scriptum à librariis pessimè acceptum mirumque in modum ad nos pervenit depravatum . Mutilum primum & *αιεφαλὸν* incipiens his verbis : *Nunc papilionum tensionem cohortium suprascriptarum ostendimus* , palam clamantibus illa quæ de cohortibus , de exercitu , de legione & si quæ alia præcesserant , deesse . Nam priora illa de lateribus poligoniorum huc non faciunt : alterius libri & argumenti sunt : adeoque & nobis non hoc

## *Hygini & Polybii.*

hoc agentibus, ut omnia Hygini explanemus, sed ut  
castra & rem militarem illustremus merito hinc amo-  
lienda fuerunt. Præterea cum alias castrorum partes  
diligenter & accuratè describat: alias ne verbo qui-  
dem tangat, in cæteris quoque descriptorum vitio  
quæ neglegentia ipsius omissa quædam potius cre-  
diderim. Jam illud non parvas offundit tenebras,  
quod formis quibus & tota castra & singulæ descri-  
ptæ fuerant partes neglegentia librariorum spoliatus  
& velut lumine suo est orbatus. Quid dicam impe-  
ritiam reliquam & malam manum, quæ immane quan-  
tum errorum congeffit? ut omittam defectus, trans-  
posita & luxata verba, corruptos sensus, confusos &  
vitiatos numeros: vix una periodus, periodum di-  
co? imò vix tria aut quatuor vocabula, quæ non ali-  
quà saltem correctiunculâ juvanda sint: inter quæ uti  
quædam quæ emendare haud ita difficile (non enim  
ingenio sed stupiditate plerunque peccatur, quo fa-  
cilior medicina) sic alia non pauca deposita omnino  
& desperata, ut in his castris æquè ac in veris bar-  
barorum violentiæ Roma succubuerit. Nescio enim  
# Liber Gromaticus

www.LibroLatinus.de diuī

SIONIB·AGRORŪ·

EXPLICIT

INC. LIB·HYGINI·GRO

maticus

INTER omnes Mensurarum ritus, &c. quæ in Editione nupera Riga  
laltii pag. 160. sub titulo HYGENI AVGUSTI LIBERTI DE LIMITIBVS  
CONSTITVENDIS. Apud Turnebum p. 91. & p. 256.

RAPHAEL VOLATERRANVS LIB. XVI.

HIGYNVS, prænomine IVLIVS, nonnullis y præponitur HYGINVS, scripsit  
(inter alia) librum GROMATICON appellatum, nuper inventū. est enim Groma,  
ut ipse testatur, ars loca stationesq; in castris opportunè capiendo, ornandive.

ET LIB. XXX.

Loco eminenti iubet fieri castra, ut regioni dominantur; neū paludibus  
interluantur, præfertim porta Decumana: Sècundum locum habent, quæ  
in plano constituuntur: Tertium, quæ in colle: Quartum, quæ in monte:  
Quintum, quæ in loco necessario; unde & Necessaria castra dicuntur. Præ-  
cipue observari debet via quæ lateribus castrorum supersit. Castra quo-  
cunque latere flumen seu fontem habere debebunt in qualicunque posi-  
tione. Iniqua loca, quæ à prioribus \* Nobiria appellantur, omni modo  
vitari debent. Ne mons castris immineat, per quem supervenire hostes,  
aut perspicere possint quid in castris agitur: Ne sylva celatura hostes  
adiaceat, neve fossæ seu valles, per quas obruti castris occumbere possint:  
Ne vicini fluminis torrens subità tempestate castra inundatione obruat.  
Meminisse oportet in hostico ascensus valli duplices & frequentes facere,  
& tormentis tribunalia extruere circum portas in coxis: In loco contra-

riū maximē instruendum erit vallum tormentis ab eo latere quā \* Nobiria, si vitari non poterunt. Hæc ex Hygino. HACTENVS VOLATER-RANWSV.libtool.com.cn


P. S.

\* \* Iniqua loca quæ Nobiria appellat Volaterranus ex fide codicis Bobiani corruptissimi(ut omnia illius libelli exemplaria)revera sunt Novercæ. In membranis nostris priore loco NOBIRIAE, posteriore Noberca legitur. In Apographo Eydiano Nobirce, & Noberce. In Wouwereno Nobirce, Nobiriæ, & Nobercæ. In codice, quo viri docti in Galliis antè annos LXVI usi, Nobirca, & Noberca. Scribendum omnino, Novercæ. Vide Iulium Frontinum, & reliquos Agrimensores veteres; vel, si placet, nos in Notis ad hunc libellum de metatione Castrorum.



H Y-

H Y G I N I  
G R O M A T I C I  
D E  
C A S T R A M E T A T I O N E  
L I B E R.



Unc papilionum tensionem cohortium suprascriptarum ostendemus. Papilio unus occupat pedes decem, accipit incrementum tensuræ pedes duos, tegit homines octo; plena centuria habet milites octoginta, erunt papiliones decem, qui occupant in latitudine pedes centum viginti. Nam quod ad latitudinem hemistrigii pedum triginta attinet, papilioni dantur pedes decem, armis pedes quinque, jumentis pedes novem, fiunt pedes viginti quatuor, hoc bis, quadraginta octo; quoniam conjuncti tendunt, efficitur striga pedum sexaginta, reliqui pedes duodecim, qui conversantibus spatio sufficient. Hæc pedatura ad plenam legione m est com-

a

pu-

## *Hygini Gromatici*

putata: Ex quibus in vigiliis singulis eunt, & non plus quam octonus papiliones singulæ tendunt, ita fit ut Centurio eorum in eadem pedatura eorum papilio-num tensionem accipiat; alioquin plus dari oportuif-set. Legiones quoniam sunt militiæ provincialis fidelissimæ ad vallum tendere debent, ut opus valli tuean-tur & exercitum gentium exterarum suo numero cor-pora legionum contineant. Quando autem suppli-menta plura fuerint, ut necesse sit cohortis pedaturam extendere, servatâ latitudine hemistrigii & ad pedem manente, aream mutabimus, ut quæ fuit centum viginti, per centum octoginta, sic fit nonaginta per ducentos quadraginta in modum formæ subiectum (N. 1. & 2.) vel sexaginta per trecentos sexaginta, simi-liter ut forma ostenditur (N. 3.) Triginta etiam pedes per septingentos viginti cohors una occupat: nunc quoties latitudo duplicatur, longitudo partis minuet. Quod si legiones plures acceperimus & supplimenta pauciora, ut necessarium sit cohortes circa vallum cre-brius ponere, convertemus pedaturam, quod fuerat signis tabulino dabimus, & hemistrigia mutabimus ra-tione tensuræ suæ, cujusque generis subjecimus. Ali-quando cohorti centum quinquaginta per centū quin-quaginta solent adsignari, sed in quantum fieri potest, evitari debet, ideo quod centuriæ suo ordine tendere non poterunt, & pedatura cohortis unâ parte nudabitur, sic ut forma subiecta es (N. 5.) Cohors prima causâ signo-

## *de Castrametatione Liber.*

signorum & aquilæ intrâ viam sagulariam, & quoniam duplum numerum habet, duplam pedatûram accipiet, ut puta, signis pedes centum viginti, tabulino pedes trecentos sexaginta, vel signis centum octoginta, tabulino pedes ducentos quadraginta, formæ ratio, ut reliqua. Igitur si legiones impares, hoc est tres acceptæ fuerint, duæ cohortes primæ lateribus prætorii per rigorem viæ sagularis, tendere debebunt: Alia in prætentura, similiter per rigorem viæ sagularis intrantibus portam prætoriam parte lèvâ: dextrâ cohortes contrario tendant, ut possit exercitus combinatus educi. Quoties autem quinque vel sex legiones acceptæ fuerint, duæ cohortes primæ lateribus prætorii tendere debebunt, duæ in prætenturâ, supra quas valetudinarium, deinde vexillarii, vel cohors secunda, & si res exigat, cohors peditata quingenaria, loco vexillariorum solet superponi, & si strictrior fuerit pedatura, cohorti legionariæ dari debet, sed numero suo, ut septuaginta pedes valetudinarium, & reliqua, quæ supra tendunt, accipient, hoc est veterinarium & fabrica, quæ ideo longius posita est, ut valetudinarium quietum esse convalescentibus possit, quorum pedatura in singulas species ad ducentes homines solet computari. Vexillarii legionum eandem pedatûram accipere debent, quam cohors legionaria, quia ad sexcentenos homines computantur: causâ impedimentorum tendere debent in

## *Hygini Gromatici*

prætentura vel latere prætorii, ut dixeram, super cohortes primas: ad vallum, si fieri potest, ideo tendere non debent, quod legatus eorum pariter non sit, & si casu ab hoste vallum interruptum fuerit, legio & legatus eorum per vexillarios factum esse contendet. Cohortes prætoriæ lateribus prætorii tendere debent & duplam pedaturam recipere, quod tentoriis majoribus utantur, primipilares etiam & evocati in eâdem pedaturâ locum accipient. Equites prætoriani latere dextro prætorii: Singulares Imperatoris latere sinistro; quorum si major numerus fuerit, ut puta, singulares sexcenti, prætoriani trecenti, poterunt centum quinquaginta singulares in striga prætorianorum tendere: ita fiet, ut pari numero dispositi decuriones & reliqui principales eorum, binos equos possidentes, propensius tendant. Et si minor numerus prætorianorum fuerit, ut centenis equitibus hemistrigiis suis laxius tendant, non erit hæsitandum, quoniam officialibus lateri dextro proximis ibi pedatura assignabitur. Quod si cohortes prætoriæ impares acceptæ fuerint, quoniam numerus & dispositio dextrâ lèvaque prætorii centuriis paribus esse debet, loco cohortis equites prætoriani ponentur. Singulares autem, si octingenti aut nongenti fuerint, pari numero, integris strigis lateribus tendere debent, si spatium fuerit & strigæ sufficiat. Illud maximè observare debemus, ut latus prætorii non plus, quam septingentos viginti pe-

## *de Castrametatione Liber.*

pedes longitudinis accipat, ita fiet, ut cohortes primæ prætoriæ & reliquo numerus, qui latere prætorii tendit, integris strigis sua pedatura optimè tendat. Nam quantum ad latitudinem prætorii totius attinet, à centum sexaginta ad ducentos viginti potest observari in longitudine, ut supra dixi, pedum septingentorum viginti: Stationi dari oportet, secundum prætorium pedes viginti, & si res exigat, pedes decem sufficient. Item comitibus Imperatoris nostri, à pedibus quinquaginta ad septuaginta potest observari, in qua pedatura, præfecto prætorio, primus locus ad viam principalem adsignari debet: interpositâ deinde viâ cohortes prætoriæ & reliquo numerus, pro ut disponi debere ostendimus. Aris institutis in formam partis imæ: augatorium parte dextrâ prætorii ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium rectè capere possit: parte lèvâ tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat & exercitum felici auspicio alloquatur. Introitu prætorii parte mediâ ante viam principalem, *Groma*, locus appellatur, quod turba ibi congruat sive in dictatione metarum, posito in eodem loco ferramento, *Groma* superponatur, ut portæ castrorum in conspectu rigoris stellam efficiant, & professores ejus artis, causa suprascripta, Gromatici sunt appellati. Viæ vicinariæ ideo dantur, percurrentes proximam sagularem, ut ad eruptionem exercitus expediti progrederi possint. Nunc prætenturæ

## *Hygini Gromatici*

rationem exponam: Via principalis, quæ est inter portas dexteriorem & sinistriorem, quæ à principiis nominatæ, esse debet latitudine eadem, qua opus pedum sexaginta, quod est inter vallum & legiones, & ideo à quibusdam intervallum est cognominatum. Item via quæ dicit ad portam prætoriam ( à prætorio sine dubio via prætoria dicitur ) latitudine ut supra, pedum sexaginta, propter quod rigore tensuræ suæ superiores strigæ in prætorii ora non percurrunt, quoniam ad viam prætoriam signa spectare debent. Dabimus itaque intra viam principalem legatis pedaturam, quod *Scamnum* est appellatum, nec communem strigarum indicationem metationis habet, propter numerum legatorum incertum quod non semper latitudine à pedibus quinquaginta ad octoginta, observari debet, pro ut numerus legatorum exegerit, in quo Tribuni cohortium prætoriarum tendere solent, similiter Tribunis legionum inferius adsignari debet quod æquè scamnum dicitur: à quo via interposita ala milliaria vel quingenaria & deinceps pro ut quis tendere debet in formâ subjecimus. Nunc ut suo referam loco ad alam milliariam: turmas habet viginti quatuor, in iis decuriones duplicarii & sesquiplarii, idem qui & numerus turmarum. Habent equos singuli decuriones ternos, duplicarii & sesquiplarii binos, fiunt super numerum equorum milie, deductis singulis qui in numerum computantur nona-

## *de Castrametatione Liber.*

nonaginta sex. Ala quingenaria turmas habet sedecim, decuriones & reliqua pro ut numerum turmarum, amplius equos ut supra sexaginta quatuor. Et ideo in singulis equitibus terni pedes computantur, nihil deducitur, in eo pede præfectus alæ pedaturam accipiet & principales eorum aliquanto laxius tondent, alioquin singuli binos pedes & semisses acciperent. Quantum autem ad retenturam pertinet: via quæ est super prætorium, per cuius rigorem utraque parte cum major exercitus est, hoc est, quinque legiones & supra pedatura cohorti primæ dari solet, accipere debet latitudinem pédum quadraginta: si portæ ibidem datæ fuerint, quinquaginta pedes accipient, & cognominantur etiam quintanæ causa copiarum. Quæstorium dicitur quod aliquando ibi quæstores pedaturam acceperint, quod est supra prætorium in rigore portæ, quæ à cohortibus decimis ibi tendentibus *Decumana* est appellata. Quæstorium minori esse debet latitudine quam prætorium, ut strigæ ad posticum prætorii proximæ sint, in quo maximè legati hostium & obsides, & si qua præda facta fuerit, in quæstione ponitur: lateribus ejusdem tendere debent ad viam quintanam Centuriæ Statorum, ut posticum prætorii tueantur & proximi sint prætorio, quibus duplam pedaturam adsignavimus, quod iisdem tentoriis utantur, quibus cohortes prætoriæ: super quas cohors peditata quingenaria vel equitata pro ut strigæ

## *Hygini Gromatici*

strigæ magnitudo fuerit, poni debet. Et per reliquas  
strigas cohortes peditatæ vel equitatæ ad viam quin-  
tanam spectare debent, & super hos sumactares & re-  
liquæ nationes tendere debent: ita fiet, ut omni parte  
nationes suprascriptæ contineantur. Viæ sagulari tri-  
ginta pedes sufficient: si quinque legiones fuerint, qua-  
draginta pedum latitudinem accipere debet. Scho-  
læ cohortibus primis ubi munera legionum dicun-  
tur intra scamnum legatorum contra aquilam dari de-  
bent. Castra in quantum fieri potest, tertiata esse debe-  
bunt, ut latâ duas, tres partes sint longa hoc dixi ter-  
tiata: ut puta, in longum pedes duo millia quadrin-  
genti, in latum mille sexcenti. Si longiora fuerint, clas-  
sica dicentur, ne buccinum in tumultu ad portam  
Decumanam non facile potuerit, exaudiri: Si latiora  
fuerint, proxima quadraturæ sequens est dictatio.  
Quantum attinet ad ea, quæ sunt necessaria satis, pu-  
to diligenter retulimus, & si quæ rationes adhuc fue-  
rint necessariæ, suo referam loco: præterea munitio-  
nem castrorum & soli electionem, in statuenda meta-  
tione & item iniquitates locorum vitandas, ne præte-  
riisse videar, breviter in parte ima exponam. Interim hic ostendam inceptam rationem metationis &  
numerous compositæ formæ recognoscemus. Admone-  
bimus itaque, quis ubi tendere debeat. Lateribus  
prætorii, cohortes prætoriæ: ad hoc equites præto-  
riani, equites singulares Imperatoris, alæ milliariæ  
vel

## *de Castrametatione Liber.*

vel quingenariæ , & si pedatura permiserit , vexillarii  
& cohortes secundæ vel quingenariæ peditatæ , su-  
per cohortes primas . Prætendunt alæ quingenariæ  
vel milliarie , Mauri equites , Pannonii Veredarii ,  
classici omnes , ideo prætendunt , quod ad vias mu-  
niendas primi exeunt & quo sint tutiores , à Mau-  
ris equitibus & Pannoniis Veredariis , operantes pro-  
teguntur . Cohortibus primis proximi tendere debent ,  
vexillarii legionum , item exploratores in strigâ co-  
hortis primæ . Retendunt cohortes equitatæ milliarie  
vel quingenariæ , quarum rationes subiectæ . Omnis  
miles provincialis accipit pedaturam , pedem , adiectâ  
quintâ , per totam latitudinem hemistrigii : eques au-  
tem duos semis adiectâ quintâ . Nunc quoties nume-  
rum acceperimus ut pedaturam computemus , cohorts  
equitatas , ad numerum peditum redigemus , ut  
equitibus cum cohortibus suis facilius pedaturam  
assignemus . Habebit itaque cohors equitata milliaria ,  
equites ducentos quadraginta , quos redigo ad pedi-  
tem , ut pedem , quod accipit miles , ad duos semis ,  
quod accipit eques : fit dimidiâ sumptâ ductum quin-  
quies ; sic tractabimus numerum equitum , fit centum  
viginti : ducemus quinquies , fiunt sexcenti : accedunt  
ex eadem cohorte milliaria , detractis equitibus reli-  
qui pedites septingenti sexaginta : fit cum superiori  
mille trecenti sexaginta : Meminerimus itaque , ad  
computationem cohortis equitatæ milliaræ pedatu-  
b  
ram

## *Hygini Gromatici*

ram ad mille trecentos sexaginta dari debere. Cohors  
equitata quingenaria in dimidio eandem rationem  
continet, quām cohors milliaria. Habet itaque co-  
hors equitata milliaria pedites septingentos sexagin-  
ta, centurias decem, equites ducentos quadraginta,  
turmas decem, tendunt papilionibus centum tri-  
ginta sex; ex iis centuriones & decuriones singulis  
papilionibus utuntur. Cohors equitata quingenaria  
habet centurias sex, reliqua pro parte dimidiā. Cohors  
peditata milliaria habet centurias decem, tendit pa-  
pilionibus centum, ex iis centuriones singulis. Item  
peditata quingenaria habet centurias sex, reliqua ut  
supra. Nationes, Cantalii, Getæ, Daci, Britones,  
Palmyreni, centuriæ statorum, & si quid aliud da-  
tum fuerit in exercitu summam clariorum retentura  
ponimus. Camelis cum suis epibatis singulis, pedes  
quinque adsignabimus: tendere debebunt si in hostem  
exituri erunt, in prætenturâ juxta classicos: si ad præ-  
dam portandam præsto erunt, secundum quæstorium  
tendere debebunt: datos itaque numeros, qui infra  
scripti sunt, sic computabimus; legiones tres, vexil-  
larii mille quingenti, cohortes prætoriæ quatuor,  
equites prætoriani quadrungenti, equites singulares  
Imperatoris quadrungenti quinquaginta, alæ milliariæ  
quatuor, quingenariæ quinque. Mauri equites sex-  
centi, Pannonii Veredanii octingenti, exploratores  
ducenti, cohortes equitatæ milliariæ duæ, quinge-  
na-

## *de Castrametatione Liber.*

nariæ quatuor, cohortes peditatæ milliariorum tres, quingenariæ tres, Palmyreni quingenti, Gætæ nongenti, Daci septingenti, Britones quingenti, Cantabii septingenti, centuriæ statorum duo. Semper numeris acceptis prætenturam computare debemus, ut sciamus, quo hemistrigia in retentura nascantur. Nunc fit numerus qui retendit tredecim millia, sexcenti quadraginta, sumo partem dimidiā, ideo quod à partibus tensuras nanciscuntur, fiunt sex millia octingenti viginti. Nunc latus prætorii componamus & retenturam similiter computemus, sicut prætenturam fecimus, ut sciamus in cohortibus legionariis quid tabulino vel signo dare debeamus. Observare itaque debemus, ut quoties tres legiones, cum supplimentis acceptæ fuerint, dimidia pars castrorum septingentos viginti pedes latitudinis habeat, & lateribus castrorum, cohortium tabulino nonaginta, signis ducentos quadraginta pedes adsignamus, ut deducto tabulino cohortium & latitudine viæ sagularis, reliqui sexcenti pedes supersint, ut aliae milliariorum in pedatura ad pedem tendant. Ut nunc statuamus reliquos pedes sexcentos, computemus latus unum prætorii, ut sciamus, quo aliae in prætentura tensuræ sint. Occupantur numero militum latere prætorii pedes quadringenti viginti, prætorio pedes sexaginta, statione viginti, comitibus Imperatoris nostri pedes sexaginta, viis pedes quadraginta, fiunt sexcenti. Nunc prætenturam

## *Hygini Gromatichi*

ut componamus numerum equitum alarium, qui sunt  
reliqui computemus: fiunt quatuor millia: accipere  
debet ala millaria, signis pedes centum quinqua-  
ginta; tabulino pedes sexcentos: hac ratione pe-  
des centum quinquaginta efficiunt hemistrigia quin-  
que: accipit eques tres pedes in longitudine pedum  
sexcentorum: Sumo partem tertiam, ut habeam equi-  
tum numerum, qui in ea longitudine tendit: fiunt du-  
centi, erit hemistrigii numerus, & nunc hemistrigia  
diximus, quinque, quinques ducenti, fiet mille, alæ  
milliarie pedatura: Reliquum autem numerum sicut  
retenturam computemus, ut sciamus similiter quo he-  
mistrigia nascuntur, fit numerus, cum pedatura valetu-  
dinarii, veterinarii & fabricæ, quæ in unum ad mille  
homines computantur octo millia, sumimus dimidiam  
partem, fiunt quatuor millia. Nunc erit partis dimidiæ  
hemistrigium sexcentorum pedum, per longitudinem,  
quod quingentos homines capiet, sicut diximus, pedi-  
tem adjectam quintam ad pedem accipere. Nihil ita-  
que intersit, an ad numerum computatum quintam  
partem adjiciamus, an verò ex longitudine, ut nunc  
sexcentorum pedum deducamus partem sextam, relin-  
quemus quingentos, tot homines capiet hemistrigium.  
Sed habemus numerum quatuor; ducemus quod habe-  
mus; erunt octo; totidem hemistrigia nascuntur, fiunt  
ducenti quadraginta, & superiores computati alarium  
pedes trecenti, fiunt in unum quingenti quadraginta,  
po-

*de Castrametatione Liber.*

poterit esse tensura cohortium trium : faciet pedes septingentos viginti: ex quibus decedit, quod numerus occupat pedes quingenti quadraginta : reliqui pedes centum octoginta , quo sex hemistrigia nascuntur: ut nunc vicinaria via super cohortem primam : Item numero quatuor pedum denum , fit in vias pedes sexaginta ; reliqui pedes centum viginti, quos scamnis tribunorum & legatorum singulis sexaginta pedes assignabimus. Nunc si dentur mille homines, super numerum compositum , quibus in eandem pedaturam locus adsignetur, sic faciemus: quoniam partis dimidiæ quingentos esse constat, quos capit hemistrigium, deducimus scamnis pedes decem & viam inter alas tollemus , quæ tunc datur , si pedatura permittit ; fiunt pedes triginta ; erit hemistrigium , quod quingentos homines postea acceptos, recipiet. Nunc è contrario similiter numeris compositis , deducamus homines mille. Quoniam est pedatura strigæ pedum sexaginta , dabitur scamno legatorum pedes octoginta ; tribunorum pedes septuaginta & viam inter alas reponemus. Item latere prætorii & in retentura similiter , si quo plus vel minus fuerit, idem observabimus , ut prætorium & comitum pedaturam , item quæstorium minuamus vel ampliemus servatis portionibus latitudinis : via autem abesse poterit, si pedatura strigætior fuerit , inter cohortes prætorias & alas equitum , ideo quod disciplinâ militari ad suum quique

## *Hygini Gromatici*

numerum conjuncti convenient. Idem observetur, ut  
dixi in retentura, quia solent etiam quadragenis ho-  
minibus per strigas strictius seu laxius tendere. Quo-  
niam s̄æpe numeros evenit commutari, ut tensuræ am-  
plius efficientes, quām strigæ in eandem pedaturam in-  
currant: Nec plus ex iis deduci debet, quām peditata  
quingenaria super cohortes primas, & si amplius  
supersunt, ut nec strigam expleant, necesse est, per  
reliquas strigas, ut dixi, artius tendant. Similiter ut  
laxius tendant, efficitur quoties reliquus numerus  
convenit: ne totius metationis ordo turbetur &  
retenturæ æquali numero laxius tendent, retenturæ  
numerum computatum, ut in prætentura convenient. Quod si adhuc amplius vel minus quam ostendimus  
supplimentis dandum sit, omnia immutabuntur, &  
cohortes circa vallum aliter tendent. Nunc retenturæ  
partis dimidiæ diximus numerum, sex millia sexcen-  
tos quadraginta; quoniam latitudo sexcenti, video,  
quot hemistrigia esse possint, ut nunc, erunt decem  
& septem, ut quæstorio pedatura sufficiens dari  
possit: sumo itaque partem decimam septimam,  
quot hemistrigia esse diximus, fit quadringenti, erit  
numerus militum; tendere debebunt per hemistri-  
gium unum, adiectâ quintâ pedum octoginta; inde  
efficitur, ut duæ cohortes latere retenturæ tendant.  
Sumadares & reliquas nationes, quoties per strigas  
distribuimus, non plus quam tripertitæ esse debent,  
nec

## *de Castrametatione Liber.*

nec longe ab alterutrum , ut unam tesseram suo vocabulo citationis habeant. Observabimus primæ stri-  
gæ signis idem adsignari , quod cohortis primæ , ut viæ vicinariæ percurrant. Erunt itaque lateribus co-  
hortes sedecim : prætendent & retendent , quatuor  
millia & singulæ sexaginta per trecentos sexaginta ;  
reliqua quatuor millia intra viam sagularem. In quan-  
tum potui , Domine frater , pro tirocinio meo in  
brevi , omnes auctores sum persecutus ; sed quidquid  
circa compositionem castrorum æstivalium institue-  
runt in hoc libello , priusquam numeros constituerem ,  
sub ratione omne declaravi. Præcipuas in omni in-  
cepto rationes in metationibus scribendis , nullus  
auctorum ad hunc diem ostendit : propter quod spero  
sollicitudinem nostram dignè tibi placitaram. Expo-  
suimus itaque singulas species , & universum exercitum  
suis locis constituimus : ostendimus etiam si necessum  
fuerit , qui numerus commutari debeat. Quod si alæ  
in retenturâ positæ fuerint , & pedites in prætenturâ  
sive cohortes equitatæ nullâ necessitate cogente , sine  
dubio metatoris imperitiæ signum est. Illud planè  
poterit observari , si cohortes equitatæ in exercitu  
nullæ omnino fuerint , ponamus alas quingenarias  
lateribus quæstorii , ut retentura equitatum habeat.  
Nam quod ad legiones sparsas & divisos in duo num-  
eros pertinet , quod & peritis compositionum difficul-  
tates ostendit , methodum à me exquisitum ad nu-  
merum

## *Hygini Gromatici*

merum centuriarum pertinentem, intento ingenio  
elaborari, ut si dignatus fueris injungere, novitatem  
metationis ad magnitudinem tuam primus adferam,  
quæ tibi, spero, placebit, si primum cattidianam  
metationem tractabis. Nunc munitionem castrorum  
& reliqua, quæ pluribus authores scripsierunt, brevi-  
ter perferamus. Munitio æstivalium observatur ge-  
neribus quinque. *Fossa, vallo, cervolis, armis, aggere.*  
Fossa loco securiore causâ disciplinæ, cuius species  
est fastigata vel punica. Fastigata dicitur, quæ à  
summâ latitudine lateribus devexit, in angustiam  
ad solum conjunctam pervenit. Punica dicitur, quæ  
latere exteriori ad perpendicularum dirigitur, con-  
trario devexo fit, quemadmodum fastigata: quibus  
latitudo dari debet ad minimum pedum quinque, al-  
titudo pedum trium. Egressu pedibus exterius sexa-  
ginta per latitudinem portarum, similiter fossa fiet,  
quæ propter brevitatem, *Titulus*, cognominata est.  
Vallum loco suspectiori extrui debet cespite aut lapi-  
de saxo sive cæmento; sufficient latitudini octo, al-  
titudini pedes sex. Et lorica parva fiet similiter ante  
portas ad titulum, ut ad fossam vallum. Causa instru-  
ctionis sancta est cognominata. Cervoli trunci ramosi:  
ad hos decurritur, si soli naturæ nimiâ teneritate ce-  
spes frangitur, neque lapide mobili nisi copioso val-  
lum extrui potest, nec fossa fieri ut non ripæ decident.  
Quoties cervoli desunt, & est locus suspectior, ar-  
mo-

## *de Castrametatione Liber.*

morum ordinibus quatuor, castra muniuntur & per singulos ordines <sup>www.litpool.com.cn</sup> vigiliæ crebrius ponuntur, & equites alterna vice castra circuire debent. Si in pacato, solummodo tuendæ disciplinæ causa: unus ordo armorum sufficit, & vigiliæ rarius constituuntur. Aggeribus autem ita fit vallum, ut si locus petrosus vel arenosus fuerit, qui sine dubio aggere facto munitionem castris præbet. Angulos castrorum circinare oportet, & quia coxas efficiunt instabiliuntque opus propugnatione tutari. Circinari debent ex angulis cohortium vallique: efficiunt latitudinem operis pedum sexaginta, usque quo lineas exteriores comprehendenterint; quo deficit pars quarta. Similiter clavicula circinatur ex linea interiore valli & puncto mediæ portæ; ad aperto circino ad cardinem portæ, eà mediâ præter viam circinabis in eandem lineam quæ centro serviet. Eodem punto manenti adjicies latitudinem ad vallum & iterum circinabis in eandem lineam, ut intrantes semper detecti sint, ut advenientes in recto cursu excludantur, nomenque ab effectu, clavicula trahit. Nunc quod attinet ad soli electionem in statuendâ metatione. Primum locum habent, quæ ex campo in eminentiam leniter attolluntur, in qua positione porta Decumana eminentissimo loco constituitur, ut regiones castris subjaceant. Porta præatoria semper hostem spectare debet: secundum locum habent, quæ in plano constituuntur: tertium quæ in colle:

*Hygini Gromatici de Castrametatione Liber.*

colle: quartum quæ in monte: quintum quæ in loco  
necessario, unde & necessaria castra dicuntur. Præci-  
puè observari debet via quæ lateribus castrorum su-  
persit cæterum quocunque latere. Flumen sive fon-  
tem habere debent in qualicunque positione: castro-  
rum iniqua loca, quæ à prioribus Novercæ appellan-  
tur, omni modo vitari debent: ne mons castris immi-  
neat, per quem supervenire hostes aut prospicere  
possint quid in castris agatur: ne silva celatura hostes  
adjaceat, neve fossæ vel valles per quos obrepit castris  
occultè possit: ne vicini fluminis torrente subitâ tem-  
pestate, castra inundata intereant. Meminisse oportet  
in hostico adscensus valli duplices & frequentes  
facere & tormentis tribunalia extruere circum por-  
tas. In coxis, in loco tyronum, maximè instruen-  
dum erit vallum tormentis, ab eo latere, quo No-  
vercæ evitari non potuerunt.

**POLY-**

# POLYBII MEGALOPOLITANI

www.libtool.com.cn E

# C A S T R I S

Scriptum ex Historiarum Lib. VI.

**T**έτων δὲ θρησπῶν γνωμίων, πολιτεύοντες οἱ χιλιαρχοὶ τὰς Ρωμαίες ἐμὲ καὶ τὰς συμμάχις, κατεργατοπέδουσιν· εἰὸς ὑπάρχοντος παρὰ αὐτοῖς θεωρήματος αὐτῆς τοῖς παρεμβολαῖς, ὡς χρῶνται τοὺς πάντας καιρὸν καὶ τόπον. Διὸ καὶ δοκεῖ μοι πρέπειν τῷ καιρῷ, τὸ πειρευθεῖαν παρόσιν οἷον τε τῷ λόγῳ τὰς αἰγάλεις εἰς ἔνυσιαν αἰσχετινὴν τοῦτον τορείας καὶ στρατοπεδείας καὶ πολεμεῖσιν χειρότερον τῷ δυνάμεων. Τίς γαρ δέ τέτως εἴνιον αἰπεικώς τοὺς παλλὰ καὶ σπεδαῖς τῇ ἔργων, οἵς σοι ἀντί βελτιζείν μικρὸν ἐπιμελεῖσερον ἐπισῆμην τοῖς τοιστῶν, οὐτέρ ὁν ἄπαξ αἰγάλεις, ἐπισήμων ἕστη πρεγύματος εἰὸς τοῦτον λόγῳ καὶ γνώσεως.

Ἐστὶ δέ τὸ γένος αὐτῶν τὸ σερπετοπεδεῖας τούτοις. Τοὺς καρδέντας αἰεὶ πάντα πέδος σερποπεδεῖας, τούτοις τοῖς

**H**is rite paratis, Tribuni militum legiones una cum auxiliis accipiunt, & metari castra incipiunt. Est autem apud illos una & simplex circa castrametationes observatio; qua omni tempore ac loco utuntur. propterea visum mihi opportunum jam esse, ut quantum ejus fieri verbis poterit, efficiam, quod audientes modum rationemque illorum cognoscant, disponendi copias in agmine ducendo, metandis castris & acie instruenda. Nam quis adeo alienus sit ab iis quae pulchra sunt & honesta, ut paulò accuratius animum istis nolis intendere? quae si semel percepit, rei inter alias memorabilis ac dignæ notitia evadet peritus?

Est autem castrametatio Romanorum hujusmodi. Quoties locus castris est captus, partem illius quae

(†)

ἔπιπτη.

## Polybii Megalopolitani de Castris

Πητιδειότατον εἰς σύνοψιν ἄμα οὐ  
ωδιγεῖται, η̄ δὲ σρατηγὸς σκληρὴ  
καθελαμβάνει. Τετίσει δὲ τομαῖς,  
δι μέλλοντι πηγινώμα ταῦτιν, διπομ-  
πεῖται πέριξ τοῦ τομαῖς περγάμων  
τοπῷ. ὡς τούτος τὸς τολμεῖς ἐκα-  
τὸν απέχει πόδας τοῦ τομαῖς, τὸ δὲ  
ἐμβαδὸν γίνεσθαι περάπλεθρον. τέττα  
ἡ δὲ χήματος αἱ τολμεῖς μίαν Πη-  
φάνειαν καὶ τολμεῖται, η̄ οὐδὲν οὐ  
διπομπεῖται φανῆς περι τὸν οὐραῖς καὶ  
περιομαῖς τολμεῖται τὰ Ρωμαϊ-  
κὰ σρατόπεδα τὸ τεῖχον τεττάνον. Εξ  
ιπομπεῖτων χιλιάρχων ἐν ἑκάστῳ  
σρατοπέδῳ καὶ τοῖς λόγοις δυεῖν τοῦ  
σρατοπέδων οὖταν τὸ Ρωμαϊκῶν αἱ  
μεθ' ἐκατέρες τὸ πατάτων. Φανερὸν  
ὅτι διδέκα χιλιάρχους ἀνάγκη συ-  
σρατεῖσιν ἐκατέρω τὸ πατάτων. Νι-  
γέασον δὴ τὸς τεττάνων σκληρῶν δύο μίαν  
ἐνθεῖαιν απίστους, η̄ οὐδὲν τολμεῖται  
τῇ δὲ ποτραγώντι περιεργεῖση  
τολμεῖται, πεντήκοντα δὲ απέχει πόδας  
αἱ αὐτῆς ἵπποις ἄμα διαπλυγίοις  
καὶ τῇ λοιπῇ τοῦ χιλιάρχων διπομπεῖ-  
ται. αἱ δὲ σκηναὶ δὲ περιεργεῖση  
χήματος εἰς τέμπατιν απεσραμ-  
μέναι, πήγνυται περι τὸν οὐραῖς Πη-  
φάνειαν. η̄ νοείσθω καὶ παλείσθω ἡ  
καθεπιπέδη μηνὶ αἱ τομαῖς χήμα-  
τος καὶ περιστατων. αἱ φεταῖσθαι δὲ αὐλή-  
λων μηδὲ οὐδὲν αἱ τομαῖς χήματος  
πεσθεῖσαι τὸν, ὡς παρ' ὅλον τὸ  
πατάτος αἱ τὸ Ρωμαϊκῶν σρατοπέ-

ad prospiciendum & dandum man-  
data fuerit commodissima, Præto-  
rium occupat. Vexillo autem eo-  
loci posito ubi Prætorium sunt  
fixuri, spaciū quadratum circa  
ipsum vexillum sic metiuntur, ut  
ab eo latera omnia centum distent  
pedes: ac jugerum quatuor fiat  
area. Ad unum semper figuræ  
hujus aspectum ac latus, quod  
aquaitionibus pabulationibusque  
opportunitissimum visum fuerit,  
Romanæ legiones isto modo col-  
locantur. Sunt in quaque legio-  
ne Tribuni sex, ut modò dice-  
bamus: & quum binas uterque  
Consulum legiones secum habeat:  
palam est, duodecim in utriusque  
exercitu Tribunos necessariò ver-  
sari. Statuant igitur horum omnia  
tentoria ad lineam unam rectam;  
cujus omnes partes à quadrati illius  
latere quod electum fuerit,  
pari intervallo distant. Abest au-  
tēm ab eo pedes 1 est ibi capien-  
dis equis, jumentis & reliquis  
Tribunorum impedimentis locus.  
Porrò tentoria locantur descriptæ  
jam figuræ aversa, extorsum spe-  
ctantia. Eam intelligat lector  
universæ figuræ frontem esse;  
planèque ita semper à nobis vo-  
cabitur. Sejuncta sunt invicem  
Tribunorum tabernacula pari in-  
tervallo: eoque tanto, ut per to-  
tam latitudinem Romanarum le-  
dow

*Scriptum ex Historiarum Lib. VI.*

δῶν παρέκκειν. Ἀπομετρηθέντων τὸν πάλιν ἐκατὸν ποδῶν εἰς τὸ πεδόν εν κατὰ πάσους τὰς σκηναῖς, λοιποῦ δὲ τὸ τέττον τὸ στάτον οὐ μέχσις ἐνθείας, οὐδὲ γίνεται αὐθιγέληλον τὸ τριγλιάρχων σκηναῖς, διπλά ταύτης ἀρχοντικῆς ποιεῖσθαι τὰς τριστοπέδων παρεμβολαῖς, χειρίζονται τὸ πεδόν τοῦτον. Διχοτομήσαντες τὸν περιφρένην εὐθεῖαν, διπλά τούτα τριστοπέδων ορθὰς τὴν γραμμὴν, τὰς ἵππεις ἀνήγειραις τοῖς ἑκατέροις τριστοπέδοις παρεμβαλλόστι, πεντήκοντα διέχοντας πόδας ἀλλήλων, μέσον ποιεῖσθαι τομήν της Διασήματος. ἔστι δὲ οὐδὲ τοῦτον τοπίον καὶ τὸ πεζῶν σκηνοποιία παρεγγέληστο. γίνεται γάρ τὸ ὅλον χῆμα καὶ τὸ σημεῖον καὶ τὸ γλαφύρων τελεγύων. τέτοιον δὲ βλέπει μὲν εἰς τὰς διόδους, ἔχει δὲ τὸ μέρον μηκόν τοις σκηνών, τὸ πεζόν δὲ τὸ δίοδον ἔστι γάρ εκατὸν ποδῶν· ὡς δὲ ὅπτη τὸ πολὺ, καὶ τὸ βάθος τούτου πειρῶνται ποιεῖν, πλέον, τὸ συμμάχων. διπλά δὲ τοῖς μετέχοσι στρατοπέδοις χρῶνται, τὸ καὶ λόγον καὶ τῷ μήκει καὶ τῷ βάθῳ περιτιθέασι. γνωμόμην δὲ τὸ τοπίον παρεμβολῆς κατὰ πέντε πάσι τριγλιάρχων σκηναῖς, οἷοντες ῥύμης θεοῖς θητικαρσίας περιθέσαις ἐνθείαν, καὶ τὸ πεζόν τριγλιάρχων τόπον· τῷ γάρ ὅντις ῥύμαις περιτιθέσαις ποτελεῖται τὸ τριγλιάρχον περιθέσαις, ὡς δὲ εἴ τις εκατέροις τριστοπέδοις μέρεσι, ὡς μὲν ταγμάτων, ὡς δὲ

gionum porrigitur. Rursus initâ mensurâ pedum centum frontem versus è regione omnium istorum tabernaculorum, ab ea linea quæ latitudinem hanc definit, & à dictis tentoriis æqualiter omni parte distat; inde, inquam, legiones locare incipiunt: quo in negotio ita se gerunt. Dictam lineam in duo se- cantes, lineæ ab eo puncto ad re- ctos angulos ductæ, equites legio- nis utriusque adversos inter se ap- plicant: invicem disjunctos pedum quinquaginta intervallo: cuius medium sectio illa obtinet. Est autem tabernaculorum in equite & pedite par ac similis ratio. Efficitur namque universa & manipuli & turmarum figura sive pedatura quadra: eaque ad interjectas vias spectans, longitudinis quidem modum habet definitum juxta ipsam viam; est enim centum pedum: ut plurimum verò etiam ut profunditas sive latitudo eandem mensuram habeat efficere conantur, præter- quam in Sociis. Quoties autem plenioribus legionibus utuntur, & longitudinis & latitudinis modum æqua proportione adaugent. Fit autem metatio hæc equitum oppi- sita mediis Tribunorum tentoriis, similis vico transversa regione du- cto ad modò dictam lineam re- ctam, & eum locum qui est ante tabernacula Tribunorum. Et est revera vicorum similis hæc omnis species intercurrentium varium:

## Polybii Megalopolitani de Castris

δ' ὁλαμῶν ὅπερ τὸ μῆκον παρεμβεῖ  
εἰληφέτων· πλιστὸν τοῖς πεσειρημένοις  
ιππεῦσιν κατέπιπτο τούτοις· αἱ Φοτίρων  
τὸ σεριπέδων Τεραρχίας καὶ ὁλαμῶν  
ἐκάστην ομητίαν ἐν ὄμοιώ χήματι θέσαισ.  
ουμψανόντων μὲν τὸ χηματίων  
ἀλλήλοις, βλεπόντων δὲ ἔμπαλιν περὶ  
τοὺς ἀναντίας τοῖς ιπταῖσιν ὅπιφανει-  
ας, ἥμιους ποιεῦντες τὸ Βάθοντὸν μήκες  
ἐκάστην ομητίας· τῷ δὲ καὶ τὸ παλῆθον  
ἡμίστεις ὡς ὅπιπα εἴναι τατταὶ τὸ ἀλ-  
λῶν μερῶν. διόπερ ἀνίστων ὄντων πολ-  
λάκις τὸ ἀνδρῶν, ισόγειν δὲ ουμβαίνειν  
πάντα. Καὶ μέρη καὶ τὸ μῆκον, Διὰ τὸ  
τὸ Βάθυς Διαφορέων. Αὐθίς δὲ πεντή-  
κοντα πόδας αὐτὸν ἐπατέρων ήταν δύο-  
τησιστες, αὐτίς παρεμβάλλειν τοῖς  
Τεραρχίας τοῖς Περιγυπτας. Ιδόντων  
τὸν τόπον εἰς τὸ πεσειρημένα Διαστή-  
ματα, δύο αὖτα πάλιν δύοτελεῖν την  
ρύμα, ταῖς μὲν δέξιαις δύο τὸν αὐτὸν  
ἐνθείας λαμβάνουσαι, καὶ ταῖς εἰσεβολαῖς  
όμοιών τοῖς ιπταῖσιν, ἐπὶ τὸν περὶ τὸ  
χλιάρχων ἐκαπυμπέδες Διαστήματα. Οἱ  
λίγυσται δὲ τοῖς τὸ κατάγυπτον τὸ χ-  
λιάρχων πλεύσαντὸν χάρεσκον, λι-  
κές δέχεται τοις εἰσεθέμαται καὶ περιστοπον  
εἴναι τὸ παντὸς χήματον. μῆδὲ τοῖς  
Περιγυπτας ὅπατεν ταττων ὄμοιώς  
ἔμπαλιν βλέποντας, ουμψανότεροι τοῖς  
τὸ χήματα θέσαιτες, τοῖς Αστέτας πα-  
ρεμβάλλειν. δέκατοι ομητίας ἐχόντων  
ἀπόντων τὸ μερῶν καὶ τὸν εἰς δέχεται διαι-  
ρεσιν, πάντας ἵζεις ουμβαίνει γίνεσθαι

ut pote secundum quas ab utroque  
latere partim manipuli partim tur-  
mæ porrectas in longum suas me-  
tationes habeant. Cæterū à ter-  
go dictorum equitum, Triarios  
legionis utriusque iis applicant;  
singulos nempe manipulos singulis  
turmis, figura simili. Ita ut tan-  
gentibus se mutuò pedaturis eō  
respiciant Triarii, unde equites  
sunt aversi. latitudinem etiam cu-  
jusque manipuli dimidiam longi-  
tudinis faciunt. quia & ipsi dimi-  
dio fere superantur à cæteris parti-  
bus. qua ratione quum impar sæpe  
sit numerus virorum, semper ta-  
men metationum longitudo est  
æqualis; propter latitudinis varia-  
tionem. Rursus autem intervallo  
pedum quinquaginta ab horum  
utrisque adversos Triariis Princi-  
pes interjiciunt. quibus ad illud  
quod commemoravimus interval-  
lum vergentibus, duæ ecce rursus  
fiunt strigæ, principia atque aditus  
ab eadem rectâ lineâ sumentes  
cum equitibus: area nempe illa  
centum pedum, quæ ante Tribu-  
norum est sedem, desinentes verò  
in latus ambientis castra valli, Tri-  
bunis adversum, quod initio po-  
suimus universæ figuræ frontem  
esse. Proximè Principes, ac pone  
eos, interserunt Hastatos, retrorsus  
iterum spectantes, & pedaturis se  
invicem contingentibus. Quum  
autem in quaque legionis parte  
sint manipuli decem, prout princi-  
pius

*Scriptum ex Historiarum Lib. VI.*

Ταὶς ρύμασι καὶ τῷ μῆκος, οὐτοὶς δὲ πο-  
ταμὰς ιστέζειν αὐτῶν τὰ πρόσθια καὶ τὸ  
περιστώπων τῷ πλάνῳ. Καὶ οὐδέποτε  
λίγης πελεύταις ομοιαίσις ὑποστρέ-  
φουσις σεχτοπεδίων. Απὸ τῆς Ασέ-  
των πεντήκοντα πάλιν Διαλείποντις  
πόδας, τὰς τὴν συμμάχων, ιππαῖς αν-  
ηίδις παρεμβάλλοντα τάπτοις, ποιεῖ μέρος τὸ  
ἀρχικὸν δύπλον τὸ αὐλῆς ἐνθείας, καὶ λήγον-  
τις Πετί τὸ αὐτόπλιον. Εἰσὶ γέ τοι αληθῆς της  
συμμάχων, αἱς ἐπίνω περιεῖπα, τὸ μέρος  
τῆς πεζῶν πάρεσσον τοῖς Ρωμαϊκοῖς σεχ-  
τοπεδίοις, λεῖπον τοῖς ὑπολέμενοις. τὸ γέ της  
ιππαίων διπλασίουν αἱ Φυρρημάριας καὶ  
τάπτων τὸ τείτη μέρος εἰς τὰς ὑπο-  
λέγοντας. Διὸ καὶ τὸ βάθος ἀνδρεύοντες τά-  
πτων περὶ λόγου ἐν τοῖς σεχτοπεδίοις  
καὶ χήρασι, πειρῶνται καὶ τὸ μῆκος  
ἐξισταῖ τοῖς τῷ Ρωμαϊκῶν σεχτοπεδίοις.  
Αποτελεθεῖσαν γέ της απασῶν πέντε  
διάδων, αὖθις εἰς τὸν παταλινὸν ἀπε-  
στραμμάτιας ὄμοιοις τοῖς ιππαῖσι θήσα-  
σι ταὶς της συμμαχικῶν πεζῶν ομοιαῖς,  
ἀνδρεύοντες τὸ βάθος τοῦ λόγου, βλε-  
πόντας γέ περ τὸν καράπανα, οὐκαν  
ταὶς ἐκ τῆς πλαγίων ὑποφανείας  
ἐκπατίρας. καθ' ἐπάσκειν γέ ομοιαῖς  
ταὶς περιτταῖς αἱ φένειας τὸν μέρος  
οκλιώας οἱ Ταξιαρχοὶ λαμβάνοντιν.  
ἄμα γέ της περιερημένον τρόπον παρεμ-  
βαλλούσις καθ' ἐπασον μέρος τὸν  
ἐκπονοῦντα λαμπόν, διπλὸν τὸ πέμπτης πεν-  
τήκοντα πόδας αἱ φιεσσοι. τοῦ φενταλη-  
σίως γέ καὶ ταὶς τῆς πεζῶν πάξεις.

pio eam dīvisimus , strigæ omnes  
pari sunt longitudine , & earum  
quoque extrema æqualiter perti-  
nent ad latus quod est frons ca-  
strorum. quò etiam conversi po-  
stremi manipuli tendunt. Ab Ha-  
statis relicto iterum quinquaginta  
pedum intervallo , Sociorum equi-  
tes locant aduersos : ab eadem  
cum superioribus linea incipien-  
tes , in eadem recta desinentes.  
Multitudo Sociorum , ut jam su-  
prà dixi , peditum quidem par ad-  
modum est Romanis legionibus ;  
detractis Extraordinariis jam facta  
minor : equitum dupla : quo etiam  
ex numero pars tertia in Extraor-  
dinarios est detracta. iccirco in-  
castrametationum pedaturis in-  
stituendis , pro rata ad horum lati-  
tudinem adjiciendo , ut longitudi-  
ne pares sint Romanis legionibus  
efficere conantur.. Ubi jam sunt  
absolutæ intercurrentes viæ (quin-  
que omnino hæ sunt ) manipulos  
auxiliorum equitibus apponunt ab  
illis aversos, itidem ut antea: & lati-  
tudinem his ad portionem augent.  
pectant autem hi manipuli vallum  
versus , & versus latera ab utraque  
parte. In singulis autem manipu-  
lis prima hinc & inde tabernacula  
a Centuriones occupant. Simul,  
lum eo quem indicavi modo, equi-  
es utrinq; disponunt , sextam tur-  
nam à quinta spatio pedum quin-  
quaginta separant. idemq; in pedi-  
um quoque manipulis observant :

(+) 3

၁၅၈

## Polybii Megalopolitani de Castris

ώσε τίγνεαδή καὶ πάτης ἄλλων οὐκι  
μέσων τὸ σερποπέδων δίοδον, Ἐπι-  
κάρπου φλυτόπεδου Κερίμου, ωρχίλ-  
ληλον ἥ τὸ τὸ γιλιάρχων σκηναῖς, λι-  
καλέστη πέμπτης, οὐκὶ τὸ ωρχίλη τὰ  
πεμπτὰ Τύγματα παρήκεν. Οἱ δὲ  
ταῦτα τὰς τῷ γιλιάρχῳ σκηναῖς  
ὅπαδεν τὸ πτυχίον τοπεπλωκάς, ἐξ  
ἐκατέρων ἥ τὸ μέρης τὸ τὸ σερπηγύθ  
ωρχιστέσσεως ωρχιστείρημα, οὐ μὲν εἰς  
ἀγοραῖν γίνεται τὸ πτυχίον, οὐ δὲ ἔτερον τῷ  
τῷ Καμίᾳ, η τὸ ἀμφα τάττω χορηγίας.  
Διπλὸν ἥ τὸ ἔφεντέρχεται πλεύσείας τὸ  
γιλιάρχων σκηνῆς, κατόπιν οἷον Ἐπι-  
κάρπου ἔχοντες Εὖτις τοὺς ταὶς σκη-  
ναῖς, οἱ τὸ Πτιλέντων ἴπτεῶν διπλε-  
κτοι, καὶ θίνεις τῷ γιλιάρχῳ ἔθελον τηδὸν σερ-  
πηγύθομένων τῇ τὸ υπάτων χάρει. πάνε-  
της γά τοι σερποπέδωμα γιλιάρχοι ταὶς σκη-  
ναῖς τὸ πλαγίων τὸ χάρακον Επιφανείας.  
Βλέποντες οἱ μὲν Ἐπὶ ταὶς τὸ Καμέις  
ωρχιστικά, οἱ δὲ σκηνῆς πλαγίων εἰς  
τὸ ἀγοράν. ὡς δὲ Ἐπὶ τὸ πολὺ ουρμαίνει  
τάττοις, μηδέ μόνον σερποπέδωμαν ου-  
νεγίσις τὸ τσατών, ἀλλὰ καὶ τὰς πο-  
ρείας, καὶ καὶ τὰς ἄλλας χρείας τοῦ τὸ  
υπατον, η τὸ Καμίαν ποιεῖσθαι τὸ Επιμέ-  
λειαν, η τὸ ὄλλων στατιζεῖσθαι. αὐτίκεν) ἥ τάττοις Ἐπὶ τὸ χάρακα βλέποντες οἱ  
τὸ ωρχιστηρίους χρείας παρεχόμενοι  
πεζοὶ τοῖς περιερμένοις ἴπτεῦσιν.  
Ἐξης ἥ τάττοις δίοδος τὸ διπλείπετη  
πλάτον ποδῶν ἐκατόν, ωρχιλληλοί  
μὲν τὸ τῷ γιλιάρχων σκηναῖς. Ἐπὶ

ita ut fiat hæc quoq; transitio per via per medias legiones: quæ ratione quidem strigarum transversa regione ducitur: ratione verò tabernaculorū ubi tendunt Tribuni, lineam rectam facit æqualiter ab iis distantem. Hanc Romani quia secundum quintos ordines pergit, Quintanam nominant. Qui autem posticæ parti tabernaculorum ubi tendunt Tribuni subjacet locus, & vacuo circa prætorium spacio utrinque adjacet, ejus unam partem occupat Forum; alteram Quæstor & res exercitui necessariæ quæ illum sequuntur. Ab extremito verò in utraque parte Tribunitio tentorio, à tergo quasi inflexam efficientes cum ipsis tabernaculis figuram, metantur Selecti ex equitibus Extraordinariis, & eorum nonnulli qui ultro in gratiam Consulim militant. Omnes his secundum latera castrorum locati, spectant partim Quæstoriæ apparatus, partim qui his sunt oppositi, Forum. Ac fere solent isti non metari tantum prope Consulē: verùm etiam quoties agmen ducitur, aut aliud quod eorum fit quæ usus postulat, Consulē & Quæstorem observare, & circa eos continenter agere. Opponuntur his spectantes vallum versus pedites, qui similia modò dictis equitibus ministeria obeunt. Secundum istos via relinquitur pedes centum lata: quæ è regione taber-

*Scriptum ex Historiarum Lib. VI.*

δάτερος ἐς αἰγαρέας, καὶ τὸ σεατηγίσ, οὐδὲ τὸ Ταμιεῖον τοῦ διοικείου, τοῦδε πάντας τὰ τε περιπολίαν μέρη τοιχώματα καὶ τοιχοπόλεις. τούτων τοῦτοις, οἱ τὸ συμμάχων ἵππους ὅπλιτοι σεριποπέδους, βλέποντες θίτε τὸ αἰγαρέαν ἄμα καὶ τὸ σεατηγίσ, καὶ τὸ Ταμιεῖον. καὶ μέσων ἐς τὴν τάπτων τὴν πατέων παρεμβολήν, καὶ καὶ αὐτῶν τὸ τε σεατηγίσ περίστασιν, διόδῳ διπλαίσιον πεντήκοντα ποδῶν. φέρουσα μὲν ἡπτὸν τὸ ὅπλον πλαστρὸν τὸ σεριποπέδιον, τῇδε τῷδε σφραγίδιον τὸν καιρόν τῆς περιηργείας πλατείᾳ. τοὺς δὲ ἵππους τούτοις αὐτίτυποι πίθενται πάλιν οἱ τὸ συμμάχων ὅπλιτοις πεζοί. βλέποντες τοὺς τὸ χαίραντα, καὶ τὸ ὅπλον ὅπλον φάνεται τὸ ὀληγστρατοπεδεῖας. τὸ δὲ διπλαίσιον ἔξι ἵπποις τὸ μέρης τέτων πένταμα τοῦδε ταῖς ἐκ τῆς πλαζίων πλαστρὸς δίδοι τοῖς ἀλλοφύλοις, καὶ τοῖς ἐκ τὸν καιρὸν πεστημονέοις συμμάχοις, τέτων δὲ ταῖς ἐχόντων, τὸ μὲν σύμπτων χῆρα γίνεται τὸ σεριποπέδιον τελείγωντον ιστπλαστρον. τοῦτο δὲ τοῦ μέρος ἥδη τὸ πρυμολογίας εὖ αἴτη, καὶ τὸ ἄλλης ὀικενερμίας πόλεις τοῦδε πλησίαι ἔχει τὸ Διάφεστον. τούτον τὸν χαίραντα σκηνῶν αὐτίτυπον καὶ πάτας ταῖς ὅπλοις πλακοτοίς πόδας. τοῦτο δὲ τὸ κένωμα, πολλαῖς καὶ δοκίμας αὐτοῖς παρέχεται γρείας. τούτος τε γέλας εἰσιγωγαῖς, καὶ ταῖς ἐξαγωγαῖς τὸ σεριποπέδων διφυῶς ἔχει, καὶ δεύτης ἔκαστος γέλας καὶ

## Polybii Megalopolitani de Castris

Τοις ἑαυτῶν ρύμασι εἰς τόποι τὸ κένωμα παιχνίδη τὸ έξοδον, ἀλλ' ὅπου εἰς μίαν συμπιεῖσθαις αὐτοτέλεσθαι καὶ συμπατήσον αἰλούλας· Τοις τε τὸ περισσοτερούμενων Θρεμμάτων, καὶ ταῖς ὅπερῶν πληρείων λείσεις εἰς τόπον ὡρίζονταις αὐτοφαλῶς πρᾶσι ταῖς νύκτας. τὸ δὲ μέγιστον, ἐν ταῖς ὅπισθεσσοις ταῖς νυκτερερναῖς, γέτε πῦρ γέτε Βέλαρος ἐξικνέτη πορῆσις αὐτάς, πλεύτελείας ὀλίγων. γίνεται δὲ ταῖς ταχείδον αἴσθασθαι, οὐαί τε τὸ μέγεθος τὸ δύστοσόσεως, καὶ οὐαί τὸ τοκεών αὐτοτέλεσθαι. Δεδομένης δὲ τὸ πλήθυσον, καὶ τὸ πεζὸν καὶ τὸ ιππόσιον, καθ' ἕκαπτερην τὸ ποσέθεσιν, ἀν τε τετρακινδιάσις, ἀν τε πεντακινδιάσις εἰς ἔκαστον στρατόπεδον πιῶσι· ὡρίζονται δηλοίσις δὲ τὸ πεζὸν καὶ τὸ ιππόσιον καὶ τὸ ιππόσιον, τὸ πλήθος τοις διόδοσι καὶ πλατείαις θεατημάτων· ὅμοιως δὲ τὸ αἴλων αἴπαντων δεδομένων. συμβαίνει τοῖς βελοφύροις σωματεῖσιν καὶ τὸ χωρίς τὸ μέγεθος, καὶ τοῖς ὀλίγοις αἴριμέστερον τὸ παρεμβολῆς. Εἳς δέ ποτε πλεονάζει τὸ τῆρας συμμάχων πλῆθος, ή τὸ ἐξ αρχῆς ουρανούμενων, ή τὸ ὅπου τὸ πατρῷον περιγραμμένων· τοῖς μὲν ὅπου τὸ πατρῷον, πατερηρμένοις καὶ τοῖς ὡρίζοντα στρατήγοις αὐτοπληρώσι τόπος· τὸ αὐτορεῖν καὶ τὸ Θεμιτόν, σωματείους εἰς αἴλων

suę quisque strigae in locum hunc inanem se effundunt: neque in eandem viam concursu facto omnium, sese invicem evertunt ac conculcant. ad hæc, prædam, sive pecudum quæ è vicinis locis subinde abiguntur, sive illam quæ hostibus adimitur, horsum cogunt & per noctes tuentur. Maximum verò est quod in nocturnis invasionibus neque ignis neque telum ad eos pertingit, nisi per quam raffissimè: & id quoque fere sine ullo damno; cum propter intervalli longitudinem, tum propter circumposita tentoria. Quum igitur data explorataque sit quæ peditum quæ equitum multitudo in singulis legionibus, sive quatuor millium, sive quinque eas facere voluerint: posita etiam profunditatis, longitudinis & latitudinis indicia: hoc amplius intervalla arctiorum & latiorum viarum, pariterque alia hoc genus omnia quum data sint; facile erit cupientibus magnitudinem spatii totius, atque adeo castrorum universum ambitum, simul intelligere. Quod si major aliquando Sociorum adsit copia, qui vel ab initio expeditionis comites fuerint, vel pro tempore postea advenerint: istis quidem quos occasio adduxit, præter jam dicta, etiam vacua circa Praetorium loca complent: Forum & Quæstorium in eundem, quem potissimum præsens utilitas sugget.

τὸ πα-

*Scriptum ex Historiarum Lib. VI.*

την κατεπίγοντας περὶ τὸ γένειαν τόπου.  
ποῖς δὲ ἐξ ἀρχῆς σωματορθομόδιοις,  
ἐσεν δὲ τῷ τοῦ θεοῦ [www.katholiki.com](http://www.katholiki.com)  
μίαν ἐξ ἑκατέρους μέρες τῷ Ρωμαϊ-  
κῶν στρατοπέδων περὶ τὸ αρχά-  
στις τῷ τοῦ πλαγίαν Ἐπι-  
Φανέας ωδὴν ἔθεσεν. Πάντων δὲ τοῦ  
τε θάρρων στρατοπέδων, καὶ τοῦ τοπίου  
ἀμφοτέρων εἰς ἓντα χαρεῖσα σω-  
θροισθέντων· γένεντο περον δεῖ νοεῖν,  
τολμὸν δύο στρατίων καὶ τὸ ἄρι λόγον  
παρεμβεβλημάτις αὐτεπραμένας αν-  
ταῖς σωηρυμόδῃ, σωπάτισσας καὶ τὰς  
τὴν Επιλέκτων ἑκατέρους δύο στρατοπέδους  
παρεμβολάς. ἣς ἐπιειδή μὴ εἰς τὴν  
ὅπισσα Βλέποντας ἘπιΦανέαν τὸ ὅλης  
παρεμβολῆς. ὅτε δὲ συμβαινεῖ γίνεσθαι  
τὸ μὴ χῆμα τὸ δέσμηντος, τὸ δὲ χω-  
ρεῖον διπλάσιον τὸ περόμενον, τὸ δὲ τεί-  
μετρον ἡμιόλιον. ὅταν μὴ γίνη συμ-  
βαίνη τὸς τοπίους αμφοτέρως ὁμοίως  
στρατοπέδους, γίνεται ἀεὶ χεῶν τοῖς  
στρατοπεδίαις. ὅταν δὲ χωρίς, τὸ  
ἄλλα μὲν ὠσαύτως, τὸ δὲ αὔριον, καὶ τὸ  
ταμεῖον, καὶ τὸ στρατόγραμμον, μέσον ἔθεσος  
τὸ δυναῖν στρατοπέδων. Μετὰ δὲ τὸ στρατο-  
πεδεῖαν ζωαθροισθέντες οἱ χιλιάρ-  
χοι, τὰς δὲ τὸ στρατοπέδου πάντας ἐλεύ-  
θερος ὁμοίως διέλαγος ὄρκιζοσι, καθ' ἓντα  
ποιεῖμενοι τὸ ὄρκισμόν. Οἱ δὲ ὄρκοι ἔσιν·  
ΜΗ ΔΕΝ ΕΚ ΤΗΣ ΠΑΡΕΜΒΟ-  
ΛΗΣ ΚΛΕΨΕΙΝ· ΑΛΛΑ ΚΑΝ  
ΕΤΡΗ ΤΙΣ, ΤΟΥΤ' ΑΝΟΙΣΕΙΝ  
ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΧΙΛΙΑΡΧΟΥΣ.

gesserit, conferentes locum. Iis  
verò qui ab initio comitantur, lo-  
candis, si major eorum sit nume-  
rus, strigam unam ab utraque  
parte Romanarum legionum, ad  
superiorem metaturam, in lateri-  
bus castrorum apponunt. At si  
quatuor legiones & Consules am-  
bo intra unum vallum fuerint  
congregati; aliud nihil fingere  
animo debes, nisi duos exercitus  
exposito jam modo locatos, co-  
hærere inter se, invicem sibi ob-  
versos, contingentes sese qua parte  
utriusque exercitus Extraordina-  
rii, quos statuebamus tergum uni-  
versorum castrorum spectare, me-  
tantur. cum quidem usuvenit, ut  
figura sit oblonga, spatium prior-  
is duplum, circuitus sesqualter.  
Ac quoties quidem Coss. ambo  
juncta habent castra, semper hoc  
modo illa disponuntur: quoties  
verò separata; cætera quidem ut  
dictum est antea locant; Forum  
verò, Quæstorium & Prætorium  
in medio constituant utriusque ex-  
ercitus. Peracta metatione castro-  
rum, convenient in unum Tri-  
buni, & ab omnibus qui in legio-  
ne quaque sunt liberi aut servi, jus-  
jurandum exigunt, viritim singu-  
lis jurantibus. Est illud ejusmodi:  
**NIHIL E CASTRIS SE  
FURATURUM: VERUM  
ETSI QUID FORTE ALI-  
QUIS INVENERIT, AD  
TRIBUNOS RELATURUM.**

(††)

၁၃၇

## Polybii Megalopolitani de Castris

Εξης ἦ τάποις δίεται εν ταῖς σημαῖαις  
 ἐξ ἑκάστης στρατοπέδου τῆς Περιγύπτων,  
 καὶ ~~ταῦτα τούτοις μετέτενεν~~ τὴν Σπιρέ-  
 λειαν τὸ πόπλον τοῦ θύμου χλιάρχων.  
 την γὰρ Διορεῖται εἰναὶ ταῖς καθηρε-  
 είαις οἱ απλεῖστοι τῆς Ρωμαίων εἰναὶ τούτη  
 ποιεῖν) τῇ πλατείᾳ διόπερ αἱ σπον-  
 δάζουσαι τοῖς πάντης, οἵσις ἑκάστη  
 καλλιώη σφίσιν Σπιρελῶς. Τῷ δὲ  
 λοιπῶν ὄπισται δεῖξαι, τεῖται ἑκάστη  
 τῷ χλιάρχῳ Διορεῖται. ποσῶν  
 γάρ εἰσι ταῦτα τῆς Ασάτων καὶ Περιγύπτων εἰναὶ<sup>τοις</sup>  
 ἑκάστῳ στρατοπέδῳ σημαῖαι, καὶ τὸ ἀρ-  
 ρήσειαν Διορεῖται. χλιάρχοι δὲ ἔχουσαι  
 τὸ τεῖταιν σημαῖαν αὐτὸι μέρεις ἑκάστη  
 ἑκάστῳ τῷ χλιάρχῳ λειτεργοῦντες λει-  
 τεργίαι τοιαύτην. ἐπειδαὶ κατεγρα-  
 το πεδίστως, τὸ σκληρὸν ισάσιον ἐποιεῖ,  
 καὶ τὸ τεῖταιν σκληρὸν τόπον ηδαφίσαιν.  
 καὶ οὐ τοῖς φερεῖσιν δέη τῷ χλιάρχῳ  
 αὐτοφαλέας χάριν, ἐποιεῖ φροντίζοντι.  
 διδόσσει δὲ καὶ Φυλάκεια δύο. τὸ δὲ Φυ-  
 λάκειον εἴσι τὸν πεττάρων αὐτορῶν, ὃν οἱ  
 μὲν τοῦτοι σκληρῆς, οἱ δὲ κατόπιν ωρίδη  
 τὰς ἴππων ποιεῖν) τὸ Φυλάκιον. ωστὸν  
 δὲ σημαῖαν ἑκάστῳ χλιάρχῳ τείταιν, εἰναὶ<sup>τοις</sup>  
 ἑκάστῃ τῷ τείταιν αὐτορῶν τὸν αρχόντων  
 πάτερ τὰς ἑκάστην, χωρὶς τὴν Τελε-  
 είων καὶ γεοσφοριάχων (εἰτοι γάρ δὲ  
 λειτεργοῦσι) τὸ μὲν ἔργον γίνεται πε-  
 φον, Διὸς τὸ ωρίδη τείταιν ιμέρεσσαν  
 ἑκάστη σημαῖα κατέκαιτο την λειτερ-  
 γίαν. ποιεῖ δὲ χλιάρχοις αὔτα μὲν τὸ  
 τὸ εὐχετήσιας αὐτογνάτον, αὔτα δὲ τὸ

Secundum hæc manipulos Principi-  
 pum & Haftatorum cuiusque legi-  
 onis ordinant: duos ad curam loci  
 ante Tribunorum tentoria. in hac  
 namque lata via plerique Roma-  
 norum dies totos versantur, pro-  
 pterea ut aspergatur ac scopis  
 mundetur diligenter, curam sem-  
 per adhibent. ē reliquis octodecim  
 manipulis ternos singuli Tribuni  
 sortiuntur: tot enim sunt in una-  
 quaque legione ex superiore no-  
 stra tributione, Haftatorum ac  
 Principum manipuli: Tribuni au-  
 tem militum sex. Trium autem  
 horum manipulorum quisque  
 suam vicem Tribuno hujusmodi  
 præstant ministerium. Ubi castris  
 locus est captus, hi sunt qui ten-  
 torium statuere, & locum circa  
 pavire ac complanare solent. &  
 si quid ad utensilium custodiam  
 fuerit septo claudendum, id quo-  
 que istis curæ. præstant & binas  
 excubias. Harum singulas quater-  
 ni viri obeunt: quorum pars ante  
 tabernacula, pars à tergo juxta  
 equos ponitur in custodia. Quum  
 autem quisque Tribunorum tres  
 habeat manipulos, & in quoque eo-  
 rum milites supra centum, præter  
 Triarios & Velites, qui non mini-  
 strant, haud grave illis hoc munus  
 est; quarto demum die vice sua ad  
 singulos manipulos redeunte: at  
 Tribunorum tum commoditati  
 ad ea quæ sunt necessaria hac ra-

*Scriptum ex Historiarum Lib. VI.*

tionē consulitur; tum etiam honori, ad dignitatem & auctoritatem eis conciliandam. Triariorum verò manipuli à ministrando Tribunis sunt liberi: sed eorum singuli turmis equitum quotidie quaternos milites præbent, ad excubandum ei turmæ, quæ à tergo proxime assidet. Hi cum alia custodiunt, tum equos maxime: ne aut vinculis impliciti fiant inutiles, aut soluti in alios equos incidant & trepidationem ac tumultum in exercitu faciant. Unus porro è cunctis manipulis, suam quisque vicem Imperatori excubat; qui & tutum ab infidiis eum præstat & imperii majestatem simul ornat. Porro in præducenda fossa & struendo vallo, duo Sociis latera incumbunt, ad quæ ipsorum utraque ala metatur: duo reliqua Romanis; utriusque legioni unum. Diviso autem per manipulos unoquoque latere, quum per partes curent Centuriones, ipsi instantes operi: lateris universi probatio ad duos e Tribunis pertinet. Similiter & cæteram castrorum curam hi sustinent. in binos enim dividentes sese, mutua vice semestris spacii menses duos imperant: ac quibus sors evenit, ii omnibus quæ in castris geruntur, præsunt. Eadem est ratio imperandi & Præfectorum inter Socios.

Polybii Megalopolitani de Castris

μάχες. Οι δέ ιπταῖς καὶ Τεξίαρχοι, πάντες ἀμα τῷ Φωτὶ αὐθεγίνονται τεὸς <http://www.lib.ru/literatura/antik/teksy/teksy.htm> οἱ Ἰχλιάρχοι τεὸς τὸν υπατον· καὶ εἰ-νθὲν μὴ τὸ κατεπεῖχεν αὐτὸν γέλλει τοῖς ιχλιάρχοις, οἱ Ἰχλιάρχοι τοῖς ιπταῖσι καὶ Τεξίαρχοις. ὅτι δὲ τοῖς πόλοις, ὅταν ἐκαστὸν ὁ καιρὸς ἦ. Τέλος δὲ τὸ συκτερυνθεῖσμα τοῦ φαλισσοῦ τοῦ ιχλιάρχου τοῦ ιπτατον τοῦ πεζῶν, οἱ δὲ δεκάτης ομοιαῖς ἐν τοῖς τελετάσιοις μέρεσι σφραγίσθεισιν καὶ τοὺς ρύμας. ἐκ τοτεων εἰς ἐκάστης αὐτῆς λαμβάνεται καὶ ἀκλογεῖ, ὃς τὸ μὴ τὰς Φυλακὰς λατηργιῶν διπολύεται τοῦ ιχλιάρχου δέ εἰ καθ' οἵμε-ρον διώσοι τὸν τοῦ ιχλιάρχου σκηνεῖ, καὶ λαβῶν τὸ σωθήμα (τοῦτο δέ εἰς τολματεῖον ἔπιγεγεμ-μόν) ἀπαλλάσσεται πάλιν. αὐταχω-ρίσις δέ ἔπειτα τὸν αὐτὸν ομοιαῖ, τότε ξυλή Φιον παρέδωκε, καὶ τὸ σωθήμα μὲν μαρτύρων τῷ τῆς ἔχομένης ομοιαῖς ηγεμόνι τοῦ ιχλιάρχου τοῖς πάλιν ἔτη τῷ τοῦ ιχλιάρχου τοῦ δέ εἴδομον ἐξῆς ποιεῖσται πάντες, ἑως αὐτὸν τοὺς περίτελας καὶ σωμέγισι τοῖς ιχλιάρ-χοις σφραγίσθεισι ομοιαῖς ἐξι-κνῆται. τότε δέ δεῖ τὸ πλατεῖον ἐν Φωτὸς ὄντος αὐταφέρειν τεὸς τοὺς ιχλιάρχας. καὶ μὴ ἀνενεχθῇ πάνται τὸ δοξεῖται, γιγνώσκει, διόπι δέδεσται τὸ σωθήμα πᾶσι, καὶ μὴ πάντων εἰς

Ad Tribunorum tabernacula luce orta equites præsto sunt, & ductores ordinum: Tribuni statim ad Consulem. hic quæ usus postulat Tribunis mandat; Tribuni equitibus & Centurionibus: isti militibus, ubi suum quæque res tempus est naœta. In nocturnæ tesseræ traditione ne quid pecetur, hoc carent modo. In unoquoque genere equitum peditumque, milites decimi signi in extremis partibus strigaram metantur. è singulis istis decimis ordinibus unum inter omnes eligunt, quem ab excubandi munere liberant. Hic quotidie circa solis occasum ad Tribuni tentorium venit, & tessera accepta (ea est, latior tabella inscripta) revertitur: qui ut ad signum suum est reversus, parvulum id lignum ac simul tesseram adhibitis testibus proximi ordinis ductori tradit: ille simili- ter, sequentis Centurioni: atque idem omnes deinceps faciunt: donec ad primos ordines qui prope Tribunos tendunt, signum perveniat. Hos oportet tabellam ad Tribunos referre dum adhuc lucet. Tribunus si omnes fuerint relatæ quas dederat; cognoscit tesseram ad omnes, & per omnes ad se venisse. si desit aliqua, è vestigio quâ factum sit hoc, inquirit: notum habens ex inscriptione, cuius partis tabella non sit allata. atque is per quem stetis-

Scriptum ex Historiarum Lib. VI.

αὐτὸν ἦνδι. εἰς δὲ ἐλείπη οὐ, οὐδὲ  
πόδας γνητεῖ τὸ γεγονός, εἰδὼς όν τὸ  
ὅπιγραφῆς σύντομον μέρος οὐκέτι τὸ  
πλατεῖον. ὃ δ' αὖθις τὸ καλώμα,  
τυγχάνει τὸ παρηγόντος ἡμέρας. Τὰ δὲ  
τοῖς Ιατροῖς παρεργασίαις Φυλακαὶ γέτωσαν  
οἰκενομεῖται παρ' αὐτοῖς. τὸ μὲν σερ-  
τηγέν, καὶ τὸ τέττα σκηνῶν ηγέτησι-  
τῶσα ομηρία Φυλακῶν. τὰς δὲ τὴν χι-  
λιάρχων καὶ τὰς τὴν πατέρων γλαυκάς,  
οἱ Διαπτεγμένοι, καὶ τὸ ἄρι λίγον,  
ἔξ οὐδεσσι ομηρίας. Ομοίως δὲ καὶ παρ'  
ἐκαστον Κύρια πάντες ἔξ οὐτῶν θι-  
θέασι Φυλακών ταῖς ἢ λοιπαῖς ὁ σπα-  
τηγὸς διπλάσιος. γίνουσαι δὲ οἱ θέτιπαν  
τοῖς Φυλακαὶ οὐδὲ τὸ Καμίαν, καὶ  
παρ' ἐκαστον τὸ πεστελλτῶν, καὶ συμβά-  
λων δύο. τὸ δὲ σκηνὸς ὅπιφάνειαν οἱ  
χειροφοριδοί πληρώσοι, παρ' οὐλού  
καθ' οὐρέσσι τὸ χάρεμα οὐδεικοτεύ-  
πει. Αὕτη γὰρ θέτιπακτη τέττας η  
λειτεργία. Πρὶν τῶν εἰσόδων αὐτὰ δένα  
ποιεῖνται τέτταν αὐτὸς Ιατροκοπεῖας.  
τὸ δὲ εἰς Ιατρούς Φυλακαὶ διπλάσιεν-  
των αὐτὸς ἐπάντα Φυλακεῖς, τὸ τηλ  
πρέστης μελλόντες πρέπει, εἰς ἔξ οὐδεσσι  
ομηρίας γραμμής αὔριτος τὸ χιλιάρ-  
χον ιστέρεσσι. οὐ δὲ δίδωσι τέτταις πᾶσι  
ξυλίφια καὶ Φυλακών, Βεργέα πε-  
λέως ἔχοντα χαρακτῆρα. λαβόντες  
δὲ δέ τοις μὲν θέτη τὰς διπλεδειγμένας  
απαιλάδιθοι ταῦπεις. Ηδὲ τὸ ἐφο-  
δεῖας πίσις, εἰς τὰς ιππαῖς αὐτοῖς πεποιημένης.  
Δεῖ γὰρ τὸ πεζῶν ιλιάρχου καθ' ἐκαστον

se invenitur, multa condigna  
afficitur. Quod ad vigilias nocturnas,  
ex administrantur à Romanis  
hoc modo. Imperatorem &  
Prætorium ejus custodit manipulus  
ante fores solitus. excubare.  
Tribunorum tabernacula & equi-  
tum turmas, qui ad id sunt desi-  
gnati ē singulis manipulis, ut  
ante diximus. Similiter etiam ad  
quemque ordinem excubias ē suo  
numero omnes locant. reliquas  
Imperator ipse disponit. ferè  
autem ad Quæstoris tutelam ter-  
næ excubiæ constituuntur: ad  
Legatorum, qui concilium par-  
ticipant, binæ at laterum exte-  
riorum custodiām velites agunt,  
qui propter vallum totum de die  
in excubiis manent. Hoc enim  
muneris est illis impositum. Hi  
ad uniuscujusque portæ ac lateris  
custodiām de suo numero denas  
collocant excubias. E singulis  
autem quaternionibus eorum qui  
ad custodias agendas sunt desti-  
nati, ille qui primus in statione  
est futurus, ad Tribunum vespere  
deducitur ab agminis coactore  
cujusque signi. Tribunus omni-  
bus his pro singulis excubiis par-  
vulas ē ligno tessellas tradit oppidò  
exiguae, quæ nota quadam  
sunt insignitæ. illi his acceptis  
ad designatas quisque stationes  
concedunt. At circuitonis fides  
curæ equitum demandatur. O-  
portet enim ut qui primi sunt

## Polybii Megalopolitani de Castris

στρατίπεδον ἐν τῇ ξεργαῶν τῷσιν αὐτὸς  
 τοῦσεγγέλαι πέωνι τοῦσεγγέλαια  
 τοισιν [www.libtpol.com](http://www.libtpol.com) ἐμφα-  
 νίσῃ νεανίσκεις τῷσιν ἐκ τοῖς idias ἵλης  
 τοισι δέξιτοις τοῖς μετάλλοις ἐφοδεῖσιν.  
 οὗτοι τῷσι τῷσι τὸν ἐχομένην ἵλην ἱγε-  
 μόνιν δὲ τὸν ἀντὸν ἀφ' εἰσέρεας τοῦσεγγέ-  
 λαια, διότι τατῷ φανήσι τὸν τῷσι τὸν ἄνερον.  
 τοισιν οἵτινεσι, τοῦσεγγέλαιοις εἰς  
 τὴν Πεντελικὸν ἥμερον. οἱροίσι δὲ τὸν τοισι  
 εξῆς. οἱ δὲ περιεργέντες τοῦτο τὸν ξερ-  
 γάνων, ἐκ τοῖς περιτητοῖς ἵλης τεττάρες, οὐτε-  
 δαν διαλέχωσι τοῖς Φυλακαῖς, πο-  
 ρθέοντες τὸν τοῦσεγγέλαιον, ηγαφέων  
 λαμβάνοντες, \* πόστας ἡ πόστας ἐφοδεῦ-  
 σιν δὲ Φυλακαῖς· οὗτοι δὲ ποῦται τοῦσεγγέ-  
 λαιοῖς τοῖς περιτητοῖς οὐτε περιτητοῖς οὐτε  
 ομοιαῖς τὴν Τερασίων· οὐ γὰρ ταῦτα  
 Σεξίαρχοι τὴν Πεντελικὸν πείσαντες  
 ηγενέσθαι Φυλακαὶ Βακαλαῖ. Σωάψαντος  
 οὗτοι παρεῖται περιτητοῖς ἐφοδεῖσι Φυλα-  
 καὶ οὐ ταῦτα λαχών, ἔχων μετ' αὐτὸς  
 μάρτυρες τὸν Φίλων. Θητορέστηκε δὲ  
 τοισιν ἑρμέναις τοπες, & μόνον τοισιν τοῖς  
 τοῦσεγγέλαιον ταῖς εἰσόδοις, ἀλλὰ καὶ τοισι  
 καὶ ομοιαῖς ἀπαλλαῖς, οὐκ τοισιν καὶ  
 γλαυκοῖς. οὐδὲν οὐδὲν εὑρηται τοισιν Φυλακαῖς  
 τοῦτο περιτητοῖς ἐργαζούσας, λαμβάνει  
 τοῦσεγγέλαιον ταῖς παρεῖται. οὐδὲν εὑρη-  
 κοιμάνθρωπον, ηλεοτοπέται θνάτον τοῦτον,  
 θητορεγγέλαιον τοῦτον σύνεγγινε,  
 οὐπαλλαῖται. τὸ οὗτον τοῦσεγγέλαιον γί-  
 νεται

in quaque legione Turmarum  
 præfecti, uni è suis coactoribus  
 agminis mane hujusmodi dent  
 præceptum: ac jove nibus quatuor  
 suæ turmæ ante prandium edicat,  
 ipsoles esse qui circuire debeant.  
 deinde præfecto turmæ secun-  
 dæ significare idem tenetur sub  
 vesperam, pertinere ad ipsum  
 circuitio nis munus in diem se-  
 quentem. Hunc quoque simili-  
 ter, ubi præceptum accepit, ea-  
 dem facere cum jam dictis in pro-  
 ximum diem oportet; & ita alios  
 quoque deinceps. Quatuor autem  
 illi quos è prima turma agminis  
 coactores elegerunt, vigilias in-  
 ter se fortiti, Tribunum adeunt,  
 & scriptum ab eo accipiunt, quæ  
 loca & quot vigilias obire oport-  
 eat: deinde ad primum manipu-  
 lum Triariorum excubias agunt  
 illi quatuor: quoniam ejus Cen-  
 turioni cura incumbit ad quam-  
 que vigiliam buccina signum dan-  
 di. Ubi tempus venit, primam  
 vigiliam circuit qui eam fuerit  
 sortitus, testes secum habens, ex  
 amicis nonnullos. obit autem hic  
 dictas stationes non circa vallum  
 dumtaxat & portas, verum etiam  
 circa manipulos omnes ac turmas.  
 qui si primæ vigiliæ custodes of-  
 fenderit vigilantes, tenue illud  
 lignum ab iis accipit. at si aliquis  
 dormiens fuerit inventus, aut qui  
 stationem deseruerit, attestatus  
 eos qui adsunt, abit. Consimile

Scriptum ex Historiarum Lib. VI.

νεταὶ καὶ τῶι τοῖς ἐξῆς Φυλακᾶς  
ἐΦοδοῦντων. τὸ δὲ ὅπιμέλιαν δὲ τὴν  
Φυλακὴν βουλαῖς περιέλαβεν  
ἴνα σύμφωνον ἡ τοῖς ἐΦοδοῦσι τοὺς  
τὰς Φυλακίας, οἱ τὸ περιθυη  
μαῖας τῷ Τελεστίῳ ἐξ ἐκατόρτῳ δὲ  
σερποπέδῳ Καζίαρχοι, καθ' ημέραν  
πιῶνται. τὸ δὲ ἐΦόδων ἕκαστοι ἀμα  
τῷ Φωτὶ τοὺς τὴν χιλιάρχον ἀνάφερεν  
τὸ σωμήτρια· καὶ μὴν ἡ πάντα τὰ δε  
δουλία χωρὶς ἐγκλήματος, ἀπαλ  
λάσθιον πάλιν. αὐτὸν δὲ οὐδὲ ἀδίτῳ Φέρη  
δὲ τοῦτο τὸ Φυλακίων, ζητῶσιν ὅποι  
τὸ χαρακτήρα, πῶιον ὅποι τῶν Φυλα  
κίων λέσσοιπε. τότε δὲ γνωθέντος,  
καλεῖ τὸ Καζίαρχον. Στρατός δὲ τὸ  
διποτέρχεντα εἰς τὸ Φυλακόν· τὸν δὲ  
συγκρινοντα τοὺς τοῖς ἐΦοδον. εἰπὲ μὲν  
διὰ τοῦτο τὸν Φύλακιν ἡ τὸ καπόν, ἐνθέως  
δῆλος ἔστιν οὐ τὸ ἐΦοδεῖσαν ἔχων, Πει  
μαρτυρίαντος τοῖς σύνεγγισ. οὐ φέλει  
τοῦτο ποιεῖν. εἰπὲ δὲ μηδὲν ἡ τοῦτο  
γεγονός, εἰς τὸν ἐΦοδον ἀναχωρεῖ  
τοῦγεντα.


fit & ab iis qui sequentes vigilias  
lustrant. Dandi autem signi buc  
cina vigiliis singulis, quod circui  
toribus cum vigilibus conveniat,  
curam gerunt suo quisque die  
Centuriones primi manipuli Tri  
riorum, ex utraque legione. Pri  
ma deinde luce singuli qui perlustra  
verunt vigilias ad Tribunum tes  
feras deferunt: quae si tot inven  
niantur quot fuerant datæ, incul  
pati discedunt: sin pauciores ali  
quis referat quam pro numero ex  
cubiarum, ex impressa nota de  
eo excubitorum quaternione cu  
jus ratio non constat, inquirunt.  
qua re cognita Centurionem vo  
cat: hic designatos ad vigilias ad  
ducit: qui cum circuitore dispe  
ctat. Quod si penes vigiles culpa  
hæreat; confessim qui lustravit,  
testificatum se esse proximos de  
clarat. hoc enim faciat oportet.  
atque id si non fuerit factum, ad  
circuitorem reddit culpa.

NOTÆ

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

АТОИ

# NOTE IN HYGINUM.



N principio scriptum est. *Incipit liber Hygini Gromatici.* in fine. *Liber Gromaticus* *Hygini de divisionibus agrorum explicit.* *Inc. lib. Hygini Gromaticus.* Unde alii librum hunc, alii scriptorem Gromaticum appellari censem: quorum utrum recipiatur, non equidem in magno ponam discrimine. Plures enim libros gromaticos, ut de metatione castrorum, de divisionibus agrorum est, scripsisse videtur: nec tamen ipse male Gromaticus dicitur, cum professores artis agrimensoriae, ita vocatos testetur.

*Nunc papilionum tensionem.) Docet hoc capite Hyginus rationem compositionis strigæ & hemistrigii, quæ papilioni, armis, jumentis, quæ uni, quæque duabus centuriis adsignetur pedatura. Inde legionibus locum suum dat, & ostendit qua forma, pro ut plus minusve legionum vel auxiliorum fuerit, cohortes legionariæ tendant. Papiliones vocantur, à similitudine, ut inquit Isidorus, parvi animalis volantis, quod maxime abundat florentibus malvis: hæ sunt aviculæ, quæ lumine accenso convenient, & circumvolantes ab igne proximo interire coguntur. Vidi, qui vellet tabernacula Principum, gregarii militis papiliones, esse non tam veterum autoritate perflatus, quam consuetudine hujus ævi, quo centuriones & præpositi tentoriis utuntur, mani pulares ex stramento, arundinibus aut obvia materia tuguriola faciunt, quibus bini singulis contegantur. Sed Romani neque tot flammæ alimenta in castris esse, neque primores*

A

mol-

molliter, cæteros omnes negligenter haberi ex usu & disciplina castorum existimantes, tam his quām illis tentoria ex pellibus attribuebant, quæ castrensi vocabulo papilioes vocabantur. Ita enim & Imperatorum tabernacula appellantur. Lampridius de Alexandro Imperatore. *Apertis papilionibus prandit atque cœnavit.* Trebellius de Herode. *Homo orientalis & Græca luxuria, cui erant sagillata tentoria & aurati papilioes.* Forma papilionis & pedaturæ quæ ei adsignatur eadem, id est quadrata: hæc enim ad extendam aream & continuandos papilionibus papilioes in primis apta, cùm rotunda quæque aliæ obliquis lateribus nudam & inanem pedaturæ partem relinquant. Sunt tamen & in Trajani columnâ tabernacula rotundis propiora: utrumque apertos fuisse, ratio compositionis Hyginianæ ostendit; cùm enim inter papilionem & papilionem nihil spaci relinquitur, præter duos pedes, incrementum tensuræ; hinc autem via, inde arma & jumenta ponantur, ne aut ab armis suis aut à viâ intercurrente objectu pellium excluderetur miles, papilionem per vium fuisse & hinc inde exitum habuisse necesse est. Ac inde, opinor, castrense hoc nomen tentoria traxerunt, quod binis à fronte & à tergo pellibus in medio ad exitum apertis & divisis in modum quatuor alarum tegerentur, quibus hinc paulum allevatis inde papilionum volantium similitudinem quandam exhiberent. Q. Curtius de Alexandro Magno. *Pellibus sepe tabernaculi allevatis ut conspiceret hostium ignes.* Et de Imperatore Alexandro jam diximus, aperti papilionibus solitum prandere & cœnare.

*Cohortium supra scriptarum.) Cohortes legionarias intellige. Sequitur enim paulò post. Hæc pedatura ad plenam legionem est computata. Et quamvis ea hic jaciat fundamenta, quibus omnis hæc metatio incumbat & innitatur: de legionum tamen tensione ex professo agit.*

*Papilio unus occupat pedes decem.) in longitudine hemistrigii, tandem ut mox dicet, in latitudine: scrupulum itaque terræ occupat.*

*Acceptit incrementum tensuræ.) Scribe, accipit: Tensuram hic vocat, quam paulò ante tensionem: ut mentionem & mensuram dicebant veteres.*

*Tegit homines VIII.) Octo homines vel quaterni binis ordinibus sibi oppositi in quadrato hoc denum pedum commodè cubabant. Accipient pedes duos cum semisse in latitudinem, quinque in longitudinem, nisi si ex incremento tensuræ adjiciendum aliquantum. Justa enim militaris statura sex vel utique quinque pedum & undecim unciarum habebatur, & longitudini lectorum sex vulgò pedes, tres latitudini dabantur. Sed nihil fortasse necesse est tantum adsignari, in terrâ vel lectis ex stramen-*

mento vel gramine requiescentibus & oppositis. Apud Xenephontem ipse describitur Cyrus, ἐπὶ στρατῷ καλλιπελῖ cui Gobria κλίνει σ. νηῦν ἑστῶν ὄποις γενοιτ' αὐτὸν τὸν γῆν στράματα δι' νομίζετε οὐχ ὄποις περιβαλλοφύει εἴλοις ὄποις Φρυγίας ὅποις η πεδία αἰνίσται. Quodnam genus lectorum in castris Romanis fuerit, docet nos Varro, cum lecticam inde & segestria nomen accepisse ait. *Lectica quod legebant unde eam facerent stramenta atque herbas ut etiamnunc fit in castris.* Et mox. *Lecticam quo involvabant quod fere stramenta erant ē segete segestria appellant ut etiamnunc in castris.* Communis itaque in terrâ lectus facit, ut tegendis octo hominibus papilio denum pedum sufficiat: Et si cui mirum videtur, quod in latitudine pedum triginta hemistrigii satis amplâ, tam angustis papilionibus utantur? is sciat magnitudine papilionum numerum impedimentorum, quem recidi in primis utile est, multum adaugeri, imminui strigæ partes, in quibus arma, jumenta, currus, cætera belli instrumenta collocantur: non ignibus, non liberiori auræ quoꝝ in primis valetudini conductit, locum relinqui, si quidem tentoria nimis extendantur. *Tegit* inquit, *homines octo.* Octo igitur homines contubernium. Sed infra contubernia cohortis peditatae majora facit, ut & Vegetius, qui undecim in eodem contubernio homines ponit. Quid ergo dicemus? an legiōnibus minora contubernia quam auxiliis, quia minores centuriæ? eundemque semper numerum in qualicunque centuriâ contuberniorum, non eundem in contubernio majoris & minoris centuriæ contubernium fuisse? Sunt sanè quoꝝ hoc persuadeant. Hyginus tam centuriæ legionariæ, quam auxiliari decem papiliones dat, quamvis hæc centum, illa octoginta homines habeat. Totidem contubernia Vegetius centuriæ centum undecim hominum attribuit, undecim enim homines ei contubernium sunt. Tradit & Josephus agmen Vespasiani iter facientis, denos ē singulis centuriis cum mensuris ad metanda castra præcessisse, quid ita denos? nisi ut numerum papilionum adæquarent ē singulis contuberniis singuli. Adde quod contubernia minima quidem exercitus, sed tamen corpora; unde contubernales, concorporales vocat Ammianus: & erant his corporibus præpositi Decani. Erant, inquit Vegetius, *Decani decem militibus præpositi, qui nunc caput contubernii vocantur.* Erant inquit, tanquam de re antiqua, ne quis novitium putet. Gente certa Flaviâ rerum potiente jam Decanos in militia pedestri fuisse Josephus testatur, οὐ σπανίως μὲν δεκαδέκαλον, δεκαδέκας δὲ εκαποντάρχου, τέτο δὲ επεξδέκεν αρέσκει χλιάρχον. Quare sicut in legione quaternum millium idem numerus tribunorum, centurionum optionum qui in legione quinum vel

sēnum millium , ita & in centuriā minori & majori, idem semper numerus  
 minorum corporū & præpositorum decem semper contubernia , toti-  
 dem Decani erant . Centuria igitur hominum centum & decem contu-  
 bernia [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) undecim hominum : centum decēm , octoginta octō hominum  
 hac ratione habebat . Sed nobis sequentia Hygini & in primis examinan-  
 tibus, quōd paulo post dicit , centuriam octō tantum papiliones tendere ,  
 dubitatio suboritur: annē hæc quoque legionaria contubernia decem ho-  
 mines habeant? non enim aliter octō papilionibus rectè distribuentur ho-  
 mines octoginta, ut infra dicemus . Dicit hic quidem tegere papilionem  
 homines octō , demis nimirum binis vigilibus ; sed non dicit tot homi-  
 nes contubernium esse . Confirmat hunc numerum in Pescennino Ælius  
 Spartianus, cum scribit : *Pescenninum ob unius galli gallinacei direptionem,*  
*decem commanipulones, qui raptum ab uno comedérant, securi percuti jussisse.*  
 Commanipulones sunt contubernales , contubernium enim ea ztate  
 manipulus vocabatur, ut testatur Vegetius, in lapidibus priscis, manipuli ,  
 commanipuli, commanipulares passim hoc sensu . Vir magni in literis no-  
 minis, libro posthumo de re militari Romanorum apud Cornelium Taciti-  
 tum, manipulum etiam pro contuberno accipit; sed malè . Annalium enim  
 I. manipulis centuriones & vexilla non semel attribuit . Interea , inquit ,  
 manipuli ante captam seditionem Nauportum missi, ob itinera & pontes, & alios  
 usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt, direptisque pro-  
 ximis vicis, ipsoque Nauperto , quod municipii instar erat, retinentes centurio-  
 nes in risu & contumeliis, postremò verberibus insectantur . Eodem libro . Con-  
 cionem discedere in manipulos iubet , sic melius audituros responsū , vexilla  
 præferri , ut id saltem discerneret cohortes . Locus qui in hanc eum sententiam  
 traduxit , eodem libro est . Non tentoria manipulis , non fomenta sauciis .  
 Ubi videtur singulis manipulis suum tentorium adsignare : sed videtur ;  
 non enim liquet , an propriè loquatur quid ? si dixisset non tentoria co-  
 hortibus , an ideo singulis cohortibus unum tantum tentorium fuisse di-  
 ceremus ? Manipulos quidem aliquoties pro militibus aut manipularibus  
 posuit, nusquam pro contuberno . Locis autem jam citatis palam est , vel  
 duas centurias more antiquo , vel utique unam manipulum vocare . Ipse  
 Vegetius inter veteres & recentiores velut fluctuans, nunc contubernium,  
 nunc centuriam, & tantum non eodem loco vocabulo hoc designat : nam  
 cum dixisset libro secundo in fine , cap. XIII. *Contubernium manipulus*  
*vocabatur : statim subjicit initio capitī sequentis . Quemadmodum inter*  
*pedites centuria vel manipulus appellatur ; ita inter equites turma dicitur . Ha-*  
*buerunt quidem aliæ nationes contubernia, manipulis haud multò mi-*  
*nora ,*

nora, Cyri apud Persas instituto, ut autor est Xenophon, τάξις vel centuria unum contubernium faciebat, qui & causas adducit, propter quas convictum militum eodem in contuberno è republicâ censeat. Existimasse enim ~~Cyrum vel hoc inde consueatum~~ commodi, ut qui se eodem omnes modo haberi cernerent, eadem alacritate in hostem irent, nemo remissius aut ignavius sese gereret, tanquam arctius cæteris habitus: utile præterea esse, ut militi miles innotescerit, crescere pudorem notitiâ, homines inter se ignotos, ut qui in tenebris versantur, sine metu infamiae peccare & ad turpia facilis prolabi: Non facile sese deserere, qui unâ vivent, bruta quoque animantia unâ pasci adsueta, ægrè divelli & miro sui desiderio teneri. Jam ordinem ipsum contubernii ad aciei instructio-nem non parum conferre: non secus enim ac si in acie instructi essent sub suo quemque præposito contineri.

*Plena centuria habet homines LXXX.)* Centuria cohortis legionariae. nam auxiliarium cohortium grandiores. Est qui putet, centuriam legionariam démitis demum viginti vigilibus, octoginta, alioquin revera centum homines habere. Sed Hyginus de plenâ centuriâ loquitur: mox autem ubi de vigilibus agit, eos ex hoc numero detrahit: cum enim centuriæ octo tantum propter vigiles papiliones adsignet, & papilio homines octo tegat, quatuor tantum & sexaginta efficientur.

*Qui occurunt.*) Scribe, occupant.

*In Latitudine.*) Imo in longitudine hemistrigii: nam de latitudine mox dicet; sed turbat hic aliquoties Hyginus latitudinem appellans, quæ est propriè longitudo.

*Ped. CXX.)* Pedes centum viginti, mensoribus longitudo actus sunt: item strigæ cuius latitudo pedes sexaginta: jubent enim mensuræ quadraturam dimidio longiorem quam latiorem facere. Hyginus. *Omnem mensuræ hujus quadraturam dimidio longiorem quam latiorem facere debemus, & quod in latitudinem longius fuerit, scammum appellare, quod in longitudinem, strigam.* Hyginus noster latitudinem quidem strigæ castrensis pedibus sexaginta, longitudinem vero non tam arcto spacio definit; sed omnes qui eodem ordine & rigore tendunt, sub ejusdem strigæ vocabulo complectitur, plures centurias, turmas, cohortes in eadem striga collocat, C. 3. *Poterint centum quinquaginta singulares in striga prætoriorum tendere.* In prætentura intra viam sagularem quingentos milites: in retentura quadringentos: lateribus prætorii sexcentos pedem adjectâ quintâ accipientes, unum hemistrigium capit. Interdum tamen strigam pro pedaturâ cohortis sumit, ut C. 6. *Observabimus primæ strigæ signis,*

*idem adsignari quod cohorti primæ, ut viæ vicinariæ percurrant.*

*Nam quod ad latitudinem est hemetrici ped. XXX. attinent.) lege, quod ad latitudinem hemistrigii pedum triginta attinet. Vox hæc in Hygino ferè ubique, sed alibi aliter corrupta est, alibi enim scribitur emistrici, alibi eneſtra, alibi æmitricis, item æmistrici, emistria, emistricio, mitrici, emistricia, æmstricum, æmistrimi, æmistrigium. Haud dubiè autem scribendum est, ut monuerunt viri docti, hemistrigium vel semistrigium, quia dimidia strigæ pars est, ut hæmisphærium dimidiā sphæram dicimus. Definità areâ quâ una centuria tendit longitudo, nunc latitudinem triginta pedum ordinat & ex ea primum papilioni, deinde armis, tertio jumentis locum adsignat.*

*Armis pedes quinque.) Scutum, pila galeam deponebant in contubernio, vel ut hic locus docet proximè tentoria, saguloque tecti per castra ibant. Hinc in repentinis tumultibus, milites sine scutis & justis armis deprehensos non rarò legimus. Tacitus Historiarum V. Romani vulneribus exciti querunt arma, ruunt per vias, pauci ornati militariter plerique circum brachia torta ueste & strictis mucronibus. Livius in vigesimo quinto de Graccho. Inter hæc dicta paludamento circa lævum brachium intorto: (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit. Tradit & Cæſar milites suos, qui colloquii causâ ad Afranii castra transierant, quod scuta non portassent, dextras in repantino periculo sagis involvisse, atque ita gladiis districtis se à cetratis & equitibus Afranii defendisse: nam veteres, ubi casu aut necessitate in pugnam vocatis scutum deesset, sago pallio vel toga circa brachium in modum scuti intorta, sese defendebant. Eucolpius apud Petronium. *Idem & ego ex altera parte feci & intorto circa brachium pallio, composui ad præliandum gradum.* Deposita autem in contubernio arma, ex antiqua disciplina ne capere quidem injussu Ducum fas erat; adeò omnia lege & ordine gerebantur. Inde Venientium & Hetruscorum illud apud Livium, M. Fabio & Cn. Manlio Coss. militem intra castra continentibus. *Impune se insultatueros non credi militi arma.* Et mox dato juratis pugnæ signo. Livius. *Arma capiunt, eunt in pugnam irarum speique pleni nunc jubent Hetruscos probra jacere nunc armatis sibi quisque lingua promptum hostem offerri. Nunc, inquit, armatis sibi, quia antequam datum pugnæ signum, armati scuto, galeâ, pilis non fuerant. In castris prætoriis aliisque in pacato arma armamentario etiam clausa legimus. Cæterum gladium & hærentia corpori tegmina, non nisi de nocte deponebant.**

*Jumentis pedes novem.) Jumentis sarcinariis, calonibus, lixis & impe-*

impedimentis hæc adsignatur pedatura , eâ latitudine quæ jumentis sufficiere possit. Columella bubilia pedes decem vel minimè novem lata fieri vult , quæ mensura ad procumbendum pecori & jugario ad circumeundum laxa ministeria præbeat. Virgilius in castris Latinorum famulos Rhamnetis temerè inter tela & aurigam sub ipsis equis cubantem desribit. Æneid. IX.

Tres juxta famulos temerè inter tela jacentes  
Armigerumque Rhemi premit aurigamque sub ipsis  
Nauctus equis.

Sed totam hanc hemistrigii ordinationem in Magone nisi fallor Amilcaris in contubernio cum contubernalibus suis jacente, depingit Silius Italicus , ita canens.

Nec degener ille  
Belligeri ritus , taurino membra jacebat  
Effultus tergo , & mulcebat tristia somno.  
Haud procul hasta viri terræ defixa propinquæ ,  
Et dira è summa pendebat cuspide cassis ,  
Et clypeus circa , loricaque , & ensis , & arcus ,  
Et telum Baleare : simul tellure quiescunt ,  
Juxta lecta manus , Juvenes in Marte probati.  
Et sonipes strato carpebat grama dorso.

Præterea ignes in hac pedatura jumentorum , quæ jumentis , (neque enim tot numero erant) non explebatur , fieri solitos. Virgilius immixtum videtur. Æneid. IX.

Ubi ignem  
Deficere extreum , & religatos ritè videbat  
Carpere gramen equos.

Juxta equos in hemistrigio ritè religatos , ignes fuisse non quidem qui a vigilibus totam noctem servabantur , sed qui calefiendo corpori aut cibis coquendis siebant , & ubi cubitum discederent , extinguebantur aut paulatim deficiebant.

*Quoniam cùm compretenderet.)* profligatissima scriptura: an scriperat ; quoniam conjuncti tendunt. Causam enim afferre videtur, quare papilionis armorum & jumentorum pedaturam bis computet hemistrigio nondum absoluto , videlicet quia jumentis jumenta continuantur. Hyginus infra , *quoniam disciplina militari ad suum quisque numerum conjuncti convenient.* Festus. *Striges sunt ordines rerum inter se conjunctè copularum.* aut ut alii Codices habent , *continuataè copularum.* Vocabulo huic rei

pro-

proprio. Sic Cicero libro de natura Deorum primo , de atomis ex Theologia Epicuri. *In hac igitur immensitate longitudinum, latitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum , quæ interjecto inani co- hæreſiunt ; tamen inter ſe & aliæ alias apprehendentes continuantur , ex quo efficiuntur hæ rerum formæ atque figuræ.* Varro tauros, ut lupos propulsent, frontibus diversos clunibus continuatos adſistere dixit. Polybius mani- pulos triariorum & turmas equitum haſtatorum, item & principum mani- pulos, tergis continuatos frontibus diversos collocat: μὲν δὲ τὰς πενικτὰς ὁ πιθεν τούτων ὀμοίως ἐμπαλιν βλέποντας συμφάνοντες δὲ τὰς χήματα θέντες τὰς αἱστοῖς παρεμβάλλουσι.

*Et efficitur striga pedum L X. ) Refer hæc ad ſequentia & ſcribe : effi- ciunt ſtrigam pedum ſexaginta reliqui pedes duodecim , vel efficitur ſtriga pedum ſexaginta reliquis pedibus duodecim. Hos enim duodecim pedes reliquos , efficere pedes ſexaginta perſpicuum eſt. Festus. Striges ſunt ordines rerum inter ſe continuatè copulatarum à ſtringendo : imò potius à ſtrigando antiquo verbo ejusdem ſignificationis. Charisius Sospiter. Striga, caſtrene vocabulum, intervallum turmarum ſignificans, in quo equi ſtri- gantur, unde etiam ſtrigofī dicuntur equi corpoſe macilento. Vocabulum hoc in caſtris antiquum, ( ſtrigofī enim jam Livio dicuntur equi ) in urbe vix unquam receptum videtur. Optimi enim Latinitatis autores , cum de ſtrigis, & hemiſtrigis loquuntur, non ſtrigas ; ſed quod erant, ordines appellant. Livius de caſtris Romanis. Descripta ſuis quæque partibus , tum tendentium ordine, tum itinerum intervallis. Lucilius. Hic ubi conſeffum pelleſ- que ut in ordine tentæ. Cæſar de caſtris Numidarum incompositis & in- ordinatis. Numidae barbarā quadam conſuetudine nullis ordinibus paſſim conſederant. Græci εὐμας appellant vicos , à ſimilitudine, quemadmodum enim in viciſ , domus : ſic in caſtris tentoria ab utraque parte viarum vicinalium in longum exporriguntur. Polybius. Τῶν γὰρ ὅντι εὐμας παρεπλήσιον ἀποτελεῖται τὸ τῶν διδων χῆμα πατῶν ᾧς ἀν ἐξ επατέρου Σ μέροις αἷς μὲν ταγμάτων αἵς δὲ γλαμῶν ἐπὶ τὸ μῆντος δὲ παρεμβελητῶν. Josephus vicos Romanis in caſtris composité dirigi ait & ordinari, ῥυμο- μάτος δὲ ενδιαθέτως ἔισι τὸ στρατόπεδον. Julius Africanus utroque verbo & Græcorum & Latinorum : ῥυμοιδῶς καὶ ὄρδινον, constitui tentoria modico inter ſe intervallo distantia : Capite περὶ ἀπλίκων. Τὸ δὲ πλάτος τὸ πιστεύτης ὁδοῦ ἀχρι τεοταρχηγοντα εἴναι ή πεντήκοντα ποδῶν ἑκατέρωθεν δάκτυλος ἡδηγεῖθαι ῥυμοιδῶς τὰς τένες τοι πιστεύτης καὶ ὄρδινον ἐχόσις ὀλίγον ἀπ- απλίκων διάσημα Quem uno atque altero verbo immutato, ut ſcilicet ſuum aliquid agnoſceret, deſcripsit Leo Imperator, Conſtit. η ἐνθεν κακεῖθεν*

πλάτος

ωδηγεῖσθαι αὐτὴν τὰς πόλεις ψυμονίδως. οὐδὲνον ἔχοντας αὐτὰς δύλιγον απὸ  
αἰτήλων διάτημα. Similis ψυμονίδα liæc vicorum in urbe, ut testatur Polybius directionis: nam urbes cum cura ædificatæ pariter ac castra, dimensa viarum spacia & directos vicorum ordines habebant. In Roma quidem veteriilla, quæ cæsis Gallis instaurata, festinatio curam exemerat vicos dirigendi, dum amissio, ut ait Livius sui alicuique discrimine, in vacuo ædificaverant. At in nova & neronianâ Româ, dimensis vicorum ordinibus ac latis viarum spaciis ac patefactis areis, ædificatio peracta erat.

*Ped. L X.)* Triginta & sexaginta pedes in castris Hyginianis perpetua hemistrigii & strigæ latitudo. Hanc pedaturam tam equites quam pedites, tam legionarii quam auxiliares accipiunt. Hac pleræque castrorum partes definiuntur. Ampliata quidem interdum aut contracta: nam in castris polybianis areæ & viæ non triginta & sexaginta; sed quinquaginta & centum pedum: ea justa latitudo est. Rursus apud Cæsarem lego tota castra hoc angustiora fuisse, (haud dubiè itaque & strigæ & viæ) quod Cæsar sine impedimentis legiones transportasset. Hoc tamen maximè observatum, ut iisdem in castris eadem omnium strigorum in quantum fieri posset, latitudo esset, quo rigor viarum, ordo metationis & tota compositionis ratio rectè custodiretur. Ideoque ut in castris Hyginianis per sexaginta & triginta pleraque disponuntur, sic in polybianis per centum & quinquaginta.

*Reliqui pedes XII.)* Duodecim pedes actuarii limitis latitudo. Octo pedes viæ minimæ vel duorum actuum, quatuor pedes actus latitudo. Hyginus. *Actuarii autem extra maximos decimanum & cardinem latitudinem habent pedum duodecim, per hos iter populo sicut per viam publicam debetur.*

*Qui conversantibus spatio sufficient.)* Frontinus de coloniis. Sed si conversationis causa eas partes inter se custodiendas censuerunt, non recturæ impunitandum est, sed concurrenti definitioni fides adhibenda. Dubitabam tamenanne hic verius, qui *conversantibus &c.* Hoc certè in pedaturâ hac viarum arbitror observari: ut eos qui ad viam quamque tendunt, via capiat, ne cum educitur exercitus aut ad arma concurritur, alii aliis impedimentoa sint. Duo papilioes tegunt homines sedecim, occupant pedes duodecim in longitudine hemistrigii. Erit in via duodenum pedum quadrata totidem pedum area, in quâ sedecim milites, singuli tres pedes quadratos accipient. In castris polybianis area centum per centum capit homines centum viginti, hoc bis, erunt ducenti quadraginta. Hi in via intercurrente pedum quinquaginta, singuli in longitudine pedes sex, in latitudine

tres accipient , reliqui sex pedes qui centurionibus & signiferis antecedentibus agmen spatio sufficiunt . Atque ita Hyginus absolvit strigæ latitudinem , sed non satis clarè ostendit , quo quæque ordine disponantur . Verbo-  
rum quidem ordinem consideranti appetet , primo loco papiliones collo-  
cari , secundo arma , tertio jumenta . *Papilioni* , inquit , *dantur pedes decem ,*  
*armis pedes quinque , jumentis pedes novem* . Sed deinde *hoc* , ait , *bis* : an  
igitur secundum jumenta , alias ordo papilionum , armorum , jumentorum ,  
nullâ interjectâ semitâ aut viâ ad exitum ? verba id quidem præ se ferunt :  
res ipsa minimè probabilis est . Quis enim credat milites inter jumenta  
& arma , medios tanquam in carcere clusos fuisse , nullâ ad exitum &  
introitum relictâ pedaturâ . Spatium verò hoc pedum duodecim in duo  
dividere & inter jumenta & papiliones pedes sex in quoque hemistrigio  
interjicere quis audeat , cùm Hyginus conjungat , absolutis duobus papi-  
lionum , armorum & jumentorum ordinibus , demum mentionem ejus  
faciat , & sic integrum strigam absolvat ? Accedit quod non causæ satis esse  
videtur , cur unus ordo papilionum , armorum & jumentorum , hemistri-  
gium appelletur , & duorum ordinum compositio simul doceatur , nisi si bini  
ordines continentur ? Neque enim solius formæ causâ dimidio longioris  
quam latioris strigæ latitudinem sexaginta pedibus definiri crediderim :  
cùm laxius ab Hygino sumatur strigæ longitudo , quam de pedatura cen-  
tum viginti pedum . Et si tantum in forma esset , ea non minus invenire-  
tur in latitudine triginta pedum hemistrigii & in longitudine sexaginta  
pedum , quam in latitudine sexaginta & in longitudine centum viginti  
pedum . Probabilius itaque est Hyginum cum duplicari hanc pedaturam  
jubet , jumenta jumentis continuari , deinde arma , postremò papilionum  
ordinem adponi velle . Ita papiliones à fronte viam , à tergo arma &  
jumenta sua habebunt , & quamvis aversi , eodem tamen ordine tendent .  
In castris Polybii ea perpetuò ratio observatur , ut duæ areæ , sed grandi-  
ores aliquanto his ( centum enim pedum pleræque sunt ) sese con-  
tingant & in his tendentes manipuli omnes aversi , vias intercurrentes  
respiciant . Hæc ratio in castris Hyginianis non aliter procedit , quam si  
ita singulæ centuriæ tendant conversæ , ut antea in polybianis manipuli :  
nam cum non manipulatim ut illi ; sed per cohortes & centurias ten-  
dant : vel in totarum cohortium vel in centuriarum collocatione hæc  
ratio observetur , necesse est : atqui in cohortium ordinatione non obser-  
vatur . Cohortes enim legionariæ à tergo viam sagularem habent , non  
turmas aut cohortes alias : alis quoque milliariis in prætentura singulis  
via sua objicitur : lateribus prætorii & in retentura possit fortassis simile  
aliquid

aliquid fangi in tensione cohortium & alarum, quæ illuc nullâ interjectâ grandiori viâ conjuncti tendunt: sed pedaturæ eorum inæquales cum polybiana ratione non faciunt. Sequitur itaque, ut in compositione singularum centuriarum custodiatur. Nam non tantum Polybius, sed etiam posteriorum sæculorum scriptores, Josephus, Africanus, alii, ut antea ostendimus, strigaram ordinem & directionem vicis in urbe adsimulant. In urbibus autem ea vicorum compositio est, ut ad quamque viam biniædium ordines in viam respicientes: inter viam & viam bini similiter ordines, sed aversi & tergis se contingentes. Eadem igitur strigaram quoque in castris ratio. Quibus de causis in formis quibus cohortium metationem expressimus, hunc ordinem & dispositionem strigæ secuti sumus: ut post papiliones arma, post hæc jumenta, deinde alia iterum sequentis centuriæ jumenta rursus arma & papiliones, interjectâ denique viâ pedum duodecim, papiliones, arma & sic deinceps: vide formas N. 1. 2. 3. & 5. Quia tamen non satis perspicuus hic est Hyginus, nec desunt causæ propter quas aliter aliis videri possit: illam compositionis rationem, quæ eodem respiciunt ejusdem cohortis centuriæ & inter unumquodque hemistrigium via senum pedum collocatur, adjecimus formâ quartâ.

*Hæc pedatura ad plenam legiomem est computata.)* Propriè ad plenam centuriam: de unius enim & duarum centuriarum pedaturâ, in hemistrigio & strigâ haec tenus tantum egit: non autem de cohortis aut legionis pedaturâ. Et fortasse an illa quæ sæpe in hoc libello occurrit, nota hic quoque fuerat, quâ cum modò centuria, modò legio designetur, imperitus librarius de legione accepit, quod debuit de centuriâ. Illa certè quæ sequuntur ad unam tantum centuriam referenda sunt. Nos tamen scripturam non mutavimus, quod vulgata lectio tolerari possit, ut plenam legionem dixerit, pro centuriâ plenæ legionis: quamvis enim plenæ centuriæ esse possint, ut non sit plena legio propter defectum cohortium vel centuriarum integrarum: legio tamen plena esse non potest, nisi plenæ sint centuriæ.

*Ex quibus.)* Amat Hyginus post nomina collectiva, quæ vocant, relativum plurale. *Ita fit ut centurio eorum &c. legio & legatus eorum per vexillarios factum esse contendet.* In eo pede præfectus aliae pedaturam accipiet & principales eorum aliquanto laxius tendent. Ita Salustius. *Familia nostra cum populo Romano bello Carthaginensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides ejus, quam fortuna pendens erat.* Quorum progeniem. Sed hæc nota sunt: tangenda erant ne quis in scripturâ vitium suspicaret:

*Ex quibus in vigiliis singulis eunt.)* Puto in vigilias singulas: ut in stationes

& vigilias ordine ibant. Non expressit quot homines ex quaue centuriâ in vigilias eunt. Sed cum duo papiliones propter absentiam vigilum de numero quam prius ad signaverat tollat : probabile est, sedecim homines esse, hoc est quatuor excubias. Excubia enim una quatuor homines erant, unde & πτεργίοι appellatur, ut apud Lucam in Actis Apostolorum, ubi Petrus ab Herode in custodiam conjectus, πέτραποι πτεργάδοις σπασίων servandus datur, hoc est quatuor excubii sive sedecim militibus, quot Hyginus ex singulis centuriis quotidie vult excubare. Sed anne duo integra contubernia quotidie in excubii? Hygini quidem verba id innuere videntur : decem enim papiliones dedit in centuriam, qui octonus homines singuli te- gant, demit nunc duos de numero papilionum, in numero contubernium nihil mutat. Sed mihi tamen rem proprius consideranti, minimè id fit probabile : cùm enim octo papiliones centuria tantum tendat, neque adeo spaciun sit, quo plures capiantur ad signatâ centurioni cæterâ pedaturâ, quibus tandem papilionibus vigiles ex vigiliis redeentes recipientur? ubi tendent? deest enim locus, nisi si in locum succendentium in vigilias succedant, & alii in aliorum tentoria quotidie transmigrent. Quod non est verisimile. Tentoria enim militi domus & penates sunt; non mutant hæc nisi castris motis: in his sive in vigilias & stationes eant, sive alio expediti ducantur, relinquunt vasa, sarcinas, & quicquid est peculii castrensis aut instrumentorum belli. Quare probabilius est, binos ex quoque contubernio vigilias obire: ac inde fieri, ut contubernium cum ex decem hominibus constet, octo tamen tantum habeat. Sed de vigiliis pluribus suo loco.

*Ita sicut centurio eorum.)* scribe. *Ita fiet ut centurio eorum.* Hyginus infra. *Ita fiet ut cohortes prætoriæ & reliquo numerus, qui latere prætorii tendit, integris strigis suâ pedatura optimè tendant.* Idem error librarii in istis. *Ita sicut & pari numero dispositi decuriones & reliqui principales eorum propensius tendant.* Fuerat enim. *Ita fiet ut, &c:*

*Centurio eorum in eadem pedatura eorum papilionum.)* In pedatura duorum papilionum quos demsit, locum centurioni ad signat: non addit quantum loci. Non equidem arbitror tam laxè tetendisse, ut totam hanc pedaturam quatuor & viginti pedum occuparet, sed potius relictum aliquantum viæ transversariæ, (fortasse an duodecim pedes ut in latitudine strigæ) quo posteriores centuriæ ejusdem cohortis ad priores & contra priores ad posteriores transire, jumenta aquatum, pabulatum aut ad alios usus educi & cætera rectè administrari possint. Absurdum enim sit nihil hic viæ aut semitæ fuisse, præsertim in hemistrigii longioribus trecentorum

rum sexaginta, sexcentorum & septingentorum viginti pedum: quod non debuit omisisse Hyginus.

Pensionem accipiat.) scribo tensionem accipiat, ut paulò ante. *Accipit incrementum tenetur.*

*Legiones quoniam sunt militiæ provincialis fidelissima.*) Salmasius legit, *militis provincialis fidelissimi.* Nec addit causam propter quam mutet, *in militi.e.* Fuit fortasse an illa, quod ei ut Bezæ & Scioppio. militia pro exercitu insolens videretur. At in scriptoribus medii ævi ita saepe accipitur. Tacitus Historiarum primo, *urbanam militiam & prætorias cohortes legionibus & Germanico exercitui opponit.* Ambrosius de vocatione gentium. *Cælestium armorum præsidio à dextris & à sinistris instruitur Christiana militia.* In Euangeliō Luce. πλῆθος σερπῖνων ὀνειροῖο: quod vertit vulgatus Interpres: *Multitudo militiæ cœlestis.* Beza post Ambrosium: *exercituum cœlestium:* quod militiam pro exercitu nusquam legerit: Quid? quod apud Livium cogere militiam. In quarto. *Lege sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat, deleetus habitus.* Quare retinebimus scripturam libri. Provinciales autem legiones appellantur, non sine causa. Veteri republica ut notum est ex solis Romanis: Sed obortis civilibus bellis vulgatâque civitate Romanâ primum ex Latio & Italiâ, deinde & è provinciis scriperunt legiones. Augustus autem adeptus terrarum imperium. Italis, ut autor est Herodianus, munera militiæ omnino remisit. prætoriæ quidem & urbanæ cohortes ex Etruria, Umbria, Latio & coloniis in Italia sub Imperatoribus primis deligebantur. Ideo Italiam alumnos & verè Romanam juventutem apud Tacitum appellat Otho. Sed legiones pene omnes ex provinciis, unde & provincialibus militibus adnumerantur. Præterea Augustus ex copiis militaribus legiones & auxilia omnia provinciatim distribuit. Prætoriis tantum urbanisque cohortibus urbem & Italiam confinuit: hinc opponunt legionibus urbanum militem. Tacitus Historiarum I. *Varios motus non solum apud urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat.* In secundo prælio inter Othonianos & Vitellianos. *Hinc legionum & Germanici exercitus robur, inde urbanæ militiæ & prætoriarum cohortium decus attollentium illi ut segnem & desidem & circa ac theatris corruptum militem hi peregrinum & externum increpabant.* Et quemadmodum veteri republicâ legiones, quæ ad castodiā urbis aut subita belli conscriptæ interim ex urbe non educebantur, & sub Cæsaribus cohortes quæ in urbe continebantur, urbanæ dicebantur: Sic legiones etiam quod in provinciis tendebant, provinciales recte appellari potuerunt. Quantum autem ad rationem legionis Hyginianæ attinet,

attinet, tributa in decem, ut semper apud Romanos, cohortes, habet quinque millia ducentos octoginta homines: cohors prima nongentos sexaginta, cæteræ quadringentos octoginta. Junguntur his vexillarii, cohortes vel vexillarii unum. In cohorte centuriæ sex, singulæ hominum, ut diximus, octoginta. Omnem hanc turbam fuisse gravis armaturæ, Hyginus quidem non dicit, nos tamen non falso suspicamur, quod eodem vocabulo appellantur, iisdem ordinibus tendunt & eandem omnes accipiunt pedaturam. Nam levis armatura, ut vilior contemtiorque, nec tantum impedimentorum trahens si non loco & nomine distingueretur; at strictius certè tenderet. Sed suspicionibus & conjecturis ex pedaturâ hic opus non est, quum ætate Hygini, id est sub Imperatoribus, imo ab illo tempore quo C. Marius militiam immutavit, nullam in legione levem armaturam fuisse liqueat. Neque enim ullo modo adsentiri possum viro celeberrimo & eruditissimo, quo nemo hac ætate latius se per omnem diffudit antiquitatem censenti, nomen quidem velitum, sed non levem armaturam de legione sublatam: mutationem autem in eo consisteret, quod cum antea omnes manipuli partem scutatorum, partem velitum haberent, postea quædam cohortes totæ ex gravi armaturâ, aliæ totæ ex levi in legione fuerint. Ita enim scribit in libro inchoato de re militari. *Ex velitum corpore, qui mille ac ducentos pedites constituebant, duæ compositæ cohortes singulæ sexcentorum peditum.* Ita septenæ cohortes exierunt ex quaternis ac ducentis illis millibus, quibus constabat antiqua legio in velites hastatos, principes ac triarios dissipertita: sed quia tunc legio sena millia militum accepit, nova illa quæ à Mario introducta est institutione, tres adiectæ sunt cohortes, ut decem fierent partim ex gravi, partim ex levi, ut verisimile videtur, armatura. Fingamus unam levium fuisse additam, duas gravium armatorum. Sic decem cohortes legionis plenæ extiterunt ex senis millibus constantis ex quibus tres fuerant levius armaturæ. Si velimus duas tantum ex levibus fuisse concinnatas, quot olim velites in legione fuerunt, id etiam licet. Conjectare tamen possimus etiam leves antiquos de novo additos. Quod si est, non minus addi potuit, quam ex quo una cohors fieret. Ita ergo nomen velitum in hac novâ legionis institutione abolitum est. Hæc ille. Quæ non tantum incerta (ipsa id fluctuatio ostendit) sed etiam omnino à vero aliena esse, certus sum. Decem in legione cohortes erant, ex quibus unaquæque, Cæsaris etiam ætate, tres manipulos vel certè sex centuriæ, duas hastatorum, duas principum, totidem pilorum habebat. Nam apud Cæsarem non tantum de primipilo, sed etiam de principe & quidem priori cohortis primæ legitur. Meminit & Cicero Octavi principis eadem ætate. Aliorum alii, ne putas intra cohortem primanam

primam nomina hæc stetisse viginti , inquam, hastatorum totidem principum & triariorum centuriæ etiam tunc erant : Non dico censu & æstate ista genera tunc distincta fuisse, non aliis armis hastatos & principes instructos, aliis triarios; sed servasse vetus nomen & omnes gravis fuisse armaturæ: nusquam enim illo ævo invenias, nomina hæc ad levem armaturam translata : nulla itaque in legione cohors, nulla centuria levium armatorum. Antesignanos quidem & antesignanorum signa & cohortes habent, sed antesignani neque velites fuerunt, neque velitum successores, ut infra probabimus. Habent & leves cohortes, ut Tacitus Annalium. *Hostes totâ vi in novissimos incurrerunt, turbabanturque densis Germanorum cæteris leves cohortes.* Sed istæ non legionariæ, sed auxiliares sunt. Jam olim enim levibus militibus a sociis missis aut ab externis mercede conductis, usi leguntur : bello Punico secundo Hiero epistola ad Senatum scribit. *Milite atque equite scire nisi Romano latinique nominis uti: levium armatorum auxilia etiam extera vidisse in castris Romanis, itaque mississe mille sagittariorum ac funditorum aptam manum adversus Baleares ac Mauros pugnacesque alias missili telogentes.* Hic miles & præfectos & cohortes habuit suas: de hoc, non de legionario accipi debent, quæ de levibus cohortibus in historia Romana dicuntur, hic tunc levem armaturam omnem faciebat. Hinc distinguunt ferè & opponunt eum legionarii. Scriptor belli Hispaniensis. *Ceciderunt ex levi armaturâ, CCCXXIV. ex legionariis, CXXXVIII.* Tacitus. *Legionarius frequens ordinibus levicum armaturâ congregatus.* Græci illâ æstate ideo legiones δωλτῶν: solas cohortes auxiliares levis armaturæ appellant ψίλων vocabulo, quo antea velites etiam designabantur. Non autem dubito Cajum Marium, qui corrupto antiquo ordine & more, majorum pleraque mutavit in legione Romana, etiam velites sustulisse & cum velitibus omnem levem armaturam. Sustulit enim censum in deleitu, à quo discriumen classium honoratæque & minus honoratæ militiæ: neque probabile est hominem popularem scribentem milites, prout cujusque libido erat, nullâ habitâ censu ratione, quosdam in levem armaturam rejecisse; sed potius leves ad honestiorem gravioremque traduxisse militiam. Accedit quod ex eodem tempore omnia per cohortes geri coeperunt, cum antea manipulatim, quo triariorum hastati & principes etiam inter se æquabantur quodammodo. Præterea arma levis armaturæ: parmulæ cum septenis hastis, tum ademtæ: de parmulis Festus. *Parmulis pugnare milites soliti sunt, quarum usum sustulit C. Marius, datis in earum vicem Bruttianis.* Ergo non nomen tantum, sed etiam arma mutata & in graves armatos omnes legionarii

narii delecti fuerunt. Vegetius more suo turbat & confundit tempora, Libro 2. *Legionibus semper auxilia, tanquam levis armatura in acie jungebatur, ut in his praeliandi magis adminiculum esset, quam principale subsidium.* Post iterum inserit legionis leves, & quidem abolitum jam pridem nomen, ferentarios, item funditores & sagittarios, qui neque prisca republica, neque sub primis Imperatoribus pars legionis fuerunt & balistarios. Eodem libro. Post has, erant ferentarii & levis armatura, quos nunc auxiliatores & armaturas dicimus. Auxiliatores ait dictos, haud dubie inde, quod nulla sub Imperatoribus levis armatura, praeter auxiliares & mercenarios.

*Ad vallum tendere debent.) Proprius hic locus in castris Hyginianis legionum, aut ut verius dicam cohortium legioniarum praeter primas. Inferius. Quod si legiones plures fuerint, & supplimenta pauciora, ut necessarium sit cohortes circa vallum crebrius ponere. Item. Quod si plus vel minus supplimentis dandum fuerit, omnia immutabuntur & cohortes circa vallum aliter tendent. Africanus etiam scutatos & gravem armaturam, vallum & latera castrorum tueri ab omni parte jubet. Τὰ συντάγματα τῷ διδιτῶν γερόθεν τοις μέτροις ἐλάσσω φοράται συντελεγμένα τῇ τάξιν &c. Nec nova haec ratio metationis. Ex illo certe, ut diximus, tempore, apud Romanos in usu fuit, quo ceperunt ex sociis legiones conscribere, quoque velites de legionibus sublati. Virgilius castra Æneæ more poëtarum ad modum suæ ætatis revocans, totas legiones ad vallum in excubiis ponit, iisque curam dat valli tuendi.*

*Omnis per muros legio sortita periculum.*

*Excubat exercetque vices, quod cuique tuendum.*

Tacitus similiter in castris Quintilii Vari ambitu castrorum locat cohortes legionariæ. Prima Vari castra lato ambitu & dimensis principiis trium legionum manus ostentabant. Quem locum ignorantia castrametationis, ævi illius viri doctissimi non bene intellexerunt. Vir celebris in commentariis ad Tacitum. *Quo argumento inquit ex principiis colligebatur manus trium legionum? quia quoties plures legiones unis castris, principia suæ cuique legioni descripta in quibus Aquila & signa item principia majora.* In analectis ad militiam Romanam, si tres sub uno Consule legiones, tunc metatio latior & principia per vias suas magis divisa. Sic interpretor. II. Annalium de Germanico, qui cum copiis ad infelicem locum venit ubi Varus cæsus. Prima Vari &c. id est cum principia dimensi essent, repererunt tribus legionibus locum. Nec alter Henricus Savilius: quæ talia sunt, ut toto celo & mente Taciti & à more Romanorum distent. *Quis enim legit unquam, quot legiones, tot in castris Romanis principia fuisse, aut cum tres sub uno Consule legiones, tunc*

tunc metationem latiorem & divisa per vias principia? Inaudita hæc & absurdâ sunt. Jam hoc quoque parum probabile est, dimensum principia Germanicum: quid enim dimetiretur? an ut sciret cum quot legionibus Varus concidisset? at nemo hoc illa ætate ignorabat, an ut locum ubi tendissent, inveniret? at illum ipsa adhuc castra ostentabant. Hæc enim Taciti mens est. Ostentasse etiam tunc expugnata ante sex annos & disiecta Vari castra Romanæ compositionis modum & rationem & præcipue lato castrorum ambitu, id est circa vallum undique & in principiis ex disciplina Romana dimensis, sedem legionum. Per omnem enim castrorum ambitum cohortes legionariæ & ad principia duæ cohortes primæ tendebant, tertia in prætentura cum tres légiones essent, ut infra docet Hyginus.

*Ut opus valli tueantur.) Opus valli, opus castrorum & absolute opus, ut præcipua inter opera militaria, castrorum munitio passim appellatur. Hyginus infra totum hoc spacium, quod est inter vallum & legiones, opus pedum sexaginta vocat. Causa propter quam hic legiones collocat perspicua est & satis clarè docetur. Nec alia de causâ Æneas in urbe obseßa ea parte qua facillimè adiri potest & hostium insidiis maximè oportuna est, honoratissimos civium & participes reipublicæ, vigiles collocat.*

*Et exercitum gentibus meatum suo numero corporali immurosene.) Intricatissima lectio: cuius tamen sensum opinor, quam verba facilius divinaveris. Salmasius notis ad Vopiscum legit: & exercitum gentium suo numero corporali ceu muro teneant. Nos conabamur: & exercitum gentium exterarum suo numero corpora legionum contineant. Vel: exterarum gentium motum suo numero corpora legionum contineant. Tale enim aliquid latere videtur. Corpora legionum sunt legiones vel cohortes. Frontinus. Castra antiquitus Romani passim per corpora cohortium, veluti mapalia constituere soliti erant. Veteri militia manipuli: quo sensu Ovidius.*

Et totidem princeps totidem pilanus habebat  
Corpora.

Hyginus capite 4. *Ita fiet ut nationes suprascriptas ab omni parte contineant.*

*Quando autem supplimenta plura fuerint.) Supplimenta non sunt Hygino, quæ vulgo Latinis; sed auxilia: immò quicquid præter legiones militum in exercitu. Universum enim exercitum in legiones & supplimenta tribuit. Quod si legiones plures fuerint & supplimenta pauciora. Quantius tres legiones cum supplementis acceptæ fuerint. Auxilia equidem sub impe-*

imperatoribus non solebant tantum vicem legionum supplere, sed etiam ipsas interdum legiones. Tacitus Historiarum. III. *Classis Ravennatis legionariam militiam poscentibus optimus quisque adscit, classem Damatæ supplevere.* Idem de ordine militiae sub Vitellio principe turbato & confuso. *Sibi quisque militiam sumere quamvis indignus si ita maluerat urbanae militiae adscribatur: rursus bonis remanere inter legionarios vel alares volentibus permisum.* Sed cum laxius vocabulum hoc accipiat Hyginus, dubito anne Gromatici copiam, quæ intra viam sagularem tendit, supplementa appellaverint, quod inferiora castra vel locum ab legionibus nudum relictum supplerent.


*Ubi necesse est cohors pedaturam extendere.*) Malim: ut necesse sit cohortis pedaturam extendere: paulò post. *Quod si legiones plures acceperimus & supplementa pauciora, ut necessarium sit cohortes circa vallum crebrius ponere.*

*Cohortis pedaturam.*) Hyginus cum cohortium & & meminit, legionarias ferè intelligit, contra morem scriptorum ejus ætatis, quorum plerique cohortes auxiliares, quas hic cohortes equitatas & peditatas, sine alio additamento cohortes nominant, ut in Tacito, Suetonio, aliis passim videre est. At in Cæsare Ciceronisque & Pompeji epistolis observes, non tantum cohortes legionarias cohortes simpliciter dici, sed etiam eum cohortium numerum, qui plenas legiones facit, ut puta, decem, viginti, triginta, quadraginta, non minus sèpe per cohortes quam per legiones exprimi, sive quod ea tum placuerit ratio, qua omnes copiæ comprehendi possent, sive quod ex diversis legionibus, sive quod recens conscriptæ & nondum in legiones hæ cohortes distributæ essent.

*Pedaturam extendere.*) Cum pauciores legiones & supplementa plura fuerint, non quidem laxius tendent aut plus pedaturæ cohortes occupabunt: sed ita in longum exporrigetur earum pedatura, ut pauciores cohortes universum castrorum ambitum expleant: auxiliis verò cæterisque copiis intra viam sagularem tendentibus, plus spaciæ relinquatur.

*Servat altitudinem emistrici & id pede manenti jam mutavimus:*) Lego: servatâ latitudine hemistrigii & ad pedem manente aream mutabimus vel eam mutabimus, ut referatur ad & pedaturam. Mutabimus quidem aream & latitudinem ejus imminuemus. Sed ea tamen lege, ut latitudo hemistrigii triginta pedum observetur, hoc est, ut triginta & inde multiplicatis pedibus, puta, nonaginta vel centum viginti imminuatur, ita latitudo hemistrigii servabitur. Longitudo autem hemistrigii plerunque centum viginti pedibus augetur vel minuitur, ut integræ centuriæ eodem ordine tendant. Sed plerunque non semper: in forma enim centum

quin-



AA Hemistrigium

BB Striga

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

Back of  
Foldout  
Not Imaged

quinquaginta per centum quinquaginta id non observatur; quam tamen Hyginus ideo in quantum fieri potuerit evitare jubet. Hoc quoque in mutatione hac pedaturæ cohortis obserbatur, ut hemistrigia ejusdem longitudinis sint, [www.lib.utexas.edu](http://www.lib.utexas.edu) quone aut partem nudam relinquere, aut cohortes misere necesse sit.

*Ad pedem manente.)* Hyginus infra. *Ut alæ milliaræ in pedaturâ ad pedem tendant.*

*Ut quis fuit CXX per CLXXX.)* Scribe: ut quæs fuit, vel ut quæ fuit: videlicet, area vel pedatura cūjus latitudo centum viginti, longitudo centum octoginta pedes. *Centum viginti*, inquit, *per centum octoginta*, quia area, lineis rectis sed transversis finitur, & ut magnitudinem ejus inveniamus, latitudinem per longitudinem metiur. Fron-tinus. *Pes constrictus sic obserbatur: longitudinem per latitudinem metiemur.* &c. Constat hæc area sex hemistrigii: hemistrigium centuriam accipit, ut in forma subjectum est, N. i. Non enim quinque centurias, ut vult Vegetius, sed sex, antiquo Romanorum instituto, cohors Hyginianâ habet. Probant id omnes hæc quæ cohorti adsignantur pedaturæ: tum quod ampliores, quam quinque centuriæ requirant, tum quod alias formæ, quam in qua quinque centuriæ rectè tendant ex præscripto Hygini, qui vult centuriam eodem quamque hemistrigio accipi. Quinque centuriæ isto modo quinque hemistrigia postulant: at hæc pedaturæ, alia sex, alia tribus, alia duobus hemistrigii constant. Nulla itaque harum ejusmodi cohorti apta est. Quare fallitur Salmasius in libro de re militari Romanorum, qui putat, ex quo cohortes primæ milliaræ factæ sunt, cæteras cohortes, (atque adeo hanc ipsam ob causam quod cohortes primæ milliaræ) quinque tantum centurias habuisse: in legione enim Hyginianâ, quamvis cohortes primæ duplum numerum, cæteræ tamen omnes sex centurias habent.

*Sic sit XC per CCXL.)* Hac formâ in castris Hyginianis trium legionum cum supplimentis, sedecim cohortes legionariæ lateribus castrorum tendunt. Accipiunt ex longitudine castrorum ducentos quadriginta, ex latitudine nonaginta pedes & tendunt tribus hemistrigii, quorum unumquodque duas centurias accipit.

*In modum forma & subjectum)* I. in modum forma subjectum. Formam vide, N. 2.

*Vel LX per CCCXL.)* Hac forma quatuor cohortes in iisdem castris ad vallum juxta portam prætoriam, totidem juxta decumanam duabus singulæ hemistrigii tendunt. Subjecimus formam, Num. 3.

www.libtool.com.cn

N. 2  
240.

N. 3  
360.

N.4  
360.

XXX. enim ped. perdiæ XX. cohors unum occupat.) Corruptissima lectio. Vir amplissimus légendum putat: *Triginta enim pedes perticæ cohors una occupat.* Unam enim adsignationem perticam mensores appellant. Sed scribimus *Triginta triam pedes per septingentos viginti cohors una occupat.* Nam ex corrosis & vitiatis notis numeralibus D C C X X, facile nasci potuit scriptura libri D FÆ X X, & descriptis jam pedaturis quibus sex tribus & duobus hemistrigiis cohors tenderet, supererat, ut hanc adjiceret, quia uno eodemque hemistrigio. Nam quinque & quatuor hemistrigiorum consulto hic omisit, quia in his centuriæ suo ordine tendere non possunt.

*Longitudo partis minuetur.*) Quantum alteri parti adjicitur, alteri demetur, sive longitudo sive latitudo fuerit: eadem enim ratio est. *Partem* hic vocat aream vel pedaturam quæ cohors tendit. Hæc non semel Polybio μέγαιος dicitur. Livius, *Admiratus esse dicitur & universam castrorum speciem & descripta suis quæque partibus.* Sed vide, an ne rectius hæc periodus legatur: *Nam quoties latitudo duplicatur, longitudo partis minuetur:* ut latitudinem & longitudinem vocet, quæ in prima illa forma centum viginti per centum octoginta longitudo & latitudo fuerunt, & causam adjiciat, quare has pedaturas ita mutaverit, quia alteri parti deniendum sit, quod adjicitur alteri: nam illa quæ sequuntur, opposita sunt his, quæ jam dixit. Dedit enim principio cum hemistrigii rationem docuit, formam, quæ accepit latitudinem centum viginti pedum. Adjecit deinde, quomodo hæc extendenda sit, cum pauciores legiones acceperimus, quam quæ hac formâ omnem castrorum ambitum complecti possint. Nunc sequitur, quomodo imminuenda hæc latitudo, cum plures legiones fuerint, quam quæ hac pedatura ad vallum tendere possint.

*Quot legiones plures.*) Forte: quod si legiones, &c.

*Ut necessarium sit cohortes circa vallum crebrius ponere.*) Quare necessarium? quia cohortes legionarias ad vallum vult tendere; aut omnes aut certè plurimas. Cum igitur plures fuerint minus unaquæque spaci ex ambitu castrorum accipere poterit. *Crebrius ponere.* Hyginus. *Per singulos ordines vigilæ crebrius ponuntur, sed an ne crebriores?* Salustius. *Vigilias crebras ponere & eas ipse cum legatis circuire.* Tacitus. *Postquam crebras pro munimentis cohortes & nihil remissum sensere.*

*Convertimus pedaturam quod fuerit signis tabulinum inum sensitra mutabimus.*) Forte: convertimus pedaturam, quod fuerat signis tabulinis dabisimus & hemistrigia mutabimus ratione tensuræ suæ. Cum plures, inquit, legiones fuerint, quam quæ dictis jam modis ad vallum tendere omnes possint,

sint, formas quidem non mutabimus, sed convertemus; ita ut brevius earum latus vallum contingat: exempli gratia: areæ nonaginta pedum per ducentos quadraginta latus pedum ducentorum quadraginta ad vallum erat ~~w~~nunc ~~l~~ibet ~~v~~el ~~s~~o pedaturæ latus pedum nonaginta ad vallum pone-  
mus. Fuerant antea tabulino nonaginta, signis ducenti quadraginta: nunc contra tabulino ducentos quadraginta, signis nonaginta pedes dabi-  
mus. Similiter aream pedum sexcentorum per trecentos sexaginta, si res  
exigat, convertemus ut cohors in ambitu castrorum sexaginta tantum  
pedes occupet. Ita fiet, ut cohortes iisdem formis & pedaturis, sed conver-  
sis, crebriores circa castrorum munimenta ponantur: quia autem pars hæc  
areæ ad vallum spectans minorem centum viginti pedibus latitudinem  
habet & proinde centuriam integrum non capit, hemistrigia quidem ut  
antea ratione areæ ordinabimus: sed cum areæ conversâ etiam hæc con-  
vertentur & ratione tensuræ suæ mutabuntur: antea enim ordines papi-  
lionum quibus legiones tendunt ab angulo castrorum ad alium angulum  
per longitudinem valli excurrebant: nunc contra à vallo ad viam sagu-  
larem & inferiora castra exporrigitur: hic uti arbitror vitiati hujus &  
obscuri loci sensus est. Signa autem & tabulinum Grōmaticorum voca-  
bula sunt, quibus duæ areæ partes latitudo & longitudo designantur.  
Nam Hyginus cum paulò ante cohorti nonaginta per ducentos quadra-  
ginta dederit; infra eandem rem, aliis verbis dixit. *Tabulino nonaginta,*  
*signis ducentos quadraginta pedes.* Item de cohorte primâ. *Quoniam duplum*  
*numerum habet, duplam pedaturam accipiet, ut puta, signis pedes centum*  
*viginti, tabulino pedes trecentos sexaginta, vel signis centum octoginta, tabu-*  
*linio pedes ducentos quadraginta.* Ubi manifestum est, duo latera padaturæ  
quæ cohorti primæ datur, describi. Cum enim antea cohorti dederat  
sexaginta per trecentos sexaginta & nonaginta per ducentos quadraginta,  
nunc cohorti primæ quia duplum numerum habet, duplicato minori  
numero pedum, quem signorum nomine appellat, alterum tantum ad-  
signat. Sed quamvis appareat duæ pedaturæ partes hisce vocabulis indi-  
gitari, non tamen causâ latitudinis aut longitudinis vel minoris aut ma-  
joris pedaturæ altera pars signorum altera tabulini nomen accipit: in  
cohortium enim lateribus castrorum tendentium pedatura nonaginta per  
ducentos quadraginta minor pedatura tabulinum, major signa dicitur: at  
in pedatura cohortis primæ. Item alæ milliarie contra major pedatura  
tabulinum, minor signa. Non ratione hemistrigiorum: nam in pedatura  
cohortium signorum latus est, longitudo hemistrigiorum: tabulinum  
latitudo. In pedaturâ alæ milliarie contra. Nec etiam ratione totorum  
castro-

castrorum : signa enim cohortis primæ ad principia tendentis latus sunt pedum centum: viginti iuxta viam principalem per latitudinem castorum fere extendens. In cohorte vero legionariâ & alâ milliarâ latus quod ad vallum & viam prætoriam ex porrigitur. Nihil itaque probabilius succurrit, quam signorum latus esse quo signa constituuntur, constitui autem eo latere, quo quæque cohors aut ala viam aut intervallum grandius habet, in quod se cum ad arma conclamatur, effundit : ut pûta, signa cohortis primæ latere prætorii tendentis ad principia: cohortium cæterarum ad vallum: alâ milliarâ ad viam prætoriam & sic deinceps. Non quidem ignoro in dictatione metarum mensores ad omnes angulos signa posuisse. Frontinus. *Cujuscunque loci mensura agenda fuerit, eum circumire ante omnia oportet & ad omnes angulos signa ponere.* Autor incertus. *Ad omnes angulos signa ponenda, quæ normaliter ex rigore aguntur.* Testatur etiam Polybius in metatione castrorum ad angulos cujusque areæ hastas vel vexilla figi, unde adsignare locum pedaturam in metatione occurrit: Sed cum ad omnes angulos signa hæc ponantur, unum vel duo latera opposita nomen inde non videntur traxisse. Probabilius itaque ut diximus, signa dici illam partem quæ signa militaria constituuntur aut certè ad quæ spestant: Hoc enim verbo utitur Hyginus in copiis in prætenturâ tendentibus: *Quoniam ad viam prætoriam signa spectare debebunt.* Quod nec mediocriter confirmatur hoc ipso loco: conversâ enim pedaturâ, non signa etiam & tabulinum convertuntur. Sed datur signis quæ fuerat tabulino pedatura manentibus eo quo antea fuerant loco signis & tabulino. At unde pars altera pedaturæ tabulinum dicatur, obscurius est: an à tabulis interstantibus? Tabulinum enim etiam vocatur, quod tabulis fabricatum est. Varro. *Ad focum hyeme ac frigoribus cænitabant: aestivo tempore in propatulo, rure in corte, in urbe in tabulino, quod Mænianum possimus intelligere tabulis fabricatum.* An verò quod revera tabulinum cohortium in qua matriculæ & quicquid scripti erat servaretur ab illâ parte esse?

*Cujusque generis subjecimus.)* Columella. Sed quoniam diversæ agrorum formæ veniunt in disputationem cuiusque generis species subjecimus, quibus quasi formulæ utemur. Nisi malis: hemistrigia mutabimus, rationem tenituræ sui cuiusque generis subjecimus. Cæsar. Primam aciem quaternæ cohortes ex quinta legione tenebant, has subsidiariæ ternæ & rursus aliæ totidem suæ cuiusque legionis subsequebantur. Suetonius. Ter in annum quaternum mensum tesseras dare destinavit, sed desideranti consuetudinem veterem concessit ut sui cuiusque mensis acciperet. Quod frustra mutat Torrentius in Nonas cuiusque mensis. Intelligendum enim concessisse, ut tesseras sui cuius.

cujuſque mensis acciperet ſolito & veteri more.

*Aliqua cohors C L. per C L. ſolet adſignari.) Scribe: aliquando co-  
horti centum quinquaginta per centum quinquaginta ſolet adſignari.  
Quadratum æquilaterum centum per centum Polybio iuſta manipuli vel  
turmæ pedatura eſt. At Hyginus cohortibus, (per cohortes omnia more  
à Mario iuſtituto ordinat) non quadratum æquilaterum, ſed aliquot  
χήματα alterā parte longiora tanquam iuſtas cohortium pedaturas adſi-  
gnavit. Nunc oſtendit quadratum centum quinquaginta per centum  
quinquaginta aliquando etiam cohorti dari: ſed in bonis formis non ha-  
bet & duabus præcipue de cauſis evitari jubet.*

*Sed in quantum fieri potest debitari debet, de eo quod centuriæ ſuo ordine ten-  
dere non poterint.) Corrigere: evitari debet, ideo quod centuriæ ſuo ordine  
tendere non poterunt. Cap. ultimo. Ab eo latere quo novercæ evitari non po-  
tuerunt. & 2. ad vallum ſi fieri potest, ideo tendere non debent quod, &c. Prima  
cauſa propter quam pedaturam hanc rejicit, quod centuriæ quas integras  
eodem hemifrigio collocari vult & in ſuperioribus pedaturis colloca-  
vit, in hac diſtrahantur, pars earum uno hemifrigio tendat, pars in  
aliud traducatur. Cum enim in hemifrigio centum quinquaginta pedum  
triginta pedes ſuperent pedaturam iuſtam centuriæ: duo ſecundæ centu-  
riæ papiliones in primo hemifrigio: cæteri in ſecundo tendent. Qua-  
tuor verò tertiiæ centuriæ papiliones eodem ſecundo hemifrigio: reli-  
qui in tertium transferentur & ſic deinceps. Accedit ad hanc, opinor,  
ἀταξίᾳ, quod ſecundum papiliones centurionum nihil viæ relinqui poſſet  
reclā pércurrentis.*

*Et pedatura cohortis uno pariter nudabitur.) Lege: unâ parte nudabitur.  
Hæc eſt ſecunda cauſa: nam cum duodecim papiliones non niſi quatuor  
& quadraginta pedes poſtulent, & ſex pedes reliqui in quoque hemifrigio  
centum quinquaginta pedum, papilionem non capiant: ſequitur, ut  
undi relinquantur & pereant; quod Hyginus pedaturæ minimè prodigus  
evitari vult. Lucanus.*

Nudatos Cæſar colles deſertaque caſtra

Conſpiciens, capere arma jubet.

Vide formam num. 5.

N. 5.

www.libtool.com.ar

6													
10	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10.	1	2	
5													
9													
5													
10	3	4	5	6	7	8	9	10.	1	2	3	4	
12													
10	5	6	7	8	9	10.	1	2	3	4	5	6	
5													
9													
5													
10	7	8	9	10.	1	2	3	4	5	6	7	8	
12													
10	9	10.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	
5													
9													

Cohors prima causa signorum & aquila.) Marianâ militiæ mutatione  
 aquilam à triariis ad cohortem primam translatam fuisse, dubium non est.  
 Vegetius de hac. *Hæc suscipit aquilam quod præcipuum signum in Romano  
 semper exercitu & totius legionis insigne.* Quare sedes quoque aquilæ in ca-  
 stris, ut hic ostendit Hyginus apud cohortem primam, & ut infra docet,  
 contra scamnum legatorum ad viam principalem erat. *Scholæ cohortibus  
 primis in scamno legatorum contra aquilam dari debent.* Illud verò quæren-  
 dum, anne præter aquilas eodem loco cætera signa? Nam velle id Hygi-  
 num, non immeritò aliquis suspicetur. *Causa signorum, inquit, & aquilæ  
 intra viam sagularem pedaturam accipiet.* Quare causa signorum nisi omnia,  
 aut plura utique quam apud cæteras cohortes, signa apud cohortem  
 primam constituantur? Confirmat rem eandem Tacitus, Annalium pri-  
 mo. Ubi ait, Planco, quem occidere parabant seditiones legiones, *pericli-  
 tanti, non aliud subsidium fuisse, quam castra prime legionis* ( id est ea pars  
 castrorum, qua prima legio tendebant: quod moneo, ne quis existimet cum  
 Viro doctissimo mutandam interpunctionem.) *Illic signa & aquilam am-  
 plexus, religione se se tutabatur, ac nō Aquilifer Calpurnius vim extremam ar-  
 cuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, san-  
 guine suo altaria delum commaculariisset.* Ubi & hoc notandum, quod ad  
 signa, altaria quippe quæ ut propria legionum numina, ut præsentes &  
 testes sacramenti, dii religiose colebantur & adorabantur & in stativis &  
 hibernis ( ut Dio & Herodianus testantur ) collocabantur templo vel  
 facello. Accedit, quod quæ eâ viæ principalis parte, ad quam aquilæ  
 constitutæ, gerebantur: *ad vel apud signa geri dicuntur.* Lucanus. *Convo-  
 cat armatos ex templo ad signa maniplos.* Tacitus. *Furejurando Pæti cautum  
 apud signa, neminem Romanum Armeniam ingressurum.* Vulcatius Gallicanus  
 de Avidio Cassio. *Ad signa edici jussit, ut si quis cinctus inveniretur apud Da-  
 phen, discinctus rediret.* Sic Antoninus epistola ad Cornelium Balbum scri-  
 bit, *se literas ad signa recitandas misisse.* Præterea, Tacitus Annalium primo  
 tradit, seditione Pannonica milites seditiones, *tres legiones in unam miscere  
 agitantes, unde tres aquilas & signa cohortium collocasse.* Quid? nisi ut trium  
 legionum signa ita constituerent, ut vulgo unius legionis constitueban-  
 tur. Quæ quamvis signa unum in locum videantur contrahere, non de-  
 sunt tamen argumenta, quæ ad quamque centuriam & cohortem, signa sua  
 disposita fuisse, probent. Primo enim centuriæ non alio quam quo manus-  
 ræ essent loco, signa leguntur constituisse: unde illudjam olim illius in foro  
 Romano. *Signifer statue signum hic manebimus optimè.* Eundem morem  
 ne quis antiquioris tantum ævi putet. Vegetius in positione castrorum  
 suorum

suorum tradit & addit primum omnium fuisse quod agerent castra collo-  
 caturi. *Prima*, inquit, *signa suis locis intra castra ponuntur*, quia nihil est  
 venerabilius maiestate eorum militibus. Loca vero quibus figerentur palam  
 etiam designat pedaturam quam quæque centuriæ acciperent. *Singule*  
 centuriæ *dividentibus campi doctribus & principiis*, accipiunt pedaturas &  
 scutis ac sarcinis suis in orbem circa propria signa dispositis cincti gladio fossam  
 aperiunt. Ut nesciam quâ exciderit Lipsio, quod dicit Vegetii ævo signa uno  
 in loco circa principia constitisse. Idem enim adfirmat lib. I. c. 23. *Intra*  
*portam prætoriam primas centurias*, hoc est cohortes papiliones tendere dracones  
 & signa constituere. Si intra portam prætoriam, non utique intra viam  
 principalem. Videtur & Flaccus per tota castra signa spargere, cum castra  
 in universum *signis fulgentia*, ut alibi, *agmina pilis horrentia*, appellat. Acce-  
 dit & hoc, quod Hyginus latus alterum pedaturæ quam cohors accipit,  
 signorum nomine donat: non alia probabiliter, ut supra diximus, de causa,  
 quam quod ad illud latus signa spectent. Quod autem Hyginus hoc loco  
 signa cohorti primæ in castris apponit, de potioribus & totius legionis  
 & ejusdem cohortis signis & fortasse etiam de imaginibus deorum & im-  
 peratorum intelligi potest. Ut & inde locus ad principia, *ad signa*, sit  
 appellatus. Quanquam cum milites ad signa convocari aut aliquid ad  
 signa geri dicitur, dubito, an intelligantur sedes aquilarum, quæ apud  
 cujusque legionis cohortem, ut hic Hyginus ostendit, primam: non eodem  
 omnes loco, quædam earum à prætorio aliquanto remotæ. Principia po-  
 tius ipsa & eam principiorum in primis partem, qua tribunal possum  
 intelligo: è enim advocata concione, miles sub suis quisque signis con-  
 veniebat & aquilas & signa sua circa tribunal constituebat, ut numismata  
 vetera ostendunt & nos infra dicemus. Hinc ad signa convocari miles,  
 ad signa aliquid edici aut geri dicitur. Quod autem de signis cohortium  
 unum in locum contractis Tacitus scribit, quia seditionis & confusionis  
 est, nescio an in argumentum trahi debeat. Quod si rem ipsam confide-  
 remus, ne veri quidem simile signa cohortium & centuriarum, illa tam  
 necessaria ad excitandam continendamque militarem fidem, illa tam  
 utilia in subitis belli & nec opinatis tumultibus ad danda & accipienda  
 imperia, illos bellorum deos quos deserere nefas & à quibus illi demum  
 abesse dicebantur, qui à castris aberant à cohortibus & centuriis suis  
 remota & aliorum tutelæ quam suorum commienda fuisse.

Intra *be sagulariam*. ) Scribo: Intra viam sagularem, ut infra. Per ri-  
 gorem *viae sagularis*. Item. *Reliqua quatuor millia intra viam sagularem*:  
 eadem via alibi errore, ut opinor, librarii, *Angularia*, dicitur. *Viae an-*  
*gulariae*

gulariæ triginta pedes sufficient. Salmasius ad Flavium Vopiscum legit hoc loco, *intra viam sagulariam*. Sanè eo nos scriptura ducit & ratio linguae latinæ, ut sagularem & sagulariam credamus dictam, ut alaris & alarius, auxiliaris & auxiliarius, singularis & singularius, gregalis & gregarius & sexcenta alia. Sed unde hoc nomen fortita est? unde via prætoria, principalis, quintana nominatae sint, quamvis obscurum non sit, in hac brevitate Hyginus non omisit. De hac sola nihil dixit, cum tamen origo nominis minus obvia id in primis postulet. Neque habeo certi quicquam, quod adferam, nisi à sagulo sagularis dicta, quod terga cohortium legioniarum istar saguli circumdet. Nam hæc viæ hujus ratio & situs. Hyginus infra. *Duæ primæ lateribus prætorii per rigorem viæ sagularis, aliæ in prætentura similiter per rigorem viæ sagularis intrantibus portam prætoriam parte lœva.* Ergo & lateribus prætorii & in prætentura non procul à portâ prætoriâ via sagularis: & tam hac quam illa castrorum parte, cohortes primæ per rigorem ejusdem viæ tendunt: de retentura ad portam decumanam, hic quidem non loquitur, neque id locus postulat, cùm nullæ ibi cohortes primæ: eadem tamen ratio, quâ cohortes legionariæ à fronte & à tergo castrorum tendunt, requirit, ut illic eadem quoque via sit. Quod & inde fit verisimile, quod metationem supplementorum illic æquè ac cæteris castrorum partibus separatim, tanquam divisorum à legionibus describit. Sed verò viam sagularem per totam castrorum longitudinem exporrigi manifestum. In computatione enim latitudinis castrorum triginta pedes dat latitudini viæ sagularis & sexcentos pedes dimidiæ castrorum parti intra viam sagularem. Via hæc itaque supplementa velut coronâ circumdat & à cohortibus ad vallum tendentibus dividit. Huic lateribus castrorum in polybianâ metatione respondet, via quinquaginta pedum inter socios latini nominis & hastatos media.

*Et quoniam duplum numerum babet.*) Lipsius & Salmasius sub imperatoribus medii ævi collabente jam re Romana, cohortes primas duplum numerum demum accepisse & milliarias factas putant. At Vegetius de cohortibus primis milliariis, tanquam antiquo instituto, loquitur libro II. c. 12. *Decem cohortes habere legionem diximus, sed prima erat millaria, in qua censu, genere, literis, formâ, virtute pollentes, mittebantur.* Erant inquit & mittebantur. Non quidem optimus autor antiquitatis. Vegetius ut cui antiqua interdum non quæ liberâ republica aut sub primis imperatoribus, sed etiam quæ sub Trajano, Hadriano, Antoniniis in usu fuerunt: miscet tamen non raro etiam antiquiora & inter ætatis suæ fôrdes, flores quosdam ex priscis scriptoribus decerptas spargit. Idem hic ei fortasse con-

contingit. Nam cohortibus primis legionum jam Cæsar & Cicero peculiare aliquid tribuunt. Ille de bello Gallico. V. *Duabus missis subfido cohortibus atque his primis legionum duarum.* Hic libro V. epistolarum ad Atticum. At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primipuli nobilem sui generis. In acie Pharsalicâ Craftinus evocatus, qui priori anno primum pilum duxerat, (*σινδρῶν ἐκαπὸν ἔνεστι λοχαργὸν* vocat Plutarchus Pompejo) centum viginti homines ejusdem centuriæ secum in hostem rapuisse traditur. *Primus ex dextro cornu procurrit atque cum milites electi circiter centum viginti voluntarii ejusdem centuriæ sunt prosecuti.* Fuisse autem centuriam cohortis primæ, vero non absimile est, tum quia cohortes primæ, primæ ferè in prælio concurrebant, tum quia Craftinus primipilus prioris anni eos manipulares suos fuisse ait. Nec obstat quod voluntarios appellat Cæsar. Nam inde cohortes primæ principio cæteris grandiores factæ fortasse sunt, quod voluntarii & electi milites in iis centuriarentur. Quod si centuria cohortis primæ jam tum centum viginti homines, totam cohortem etiam duplum numerum habuisse, non dubitamus. Inter causas quare cohortes primæ olim cæteris nihilo majores posse adauctæ fuerint, primum locum hæc tenere videtur, quod ex quo acies per corpora integra cohortium instrui cœpit, aquila legionis quæ antea in tertia acie apud triarios erat, in primum traducta fuerit, ubi nisi & majori manu & ipso virorum robore septa; hostili impetui exposta fuisse & objecta. Atque ætate Julii Cæsaris, jam vulgo acies per cohortes ordinabatur & in prima acie aquila erat. Considerent itaque antiquitatis periti, anne jam tum cohortes primæ majores fuerint.

*Si legiones impares hoc est tres acceptæ fuerint.)* Quamvis postremis libertatis temporibus & sub imperatoribus numerus legionum, alias in hac, alias aliâ provincia & nunc unâ, nunc duabus, tribus, quatuor, quinque & pluribus legionibus iisdem in castris respublica gereretur. Hyginus tamen infra tres legiones cum supplementis tanquam justum ætatis suæ exercitum in exemplum proponit, ut Polybius exercitum consularem duas legiones Romanas, cum sociis latini nominis. Ac sancè numerus militum gravis armaturæ in utroque exercitu, si legiones illæ veteres quinque millium, ut erant aliquando, fuerint, non multum discreparerit. Hæ enim tres legiones totæ ex gravius armatis militibus. Illæ quatuor (socios ad duas legiones computamus.) velites suos insertos haberunt. Africanus *πενταγοναρχίας* duas & triginta habere vult justum exercitum, ex quibus triginta tantum instruit & in totidem partes dividit aciem.

*Duæ primæ.*) Intellige cohortes, neque enim de metatione duarum legionum hic agit, quas ad vallum; non verò intra viam sagularem locat: neque duæ primæ legiones possunt intelligi. Hyginus. *Quoties autem quinque vel sex legiones acceptæ fuerint, duæ cohortes primæ lateribus prætorii tendere debebunt.*

*Lateribus prætorii.*) Latera prætorii sunt pars media castrorum, ut diximus, à via principali ad quintanam dextra lèvaque prætorii. Sic medianam aciem ad exemplum, opinor, castrorum. *Castræ præatoria dicta fuisse Ammianus Marcellinus scribit Historiarum XVI I. Iter sibi aperiendo ad usque primanorum legionem pervenit locatam in medio, (quæ confirmatio castra præatoria dicitur) ubi densior & ordinibus frequens miles instar turriū fixa firmitate consistens, prælium majore spiritu repetivit.*

*Per rigorem viæ sagularis.*) Rigor est, ut ait Frontinus de agrorum qualitate, *quicquid inter duo signa vel in medio lineæ rectum perspicitur.* οὐδεὶς Græci dicunt.

*Alii in prætentura.*) Forte: Alia: sed solet mutare numerum. Ac hic quidem locus cohortium primarum lateribus prætorii & in prætenturâ intra viam sagularem, sed non procul à portis tribus præcipuis, duabus principalibus & prætoriâ; sive illa defendendæ, sive in hostem educendus exercitus: singularis enim non immeritò portarum cura erat & stationibus antiquitus semper firmabantur. Africanus τὰ πρετέντους τὸ διάπολων τεγμάτων ad portas collocat. Leo de nocte τούς ξενισμού-πους ταῦτα cum cohortibus suis. Sed hæc alterius loci sunt. Illud hic quærit non immeritò possit, an legati & tribuni omnes ab aquilâ & cohorte primâ legionis in prætenturâ tendentis remoti ad viam principalem tenderent? videtur sanè. Nullam enim aliam iis Polybius & Hyginus pedaturam adsignant. Legio itaque, quæ in prætenturâ primipilum & omnium ordinum centuriones tantum juxta suam quosque centuriam habebat sed nullos tribunos.

*In prætentura.*) Vir doctissimus in commentariis ad Ammianum Marcellinum scribit: prætenturam in castris dictum olim locum ad vallum, ubi cohortes primæ exploratores & classici cum auxiliaribus equitibus tendingerent, ejusque rei testem citat Hyginum. Ac fateor quidem Hyginum in compositione trium legionum cum supplementis, uni cohortium primarum necnon exploratoribus & classicis item equitibus alariis in prætentura pedaturam adsignare. Sed prætenturam, eam utique prætenturæ partem, quâ his pedatura adsignatur, ad vallum fuisse nego: cohortes enim legionariae, quamvis & ipsæ in prætenturâ, ad vallum frontem & latera horum

horum tegebant. Prætendebant & vexillarii unius legionis, sed non ideo ad vallum tendebant. De his Hyginus. *Tendere debent in prætenturâ vel latere prætorii, ut dixeram super cohortes primas: ad vallum si fieri potest, ideo tendere non debent, quod legatus eorum pariter non sit.* Apparet autem totam illam castrorum partem, quæ est inter viam principalem & portam prætoriam, Hygino prætenturam esse. Ostensurus enim rationem compositionis prætenturæ, à via principali orditur. *Nunc, inquit, prætenturæ rationem exponam. Via principales est.* Ad hoc alas milliarias, quas secundum scamnum legatorum (quod est ad principia) interposita tantum viâ collocat, easdem in prætentura tendere ait. *Ut sciamus quot alæ in prætentura tensuræ sint.* Item. *Quod si alæ in retentura positæ fuerint & pedites in prætentura sive cohortes equitatæ nulla necessitate cogente, sine dubio metatoris imperitiæ signum est.* Exporrigitur sanè pars hæc castrorum hinc inde lateribus castrorum necnon ad portam prætoriam ad vallum usque. Sed ideo non magis locus ad vallum est, quam cæteræ castrorum partes vallum ab aliqua parte contingentes. Quanquam non negaverim sonum vocabulorum respicienti illos propriè & prætendere & retendere videri, qui à fronte & tergo castrorum positi ad vallum spectant. Ac hoc sensu accipit noster cum ait: *Prætendant & retendent quatuor millia & singulæ sexaginta per trecentos sexaginta.* Cohortes enim legionarias intelligit. Sed ferè alibi laxius sumit prætenturam. Apud Vegetum, Ammianum, aliosque ejusdem ævi scriptores, prætenturæ & agrariæ & stationes agrariæ passim pro præfidiis militum, quæ castellis & aliis locis extra castra, tuendæ regionis causâ imponebantur: ipsa etiam loca in quibus hæ stationes prætenturæ dicuntur: ut & præsidium locus, in quo præsidium est; ut verò præsidium & subsidium opposita. *Præsidium enim est,* ut ait Festus, vel ex eo Paulus Diaconus, *quod pro utilitate & salute alicuius auxiliij gratia præponitur: subsidium quod postpositum est ad subveniendum laborantibus.* Sic in castris prætentura & retentura partes adversæ, altera prima altera postrema sunt.

*Intrantibus portam prætoriam parte levavit extra cohortes contrario tendat.) i. intrantibus portam prætoriam parte lœva, ut dextra cohortes contrario tendant. Nisi velis & numerum harum quoque cohortium expressum: tres enim cohortes legionariæ cohorti primæ cum vexillariis dextra viæ prætoriæ in compositione trium legionum opponi videntur.*

*Ut possit exercitus cum vinatus educi.) sc. & possit exercitus combinatus educi; Glossæ. combinat, ζευγνει συναπτει. Diomedes. Pedes poëticæ duplices, qui vel compositi vel combinati sedecim. Sensus est. Opponendum cohorti*

cohorti primæ cohortes legionarias, ut cùm educendus est exercitus cum cohorte primâ vel statim post eam, tanquam combinatæ possint educi. Cum enim ex sua quique striga in majorem viam se effundant, sequitur ut dextra levataque ejusdem viæ tendentes in eâ conjungantur; quare ejusdem generis milites ab utraque parte collocari & legionarios legionariis, alarios alariis, nationes nationibus vult opponi. Nam aliter collocati distraherentur in concursatione qui ejusdem generis: combinarentur qui diversi, quod confusione proximum.

*Viae cohortes primæ.* ) Scribe: duæ cohortes primæ. Non enim de via, sed tensione cohortium primarum hic agit. Cum quinque vel sex legiones acceptæ fuerint, duas cohortes primas lateribus prætorii, duas in prætentura ponit: de una vel duabus reliquis hic filet, sed infra in retentrâ per rigorem viæ quintanæ collocat.

*Valetudinariam.* ) Valetudinarium autore Vegetio pertinebat ad curam præfecti castrorum, Lib. I. c. 10. Macer Jurisconsultus inter munia tribuni recenset, *inspicere valetudinarios*: Vegetius alibi principum, tribunorumque & comitis etiam diligenter commendat, Libro tertio. Ut ægri contubernales oportunis cibis reficiantur ac medicorum arte curentur, principum tribunorumque & ipsius comitis qui majorem sustinet potestatem jugis queritur diligentia. Magni quinimo imperatores non habebant satis delegare hanc provinciam quantumvis principibus viris, nisi & ipsi sufficienter. Invisere ægros & saucios non primores tantum, sed manipulares sustentare alloquio, cura, ope, sibique & bello firmare. Occurrit passim apud veteres inter laudes imperatorias. Unum atque alterum nunc adducemus: de Tiberio Cæsare Vellejus. O ! rem diu non eminentem, sed solidâ verâque virtute atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem, per omne belli Germanici Panonicique tempus, nemo è nobis gradum ve nostrarum aut præcedentibus aut sequentibus imbecillus fuit, cuius salus ac valerudo non ita sustentaretur Cæsaris curâ tanquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum lectica ejus publicata, cuius beneficium cùm aliis tum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balinei nullius non succurrerit valetudini. Domus tantum ac domestici deerant: cæterum nihil quod ab illis aut præstari aut desiderari posset. Plinius Paneginico Trajani. Quid? quum solatium fessis ægris opem adferres? Non tibi moris tua iniire tentoria nisi commilitonum ante lustrasses nec requiem corpori nisi post omnes dare. Tacitus de Germanico. Ut cladis memoriam etiam concitatè leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens, alium spe, aliunus

alium gloria, cunctos alloquio & curâ sibiique & prælio firmabat. Et magnâ profectâ ratione: nulla enim justior cura, nulla in publicum utilior, neque in vulgus gratior humanitas, quam quæ in imbecillos & saucios exercetur. Quis in ima castrorum plebe, tam plebejo & abjecto animo, qui se curæ esse principibus, suos labores ab Imperatore nosci, sua vulnera confaci, non ponat in parte felicitatis? Habent vultus adfatusque magnorum virorum, nescio quid quod medicæ opi adjunctum, sæpe supra illam ipsam animi & per animum corporis valetudini conducat.

*Deinde vexillariæ cohors sedunda.) Lege : deinde vexillarii, cohors secunda.*

*Cohors legionariæ dare debet.) Lege : cohorti legionariæ dari debet. Ut LXX pedes valetudinarium.) Numerus corruptus. Valetudinarium, veterinarium & fabrica, tum singula tum universa ad certum hominum numerum computantur. At nullus numerus septuaginta pedes accipit; non in latitudine strigæ: triginta enim & sexaginta pedibus omnia definiuntur: non in longitudine, quia sexaginta homines, duo & septuaginta pedes occupant. Sed dictu non tam facile, qui numerus fuerit, cum non satis constet de latitudine hemistrigii, an de longitudine: de tribus his speciebus, an de una loquatur? & numeri insuper, quibus notaverat Hyginus ad quot homines haec species vel singulæ vel in unum computentur, depravati sint: ad quos dabimus qualisemcunque conjecturam nostram.*

*Et reliqua quæ supra tendens.) Scribe: quæ supra tendent: id est supra cohortem legionariam vel vexillarios: nam veterinarium & fabrica non supra valetudinarium, sed eadem, ut opinor, strigæ. Superior pars castrorum retentura, inferior prætentura: supra alios tendunt qui portæ decumanæ propiores.*

*Veterinarium.) Nota curam Romanorum, & ut ita loquar, humanitatem etiam erga jumenta imbecilla: suum iis valetudinarium in castris, sui medici: non enim fabris ferrariis & indoctissimis quibusque, uti hodie moris, sed medicorum filiis res veterinaria olim demandabatur: & erat illo ferreo & duro ævo in illa sede laboris, major ægrorum jumentorum cura, quam hodie quibusdam in castris luxu diffluentibus militum gregiorum. Illi cum antiquâ disciplinâ haberent militem, nihil quod utile aut necessarium negligebant, nos in supervacanea laboramus, quæ illi procul à castris removebant.*

*Et Fabrica.) Erat haec in castris ἐργασίεσσον πλέμυ. Vegetius Lib. II. c. 11. postquam dixisset, legionem habere fabros tignarios, instructio-*

res carpentarios, ferrarios, pistores & reliquos artifices. *Habebat etiam fabricas scutarias, loricarias, armarias &c.* Hæc enim erat cura præcipua, ut quicquid exercitui necessarium esset, nunquam deesset castris: & mox addit horum judicem proprium præfectum fabrorum fuisse: meminit & Cæsar præfecti fabrorum Pompeji.

(*Quorum pedaturam in singulas species ad homines & solent computari.*) Salmasius legit, *quorum pedatura in singulos pedes ad homines solet computari.* Fuisse enim in membranis putat, species pro pedibus, ut & alibi: ex eo natum, non species. Ingeniosa correctio, si quidem sensus inesset idoneus, quem nullum video. *Quid enim illud est, pedaturam in singulos pedes ad homines computare? aut quis ita loquitur? an pedem in singulos homines computari vult? ne hoc quidem hic recipi potest.* Neque enim certus & definitus hominum numerus in valetudinario, aut jumentorum in veterinario semper erat, quo in singulos pes dari possit: sed universa pedatura ad certum aliquem hominum numerum pro incerto computanda erat. *Quem numerum haud dubiè notaverat Hyginus, ubi nunc scriptum est, ad homines &c.* Sic postea de his ipsis, valetudinario, veterinario & fabrica non minus corruptè. *Fit numerus cum pedatura valetudinarii, veterinarii & fabricæ, quæ in unum addo homines computantur:* ubi in do deprivatae notæ numerorum, ut supra in *Et*, neque eadem fuerant. Hic enim tres hasce species in unum, illic singulas seorsum computat: In eo convenient quod nihil in utrisque sani: quantum autem ex pedatura, quæ infra numero prætenturæ cum hisce speciebus datur, conjicere licet. Vale-tudinario, veterinario & fabricæ unum hemistrigium infra viam sagulari adsignatur, hemistrigium integrum per castrorum latitudinem à via sagulari dextræ partis ad finistram capit homines mille: hic itaque numerus fuerit: at eo de quo nunc agimus loco, tertia hujus pars homines trecenti triginta tres. Atque hac ratione superius ubi liberæ habet: *Ut septuaginta pedes valetudinarium, ut reliqua quæ supra tendunt accipiat:* forte fuerit, *Ut XXX pedes: quæ est hemistrigii latitudo.* Sed hæc nescio an nimis audacia. Volebamus initio quo ne omnino à libro recederemus: *quorum pedatura in singulas species C.C. &c. quæ in unum add homines D.C.* Sed neque sexcenti hemistrigii dimidiæ partis numerus, sed quingenti. Quo recepto non minus quam antea à vestigiis scripturæ abeundum: erit enim pars tertia, *C L X V I.* Sed Hyginus hisce locis, illo certè quo hæc in unum computat, de pedatura in totis castris ab utraque parte viæ prætoriæ loquitur. Mille itaque ut diximus homines, ne minus fuisse videntur. Quicquid sit non species loco hoc sanum, omne vitium in notis nume-

numeralibus. Hyginus. *Exposuimus itaque singulas species & universum exercitum suis locis constituimus.* Sic enim legendum, ubi in codice est, suas peciae.

*Vexillarii legionum eandem pedaturam accipere debent, quod cohors legionaria.)* accipere debent quam cohors legionaria. Vexillariorum duo genera Lipsius observat, veteranos & cohortes à legionibus suis disjunctas. Dissentit Salmasius in libro de re militari Romanorum, & vexillarios sub Imperatoribus levis armaturæ milites fuisse contendit: sed frustrà, si quid ego judico. Loco enim Taciti, quo id probare conatur, minimè id probat. Is est in secundo Historiarum: *Præcipua quartadecimanorum ferocia, qui se viatos abnuebant: quippe Bedriacensi aie, vexillarius tantum pulsis, vires legionis non adfuisse.* Non ajunt vexillarios vilem & levem manum, ut inde confici possit levis armaturæ, sed negant vires legionis esse, quamvis enim veterani, ex alia tamen legione & tam pauci numero erant, ut nihil ad totam legionem. Mirum autem, quod etiam Hygini hunc locum adducit, qui Lipsianam sententiam maximè confirmat. Multum enim impedimentorum iis tribuit, cum ait: *Qui ad sexcentenos homines computantur causa impedimentorum, tendere debent in prætenturâ, vel latere prætorii super cohortes primas.* At levis armaturæ milites, parum aut nihil impedimentorum habebant. Ad hoc legatum vexillariorum negat in castris fuisse. *Ad vallum si fieri potest, ideo tendere non debent, quod legatus eorum pariter non sit.* Quis verò unquam legit levis armaturæ milites, qui pars legionis essent, alium quam cæteros legionarios legatum habuissent? quem si habuissent, absurdum profectò foret, eum plerumque abesse ab illis, quorum legatus erat. Quid ergo ait legatum eorum pariter non esse? Quia vexillarii à legionibus in quibus merebant aut meruerant abstracti, aliis legionibus jungebantur. Erant autem plerumque veterani & emeriti, qui sive invidiæ vitandæ causâ, quod exauktorati munerum vacationem haberent, sive quod tutius in publicum crederetur illos veterans & emeritos quibus respublica præmia & agros debebant, adjungi aliis legionibus, quam in quibus propter diuturnitatem stipendiiorum autoritate pollerent, ad alias certè legiones plerumque traducebantur. Tacitus. *Quatuor legionum aquile per frontem & rotidem è legionibus aliis vexilla.* Dicti vexillarii, quia sub vexillo habebantur. Quemadmodum supplementa apud Livium sub uno vexillo passim ad exercitus legimus missa, quæ in castris in corpus legionum insererentur: sic hi divisâ corpore legionum suarum & plerumque exauktorati, id est, tantum non dimissi, quasi jam jamque agros & justa emeritorum stipendiiorum præmia accepturi,

cepturi, sub uno vexillo interim habebantur. Nam vexillum quamvis equestre & pedestre, centuriaz & cohortis signum: peculiariter tamen cohortis est. Nihilo felicius vir idem illustris autunat, Cæsaris ætate antesignanos fulfie, qui deinde vexillarii, & anteà velites. Ac operosè co-natur probare apud Cæsarem & Livium, antesignanos sic accipi; sed Livium desultoriæ levitatis & inconstantiaz arguit, quod cum multis locis antesignanos vocaverit eos, qui ante signa & primam aciem hastatorum pugnent: alibi ipsos hastatos ita nominet. Ac nos quidem libenter fate-mur, clariusque est quam ut negari possit, primos manipulos seu primam gravis armaturæ aciem, Livio antesignanos esse. *Vias*, inquit, *patentes inter manipulos antesignanorum velitibus complet*: non igitur velites manipuli antesignanorum: præsertim cum velites manipulatim non collocarentur, neque inter velites, ut inter gravis armaturæ manipulos viæ relinquerentur. Τὰ διασημάτα της ὁρώτων σημείων dixerat Polybius, inter-valla primorum signorum, quod vertit Livius: *Vias patentes inter ma-nipulos antesignanorum.* At velitibus nulla signa erant, & Polybius, manus velitum hic quidem στρεῖγες; at nusquam σημαῖα appellavit. Alibi Livius pila antesignanis tribuit non velitum sed gravis armaturæ telum: Libro X X X. *Velites in eos ancipes ad ielum ad utrimque conjiciebant hastas, nec pila ab antesignanis cessabant.* & Lib. X X X V I I I. *in eos qui portas statio-nibus suis clauerant, legionum antesignani pila conjecerunt.* Libro quoque X X V I I I palam eos distinguit à velitibus. *Velites antesignanique & qui primi agminis:* ubi Salmasius ut opinionem confirmet suam, legere velit, *Velites antesignani:* et malè & frustrà: malè, quia contra mentem Livii: frustrà, quia ne sic quidem persuaderet velites eosdem & antesignanos esse Livio toties reclamante: *Antesignanique, inquit, & qui primi agminis:* id est cæteri qui primi agminis, nam antesignani profectò primi agminis erant. Sic sæpe veteres & inter eos Livius, Libro X X X V. *Quinctius legatus Corinthum redierunt.* Item. *Ut Popilius & ea legatio quæ ad Antiochum missa erat Romam redit,* id est, Quinctius & cæteri legati, Popilius & cætera legatio. Nam Popilius & Quinctius legationis capita erant. Sed nos exempla è re militari potius adducamus, ut ne sic quidem à suscep-to opere abeamus. Idem Livius X X V I I I. *Tumultuoso genere, pugna equitum velitumque & levis armaturæ.* Sic quoque Frontinus velites & le-vem armaturam dixit, quasi velites levis armaturæ non essent: Ita apud Cæsarem Numidæ & levis armaturæ equites, quamvis Numidæ haud dubiè levius armati equites: Sed hæc fortasse ita accipi possunt, ut velites qui parvulis & septenis jaculis instructi, comparatione aliorum levium;

qui

qui funda vel in arcu solo armati , gravis quodammodo armaturæ vide-  
rentur , sed sæpe apud eundem , *Frumentum commeatusque* : alibi pro-  
priè . *Frumentum & reliquæ commeatus*: quibus in locis , ut subauditur &  
omissum est , <sup>www.libfoot.com.cn</sup> reliqui aut alii , si alibi etiam posuisse memini Livium ,  
ubi si propriè loquitus esset omisisset . Libro XXVIII . *receptis inter*  
*ordines velitibus & alia turba auxiliorum*: quasi velites ex auxiliaribus , non  
ex legionaris fuissent: propriè dixisset , & alia turba levis armaturæ , quæ  
erant auxilia : quod Livio eo fortassis facilius in mentem venit , quod sua  
ætate omnis levis armatura ex auxiliis erat . Sed ut ad cœptum reverta-  
mur . Livio alibi palam prima acies , antefiguani , Lib . IX . Cadunt ante-  
*signani & ne nudentur propugnatoribus signa fit ex secunda prima acies* : Idem  
XXII . *Post nova de integro pugna exorta est , non illa ordinata per hastatos*  
*principes & triarios , nec ut pro signis antesignanis post signa alia dimicaret acies* .  
At velitibus quamvis ante ipsos hastatos pugnam inirent , tamen nomen  
aciei propriè non tribuebatur , ut recte dixit Salmasius: non itaque velites ,  
antesignani . Videamus nunc an à se ipso dissidet . Livius . Libro  
XXVIII . *Ante signa , inquit , modico intervallo velites eunt* . Ergo  
velites sunt antesignani . Sed nondum concessimus , antesignanos appellari  
eos , qui ante aciem primam & signa legionum pugnam ineunt : alioquin  
& equites & evocati & omnis levis armatura , (sæpe enim ante omnes acies  
pugnabant ) sub hoc nomen venirent . Livio quidem eos sub hoc nomen  
non venire , apparet ex eo ; quod hac ipsâ in pugnâ cum Gallis , pila ante-  
signanis , non hastas velitares tribuit . *In eos , inquit , qui portas stationibus suis*  
*clauerant , legionum antesignani pila conicerunt* . At enim libro XXIII .  
*Triplex stetit Romana acies peditum pars inter antesignanos locata pars post*  
*signa accepta* . Ubi pedites καὶ ἔξοχοι , milites justæ armaturæ ; antesignani  
velites esse videntur . Sed corruptus hic locus , ( quamvis sic quoque valde  
obscure & dubiè quod iste vult probet ) & omnino recipiendum est , quod  
in membranis esse testatur magnus Livii vindex . *Velitum pars inter ante-*  
*signanos &c.* *Triplex , inquit , stetit Romana acies* . Hic descriptis ordinatio-  
nem gravis armaturæ pér hastatos , principes & triarios : sequitur nunc  
ut addat , quo loco velites , qui aciem non faciebant nec triplicis aciei  
pars erant : *Velitum , ait , pars inter antesignanos locata* : proprius velitum  
locus . *Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus complevit* . Item .  
*receptis inter ordines velitibus* . Neque usquam legas gravem armaturam  
inter velites dici collocatam , quod diceret Livius , si quidem vulgata lectio  
retenta isto modo acciperetur , sed semper velites inter manipulos , inter  
ordines gravis armaturæ , in intervallis manipulorum . *Pars post signa ac-*  
*cepta* :

cepta: hic quoque velitum locus. Ubi enim velitatione pugnam irritassent,  
 recedebant & post signa recipiebantur. Livio itaque prima acies, prima  
 signa, antesignani. Ad Cæsarem transeamus. Hic non semel in commen-  
 tariis antesignanorum meminit. Adolescentes atque expeditos, electos  
 milites ad perniciatem appellat & inter equites jubet præliari. Quæ  
 omnia non nisi velitibus convenire videntur: nam maximè adolescentes  
 olim in velites legebantur. Velites non tantùm expediti erant: sed etiam  
 bonis autoribus sine alio additamento expediti appellantur: adeo ut Fe-  
 stus non aliter definiat, quam expeditos milites: qui verò eligi potue-  
 runt ad perniciatem, nisi adolescentes & ætate veloci & armis leves, hoc  
 est velites? Jam inter equites præliari quorum jam inde ab prima insti-  
 tutione nisi velitum? Ac libro de bello Africano disertè dicitur: levis  
 armaturæ milites ante legiones missos turmis equitum interpositos fuisse.  
 Quare non sìne causa vir doctissimus in eam opinionem traductus videtur,  
 quod Cæsari sint antesignani qui prioribus velites. Mihi tamen Cæsar is  
 verba ponderanti alia fedet sententia. Luculentus de hac re locus est, li-  
 bro de Bello Civili primo, ubi pugnam suorum cum Petreji atque Afranii  
 copiis describit: *Legiones tres, inquit, ex castris educit, acieque in locis ido-  
 nes instruclâ, unius legionis antesignanos procurrere* (ita enim rectius legitur,  
 quam præcurrere) atque occupare eum tumulum jubet: *qua re cognita, celeriter,*  
*quæ in statione pro castris erant Afranii cohortes, breviore itinere ad eundem oc-  
 cupandum locum mittuntur: contenditur prælio, & quod prius in tumulum*  
*Afraniani venerant, nostri repelluntur, atque aliis summissis præsidis terga ver-  
 tere, seque ad signa legionū recipere coguntur.* Genus erat pugna militum illorum,  
 ut magno impetu primò procurreren, audacter locum caperent, ordines suos non  
 magnoperè servarent, rari dispersique pugnarent; si premerentur, pedem referre,  
 & loco excedere non turpe existimarent: cum Lusitanis reliquisque barbaris  
 genere quodam pugnae assuefacti; quod ferè fit quibus quisque in locis miles  
 inveteraverit, uti multum earum regionum consuetudine moveatur. Hæc tamen  
 ratio nostros perturbat, insuetos hujus generis pugnae: circumiri enim sese ab aperto  
 latere procurrentibus singulis, arbitrabantur: ipsi autem suos ordines servare, neque  
 ab signis discedere, neque sine gravi causa eum locum, quem ceperant, dimitti cen-  
 suerant oportere. Itaque perturbatis antesignanis, legio, quæ in eo cornu consti-  
 terat, locum non tenuit, atque in proximū collem sese recepit. Cæsar omni pænè acie  
 perterrita, &c. Vide quam hæc omnia quæ hic tribuit antesignanis velitum  
 non sint. Velites sine signis, sine ordinibus rari & dispersi pugnam inibant:  
 antesignani hi Cæsar is ordines servabant neque ab signis discedebant. Ve-  
 lites si premerentur non tantum non turpe ducebant recedere, sed ferè re-  
 cede-

cedebant & recedentes post ordines recipiebantur. Antesignani non sine gravi causa locum quem ceperant deserere oportere censebant: perturbatis velitibus nihil novi accidebat: pellebantur enim ferè, quoties cum gravi hoste communis congregenderunt. Antesignanis pulsis legio tota locum deseruit & omnis pænè acies perturbata est. Velites non alii generi pugnæ assueti erant, quam huic quod cum Afranianis cohortibus. At antesignani ejus insueti. Afranianas fortasse cohortes levis armaturæ fuisse suspicetur aliquis, pleraque enim velutum illis adscribuntur. Sed neque istæ fuerunt. Nihil enim novum in eo genere pugnæ si levium: at novum & insolens, quod cohortes legionariæ isto modo pugnarent. Præterea velites viles & contemti. At antesignanos Cæsar delectos & fortissimos viros appellat, inter quos etiam centuriones, qui, velitibus antiquitus omnino nulli. Libro I. *Deletos ex omnibus legionibus fortissimos viros, antesignanos, centuriones, Cæsar ei classi attribuit.* Quod si intelligas antesignanos pro centurionibus classi datos, manet tamen hoc ipsum quod diximus, viros egregios & exercitos fuisse. Jam quod antesignani expediti, quod inter equites præliantur, ne hoc quidem vincit levis armaturæ esse. Proprium enim Cæsaris institutum, qui ex antesignanis quosdam expeditos habuit & quos inter equites pugnam conserere jussit: Libro tertio de Bello Civili: *Superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus, servabat, ut quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, armis inter equites præliari juberet, qui quotidiana consuetudine usum quoque ejus generis præliorum perciperent.* Hirtius bello Africano. *Trecentos quos ex legionibus habere expeditos consueverat ex proxima legione, quæ in eo prælio in acie consiterat, jubet equitatu succurrere.* Ibidem. *Expeditos ex singulis legionibus vicenos milites esse jusserat.* Quod si antesignani velites essent, non utique narraret Cæsar tanquam institutum suum, quod eos expeditos habere consueverit: non, quosdam ex antesignanis expeditos se habuisse: cum omnes velites prisco instituto expediti: at non vice versa omnes qui expediti velites: totæ enim legiones sœpe expeditæ habebantur. Similiter cum novum institutum Cæsaris dicitur, quod ex antesignanis quidam inter equites præliarentur. Sequitur antesignanos velites non fuisse, qui jam olim inter equites manus conserere docti, ejus generis pugnæ ignari esse non poterant, ut hi antesignani qui hac in re tyrones erant, ac inter equites præliari jubebantur, quo sicut levis armaturæ milites, quotidiana consuetudine usum quoque ejus generis præliorum perciperent. At Cæsarem levem armaturam interposuisse equitibus, Hirtius tradit.

tradit. Fecit id sanè, sed non erat illa levis legionum armatura, sed extera, ut de Bello Gallico VII. Cæsar trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas civitates, quas superioribus annis pacaverat equitesque ab his accerfit levis [www.libtooi.com.cn](http://www.libtooi.com.cn) armaturæ pedies, qui inter eos præliari consueverant. Quod Germanorum institutum, quia usu cumprimis salubre; adeò ut pauci equites intermixtis peditibus immanem vim equitum sustinerent, adsumsit Cæsar & ne necesse haberet immiscere externum semper peditem ex antesignanis legionum adolescentes perniciissimos expeditos habuit & huic generi pugnæ adsuefecit. Quapropter manifestum est, neque Livio, neque Cæsari, antesignanos esse velites vel levem armaturam. Justus Lipsius antesignanos putat primam esse aciem eosque qui positi ante signa iisque pro-pugnandis: non enim nuda statim signa objecta hosti; sed munita & vallum aliquod virorum objectum fuisse: dubitat tamen idem, anne interdum hastati omnes imo & principes in hoc nomen venerint. Ubi partim falsus est, partim verum dixit. Falsus est, quod putat antesignanos qui in prima acie ante signa collocentur: non enim pars militum ante, pars post; sed omnes post signa sua, tam in acie, quam in agmine constituebantur: in ipsa pugna ante ea procedebant. Præterea si antesignani qui ante signa, ( nisi à tergo omnium signa ) non tota acies, sed pars ejus: non prima magis quam secunda & tertia acies in hoc nomen veniret. Eodem enim modo in suo corpore ponebant signa. Adhoc nulli essent in agmine, ubi etiam Lipsio assertiente, prima ferebantur signa: sed antesignanorum mentio fit, tam in agmine quam proelio. Antesignani itaque, ne te diutius morer, Cæsari & Livio primita signa, prima acies, primum agmen militum gravis armaturæ. Græcis ταρμαχοις & ταρμαχαις ουμαιων. Dividunt enim aciem eis δύο τάρματα ταρμάχαις ουμάχαις: Antesignanos & postsignanos: aciem & subsidium. Dionylius censu Serviano, primam classem præ omnibus aliis gravibus instruetam armis, ταρμάχαις appellat. Ac si quis nominis poscit rationem: antesignani dicuntur primi subsignanorum, ut antecursores, primicursores, tamen à cursoribus alii: anteambulones, primi ambulantium, propugnatores etiam interdum, primi pugnantium.

Eandem pedaturam accipere debent.) Vegetius. Singulae centuriæ dividentibus campi doctoribus & principiis accipiunt pedaturas.

Quæ ad sexcentenos homines computantur.) Scribe: quia ad sexcentenos homines computantur, vel qui ad sexcentenos homines computantur: ut referatur tam ad cohortem legionarium, quam ad vexillarios. Eadem enim pedatura est & ad eundem utraque numerum computatur ea ratione, qua mi-

miles accipit pedem adjectâ quintâ. Salmasius propter hujus loci autoritatem, sexcentos vexillarios dat cuique legioni: at Hyginus non dicit esse sexcentos, sed ad sexcentos computari: & quidem *causa impedimentorum*, non quod tot numero sint, sed quod plus impedimentorum habeant, quam cæteri milites. Computantur enim genera quædem ad majorem verò numerum. Ala millaria ad ducentos supra numerum hominum propter majorem equorum numerum præfectum alæ & principales: cohortes equitatæ ad homines mille trecentos sexaginta propter equites. Apud Tacitum vexillum veteranorum quingentos homines habet, in III. Annalium: *Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias, præsidium, cui Thala nomen, adgressas fuderint.* Idem Hygino nostro adsentitur, in eo quod singularis legionibus una vexillariorum plerunque cohors. Historiarum. II. *Quatuor legionum aquilæ per frontem totidemque circa è legionibus aliis vexilla.* Interdum tamen & plures. Othoni bello civili cum tribus prætoris cohortibus mille vexillariorum: Muciano in modicis viribus tredecim millia vexillariorum.

*Super cohortes ut primas.) Expungendum nō ut, quilibet videt. Cohortibus primis proximos locat vexillarios in castris: Tacitus & in agmine: Quatuor legionum aquilæ per frontem totidemque circa è legionibus aliis vexilla.*

*Quod legatus eorum pariter non sit.)* Scribit Salmasius in notis ad Capitolinum, legati vexillariorum apud Hyginum fieri mentionem, quasi præter legatos consulares, qui toti exercitui præerant & prætorios qui uni legioni, aliud genus legatorum, legati vexillariorum. Non dicit Hyginus vexillariorum legatum: sed legatum eorum, id est, legionis eorum, ut qui apud legionem à qua divulsi, ipsi abfuisse vel pariter non fuisse. Vegetius. *Non possunt æqualiter jussa compleere, qui ante pariter non fuerunt.*

*Et si casum ab hoste vallum interruptum fuerit.)* Ita corrigitur ad marginem, cum esset interruptor. Interruptum, scissum aut divulsum, quod erat primum quod faciebant, qui castra oppugnabant vel irruptione pugnabant, ut utar verbis Cæsaris apud scriptorem bellum Africani. *Dubitante Cæsare & sibi irruptione pugnare non placere, clamitante & etiam atque etiam aciem sustentante, subito dextro cornu injussu Cæsar is tubicen à militibus coactus, canere cœpit.* Ita enim legendum ubi vulgo eruptione pugnare. Cæsar enim jam eductis è castris copiis & instructa acie, eruptione non poterat pugnare. Sed Scipione militem suum sub vallo, partim in castris continentem, timebat, ne dato pugnæ signo, hostes sese intra castra reciperent, quo sui in

iniquum temerè delati locum, aut in hostilem munitionem vi irrumpere, aut cum pudore pedem referre cogerentur, de Bello Gallico. V I I. *Castra opportunis locis erant posita, ibique castella viginti tria facta, in quibus castellis interdui stationes disponebantur, ne qua subito irruptio fieret.*

*Legio legatus eorum per vexillarios factum esse contendet.*) Legati legionum & primores castrorum, quoties ab hoste esset metus, circuire ipsi vigilias, curare in eâ castrorum parte quâ maximè laboraretur, providere, nequid à quoquam peccaretur, & si peccatum esset, in reos animadverte solebant: prætereà si quid inter diversarum legionum milites controversiæ obortum, (quod hic precipiù ad rem pertinet) aderant suis apud Imperatorem eorumque causam ut patroni agebant. Exemplum hujusc rei habes apud Livium post expugnationem Carthaginis novæ, ubi duobus, Quinto Trebellio centurione legionis quartæ, & Sexto Diggio socio navalì professis, se primos murum adscendisse & de corona murali apud Imperatorem contendentibus, sociis C. Lælius præfectus classis, legionariis M. Sempronius Tuditanus traditum adfuisse. Cum itaque legionarii legatum suum habeant in castris, vexillarii nec legatum nec ullam, alium pari autoritate patronum, custodiam iis munitamentorum cum legionariis demandare, iniquum censet Hyginus & inconsultum, ne hic cum legato suo, etiamsi quid ipsi peccaverint, in tuendo vallo, conferant tamen culpam omnem in vexillarios, justo patrocinio destitutos & injuriæ opportunos.

*Cohors prætoria.*) De instituto, origine & augmento cohortium prætoriarum, rectè ab aliis dicta, repeteremus super sedebimus: illud tantum addam, non omnes milliarias fuisse. Milliariae fuere, quas instituit Augustus, si qua fides Dionis. Eundem numerum habuerunt, ut urbanæ quatuor & prætoriæ sedecim cohortes a Vitellio scriptæ, teste Tacito. At Hyginianas has minores esse, quamvis non dicat Hyginus, satis manifestò tamen ostendit. Nam cum duplam his pedaturam æquè ac cohortibus primis adsignet, non eandem tamen utriusque rei adfert causam: illis enim quod duplum numerum habeant: his quod tentoriis majoribus utantur: primipilares præterea & evocati in eadem pedatura accipient locum, duplam pedaturam adsignari dicit. Ac ne quis putet duplum ejus quod cohorti primæ dari, cohortem prætoriam unâ strigâ pedum septingentorum viginti collocari, ut & primam legionis ex verbis Hygini manifestum est: quingenariæ itaque aut certè milliaris minores.

*Lateribus prætorii tendere debent.*) Cohortes prætoriæ cum equitibus eum ferè locum tenent, quem in castris polybianis triariorum quinque priores

priores manipuli inter quintanam & principalem vias, nisi quod hic co-  
mites Imperatoris prætorio proximi.

*Ut duplam pedaturam recipere.) Scribe : & dupl. &c.*

*Quod temporibus majoribus utantur.) Transpositæ postremæ duarum vo-  
cum syllabæ, refinge : quod tentoriis majoribus utantur. Infra. Decuri-  
nes singulis papilionibus utuntur. Et de centuria statorum. Quibus duplam  
pedaturam ad signarimus quod ijsdem tensoris: (scribe & hic tentoriis vel ten-  
soris) utantur, quibus cohortes prætoriae. Prætoriani itaque accipiunt du-  
plam pedaturam, quia laxius tendunt & majoribus tensuris utuntur, quām  
cæteri milites. Debuit hic addere, quot pedes papilio, quot arma, ju-  
menta, via occupat, aut saltē, quem numerum hominum duplex hæc  
capiat pedatura : ut inde de papilionis cæterarumque partium areā conji-  
cere possemus. Sed utrumque per incuriam omisit. Ne hoc quidem di-  
xit in longitudinem, an in latitudinem hemistrigii, an verò utrumque par-  
tium pedatura extendatur. Sed utrumque quidem extendi non potest,  
nisi si quædam partes augeantur, quædam minuantur, aut minor dimidio  
numerus, tendat in dupla pedatura. Quorum veri neutrum simile est :  
ab altera igitur parte tantum excrescent. Sed ne facile quidem dictu est  
à qua parte, quia non docet, an in hac pedatura striga binos ordines papi-  
lionum, jumentorum & armorum habeat, ut vulgo? an verò unum tan-  
tum? Si illud necesse est singulas partes per longitudinem hemistrigii  
crescere : si hoc per latitudinem.*

*Principiis etiam & eumcatiis.) Restituimus : Principiariae etiam &  
evocati. Principiariae etiamsi omnia stipendia nondum confecissent,  
quia tamen primum pilum gesserant, habebantur pro emeritis & equi-  
tibus dignitate æquabantur : itaque quoties in gratiam Imperatorum &  
spe præriorum militiam iterum sumerent, non jam merebant in legio-  
nibus, sed separata quædam cum cæteris evocatis manus erant, quæ ferè  
circa Imperatorem versabatur, donec ad eundem principiili aut majorem  
alium honorem promoverentur. Itaque & in castris in pedaturâ cohorti-  
um prætoriarum collocantur proximâ Imperatori. Evocati similiter  
emeriti maximam partem, & ut autor est Dio, vites instar centurionum  
gerebant. Galba etiam equestris ordinis juvenes delegit, (verba sunt  
Suetonii) qui manente aureorum annulorum usu, evocati appellarentur,  
excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent. Hi sunt illi,  
opinor, qui evocati Augusti dicti. Hyginus de limitibus. Nuper ecce  
quidam evocatus Augusti, vir militaris disciplinæ, professionis quoque nostræ  
capacissimus.*

*Equites Prætoriani.*) Prætorianos equites instituit habuitque circa se Augustus cum prætoriis cohortibus firmamentum dominationis: nam sub initio Tyberii, jam mentio eorum in Tacito. Numerum eorum in tanto silentio veterum non facile definiverim. Illud tamen certum falli, qui ex Suetonio colligit non plures turmâ unâ fuisse. Nam quamvis dicat Claudio Cæsarem exhibuisse Trojæ lusum & Africanas conficiente turmâ equitum prætorianorum ducibus, tribunis, ipsoque præfecto: tamen inde efficeret, unam tantum turmam fuisse, non minus ineptum sit, quam si quis dicat, C. Julio Cæsare rerum potiente, duplicum tantum turmam puerorum in urbe fuisse, quia Suetonius tradit: *Trojam fuisse duplicem turmam majorum minorumque puerorum.* Tradit Tacitus cum Dinfo ad Pannonicas legiones magnam partem equitis prætoriani missam, & Suetonius Cajum Caligulam cum jussu ejus quam tumultuosissimè nuntiatum esset, adesse hostem cum amicis & parte equitum prætorianorum, proripiisse se in proximam sylvam: argumentum non unam turmam neque tam paucos numero, quorum pars etiam magna ad exercitum mitteretur & cum quorum parte Imperator castris egrederetur. Hyginus in castris suis computat quadrinquentos, alæ non turmæ numerum. Ac alæ & præfecti alæ prætorianorum in priscis lapidibus memoria est. D I A N Æ S A C. C Æ L I U S B R O C C I U S. PRÆFECT. ALÆ PRÆ. Item alio. V. CONT. PRÆF. ALÆ PR. PRÆT O. IN. LEG. PR. MINERV. Sunt etiam inter inscriptiones priscas, quæ equitis prætoriani certæ cohortis, ut tertiae, sextæ, meminerunt: Ut. D. M. T. ÆL. M A L C O. L I C T O R I. E C. PRÆT O R I A N. COH. III. P R. alio eques Romanus prætoriæ cohortis: ex quibus apparet, fuisse etiam cohortes quasdam prætorias equitatas, id est, habentes insertum equitem prætorianum, quemadmodum cohortes auxiliares, quæ equitatæ dicebantur, de quibus postea. Sed eques prætorianus sub Augusto & Hygini ætate, cohortibus non fuerunt inserti: nam Tacitus duabus prætoriis cohortibus, non suum equitem addit, nec eos sub vocabulo cohortium completitur. *Missus*, inquit, *Densus cum prætoriis cohortibus duabus, dilecto milite supra solitum firmatis:* Additur pars magna prætoriani equitis & robora Germanorum. Hyginus etiam hic ostendit, non certum cuique cohorti numerum: sed alias plus in exercitu fuisse, alias minus: neque equitatas appellat cohortes prætorias, neque ut cohortis equitatæ equitem, prætorianos equites collocat cum peditibus suis; sed separatim ab uno prætorii latere, prætoriis cohortibus ab utroque tendentibus.

*Singulares.*) Et hos instituit Octavianus, si qua fides inscriptionibus: in

in quibus frequentissimè occurunt. In quibusdam appellantur, ut hic equites singulares. In aliis equites singulares Imperatoris, equites singulares Imperatoris nostri, equites singulares Cæsaris, Augulti, Augulti nostri, Domini nostri. ~~Vide de his Craterum~~ Meminit & Tacitus in III. Historia alæ singularium. Accessit ala singularium excita olim à Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. Fuit hæc singularis quædam, ut ipsum nomen satis ostendit, equitum manus, cuius ut evocatorum & primipilarum, alias major, alias minor numerus: quare Hyginus distinet trecentis, quadringentis quinquaginta, sexcentis, octingentis & nongentis suum in castris adsignat locum.

*Latere suo.) Restitue: latere sinistro. Nam dextro prætorianos operauit. Idem error inferius. Exposuimus itaque suas pecies & universum exercitum suis locis constituumus. Lege, ut monuimus, singulas species.*

*Ita sicut & pari numero dispositi.) Ita fiet ut. Si singulares sexcenti prætoriani trecenti fuerint: quartam illorum partem transferemus in latus dextrum prætorii, quo tendunt prætoriani, reliquos in sinistro collocabimus, ita fiet primum, ut par numerus quadringenti quinquaginta equites utrimque, deinde ut hi ipsi laxius aliquanto, & principales eorum singulis tantum papilionibus: nam duo hemistrigia septingentorum viginti pedum, quæ est longitudo lateris prætorii, accipient, cum mille trecenti quinquaginta pedes sufficerent.*

*Decuriones & reliqui principales.) Id est, duplucarii & sesquiplarii. Principalis enim præcipuus & princeps: Plinio Pici Martii principales in augurio, hinc & ad principes refertur reipublicæ, ut *principalia arma*, apud Vellejum: Ad solos deinde Cæsares, ut *principalis domus*, *principales opes*, &c. In re militari qui scriptoribus prioris ævi principes castrorum, legionis, alæ, centuriæ, turmæ. Item. Primores juvenum & duplucarii. Hi sub Cæsaribus principales, ut jam olim in castris porta & via appellabantur. Vegetius. *Principalium militum, & ut propriis vocabulo utar, principum nomina & dignitates secundum præsentes matriculas judicabo.* Opponuntur gregalibus ut immunibus munifices. Idem. *Principales qui privilegiis muniuntur, munifices qui munus facere coguntur.* Tacitus in II. Historiarum. Nec principes modo coloniarum aut castrorum, quibus præsentia ex affluent & parta victoria magna spes, sed manipuli quoque & gregariorum miles viatica sua & baltheos phaleraisque insigni armorum argento decora, loco pecuniae tradebant.*

*Propensius tantum. Retinet Salmasius vocem, *propensius*, & interpretatur laxius, quo sensu in Solino dicatur: *Propensior laus, propensior claritas.**

*claritas, notæ propensiōres, vena propensiōs vino irrigatæ.* Infra quidem Hyginus de alâ: *Principales eorum aliquanto laxius tendant.* Nos putabamus, papilionibus singulis vel papilioes singulas tendant. Sic idem postea. *Decuriones singulis papilionibus utuntur.*

*Et si minorus numerus virorum quæ fuerit.)* Fortè: Si minor numerus utrorumque fuerit. Dixit quid agendum sit, si minor numerus prætorianorum, major singularium: nunc docet, quo genere pedatura explenda, si tam hi, quam illi pauci numero.

*Centenis equitibus æmitricis suis laxius tendant.)* Lege: centenis equitibus hemistrigiis suis laxius tendant: id est, minor numerus quam centum. Infra. *Quadragenis hominibus per strigas strictius seu laxius tendant.*

*Non erit æsitandum quoniam Officialib. lateri vestro proximis ibi pedatura adsignaretur.)* Fortè: non erit hæsitandum, quoniam officialibus lateri dextro proximis ibi pedatura adsignabitur. Sed quinam isti officiales lateri dextro proximi? Officium pro honore & dignitate sive administratione dignitatis, apud scriptores optimi ævi raro quidem, invenias tamen frequentius apud L. Senecam, Tacitum, Suetonium & istos. Sed neque apud illos, sed neque apud hos memini officiales appellari, qui in gradu aut dignitate constituti. Nec arbitror Hyginum designare hoc vocabulo, eosdem quos paulò ante principales vocavit, quando neque ratio, neque disciplina militaris permittat, ut hi à numero cui præfunt, divulsi tendant cum equitibus prætorianis aut singularibus. Officiales postremo Latinitatis ævo apparitores eorum qui in dignitatibus in Notitiâ imperii passim. *Officium viri spectabilis, Ducis Thebaidos, Ducis Arabiae, Ducis Phœnices, habet ita Principem de schola Agentum in rebus anumeranos & adjutores eorum.* Deinde ferè subjicitur. *Exceptores & cæteros Officialies.* Non alio plerumque sensu in Codice Justiniani usurpat. Eusebio quoque officiales & beneficiarii iidem, apparitores magistratum, quorum opera utebantur in conquirendis reis, exigendis vectigalibus & similibus ministeriis. Sed quinam hi officiales, qui nusquam præterea in hisce castris; adfirmare non ausim, nisi sint officiales quidam domus Augustæ, qui per errorem Gromatici nostri vel incuriam librarii omisi sint. An potius: officialibus hisce barbaris, quos imperitia librarii principibus castrorum permisit, hinc faceisse jussis alares ab altera parte tendentes hic in suum restituimus locum? Sed retinemus manum, qua hic toties nobis in alieno libro ac nescio an nimis temerè interdum utendum est.

*Quod si cohors prætoriae impares accepto fuerint.)* Lege: Cohortes prætoriae impares acceptæ fuerint.

Quo-

*Quoniam numerus & dispositio dextra lœvaque prætorii centuriis paribus esse debent.)* Forte : quoniam numeri dispositio dextrâ lœvâque prætorii centuriis paribus esse debet : vel numeri dispositi, &c. debent. Ita fiet ut pari numero dispositi <sup>www.11book.com.cn</sup> Decuriones & reliqui principales eorum propensius tendant. & postea. *Pari numero integris strigis lateribus tendere debent.* Mens certè est, parem utrimque numerum collocari, utcunque concinnentur verba.

*Loco cohortis equites prætoriani ponentur.)* Quadringenti equites prætoriani duobus hemistrigiis pedum septingentorum viginti, quæ est cohortis prætoriæ pedatura, laxè satis tendent.

*Singularis autem C si DCCC aut DCCCC fuerint.)* Puto : Singulares autem si octingenti aut nongenti fuerint, expunctâ priori notâ numerali.

*Pari numero integris strigis tendere debebunt.* Id est, duobus hemistrigiis integris : non enim duplam pedaturam & tensiones majores accipiunt, quemadmodum cohortes prætoriæ. Liquet id ex eo, quod alæ prætorianorum eadem quâ quadringenti vel quadringenti quinquaginta singulares pedaturâ tendenti, non nisi unius cohortis pedatura adsignatur, quæ si iisdem tensuris uteretur, duas strigas integras postularet.

*Si ad nos fuerint ut ut striga est sufficiat.)* Corruptissima lectio, an scripsérat ? Si spatiū fuerit, ut strigæ sufficiant. Hyginus cap. 1. Reliqui duodecim pedes qui conversantibus spatio sufficient. & infra. Alæ milliarie vel quingenariae si pedatura permiserit.

*Illum maximè observare debemus.)* Scribe : illud. Ut Illud planè poterit observari, si cohortes equitatæ in exercitu nullæ omnino fuerint.

*Ut latus ped. L. actori.)* Malè acceptus locus: non enim de prætorio, sed de latere prætorii loquitur, cui Hyginum non plus quam quinquaginta pedes adsignare, sanus nemo dixerit: nam in compositione trium legionum, latus prætorii sexcentos pedes latitudinis intra viam sagularem accipit, vel septingentos viginti cum pedaturâ cohortium & latitudine viæ sagularis : longitudinis verò quadringentos octoginta vel septingentos viginti pedes, ut respondeat pedaturæ duarum vel trium cohortium legionum lateribus ad vallum tendentium: imò haud dubiè septingentos viginti pedes, ut suo loco probamus. At ex his numeris nullus vitiatae libri scripturæ affinit. Præterea si quis hic numerus fuit, numerus latitudinis videtur fuisse : at ille neque proprius lateris prætorii, (idem enim omnium partium lateris prætorii, prætenturæ & retenturæ) neque semper idem, ut in universum definiri possit : nam Hyginus in metatione trium legionum, sexcentos

sexcentos tantum pedes latitudini harum partium dat, non in omni metatione. Observare itaque debemus, inquit, ut quoties tres legiones cum supplementis acceptis fuerint, dimidia pars castrorum septingentos viginti pedes latitudinis habeat & lateribus castrorum cohortium tabulino nonaginta signis ducentos quadraginta pedes adsignemus, ut deducto tabulino cohortum & latitudine viæ singularis reliqui sexcenti pedes supersint. At hæc verba: Ut latus pedum quinquaginta, &c. non tantum certum & in omni genere perpetuum, sed etiam numerum jam antea definitum præsupponunt: cum tamen de pedatura lateris prætorii universa, antea ne verbum fecerit. Nullus itaque dubitet scripsisse Hyginum sine numero simpliciter, ut latus P R E T O R I I, quæ scriptura duabus tantum literis corrosis aut leviter mutatis, facile præferre potuit, P L A C T O R I, indé librarius imperitus, qui sciret nō P pedes toties designare, & nō L notam numeralem esse, efficerit ped. L. actori. Alioquin legendum sit: latus pedum sexcentorum.

*Non plus quam septingentos viginti pedes longitudinis accipiat.*) Dubitabam initio, anne latitudinem lateris prætorii, id est, eam pedaturam quæ à via prætoria ad vallum exporrigitur, longitudinem Hyginus hic appellaret, primum quod loco jam citato, dimidiæ castrorum parti in latitudinem septingentos viginti pedes eundem, quem hic numerum adsignat. Deinde propter eum qui sequitur locum. Nam quantum ad latitudinem prætorii totius attinet à centum sexaginta ad ducentos viginti potest observari in longitudine, ut supra dixi pedum septingentorum viginti: stationi dari oportet secundum prætorium, &c. Ubi si illa, in longitudine, ut supra dixi &c. ad proximè sequentia referenda sunt, de latitudine dimidiæ partis haud dubiè accipienda sunt: nam stationem, comites, cohortes prætorias & reliquum numerum infra palam in hac latitudine computat: quod si ad præcedentia respiciunt hæc verba; tamen idem illud latus prætorii, quod in his sequentibus computare possit, videri: quia ille tam desultorius de latere in latus transitus, non est probabilis. Nobis tamen Hygini verba & dispositionem proprius intuentibus, de vera longitudine loqui dubium non est. Longitudinem enim lateris prætorii nusquam nisi hic definit, quam non probabile est omisisse: cum & prætenturæ & retesturæ longitudinem descripserit & omnino ut describatur res exigat. Præterea quoties de dimidia parte tutorum castrorum sermo est, vel de latitudine partium, latitudinem semper nunquam longitudinem appellat: & ipse numerus hic longitudini convénit: Cum enim alis quingenariis lateribus collocandis pedatura quadringentorum octoginta pedum non sufficiat, superest, ut septingenti viginti pedes assigmentur: Cui pedaturæ optimè con-

convenit illa causa, propter quam non plus quam septingentos viginti pedes vult attribui, ut cohortes prætoriæ integris strigis sua pedatura optimè tendant: una enim cohors præatoria quingentorum hominum duplam pedaturam recipiens strigam septingentorum viginti pedum ad pedem occupabit: nec minus recte reliquus numerus hanc pedaturam explebit.

*Ita fiet ut cohortes primipilarium &c.)* Primipilaribus & evocatis in pedatura cohortium prætoriarum adsignavit locum. Sed primipilares tot numero in exercitu fuissent, ut totam cohortem efficerent, neque usquam memini legere, & ipse Hyginus negat, & cum in pedatura cohortis prætoriæ iis partem attribuit, & cum in recensione insuper copiarum suarum nullius usquam cohortis mentionem facit, quæ vel sit vel appelletur primipilarium cohors. An fuerat: cohortes primæ, prætoriæ &c. &c. nisi si quis velit cohortes primas, primipilorum cohortes dici, quia primi earum centuriones & primæ centuriæ, primi pili.

*Integris strigis suâ pedaturâ optimè tendent.)* Cohors prima, cohors præatoria, alia quingenaria, equites prætoriani, equites singulares: quæ sunt copiæ latere prætorii intra viam sagularem tendentes, unâ strigâ septingentorum viginti pedum optimè singulæ collocabuntur.

*Nam quantum ad latitudinem prætorii totius attinet à CLX ad CCXX potest observari in longitudinem, ut supra dixi ped. DCCXX.)* A centum sexaginta ad ducentos viginti potest observari in longitudinem, ut supra dixi pedum sexcentorum. Dubitabam initio, anne hæc latitudo prætorio ex longitudine lateris pedum septingentorum viginti adsignaretur, cum eandem partem prætorii, quæstori & comitum pedaturæ latitudinem infrâ vocitare videatur. Si quo plus vel minus fuerit idem observabimus, ut prætorium vel comitum pedaturam item quæstoriū minuamus, servatis portionibus latitudinis. Sed tamen exactius consideranti satis constat, utramque hic definiri partem & sicuti comitibus, cohortibus & alis latere tendentibus, sic etiam prætorio universum hoc spacium pedum septingentorum viginti, quod est inter vias principalem & quintanam, adsignari. Frons enim prætorii ad principia spectat & portam prætoriam. Introitu, inquit, Prætorii partis mediae ad viam principalem. Item. Via quæ dicit ad portam prætoriam, propter quam rigore tensuræ suæ superiores strigæ in prætorii ora non percurrunt. Postica verò pars ad quintanam. Lateribus quæstoriū tendere debent ad viam quintanam centuriæ statorum, ut posticium prætorii tueantur. Præterea cum parcus pedaturæ Hyginus nihil temerè in castris suis relinquat nudum: inter prætorium tamen &

quintanam locum adsignat nemini: à centum sexaginta igitur ad ducentos viginti pedes per septingentos viginti relinquuntur prætorio: ingens profectò spaciū, quod octo, septem vel minimum sex capere cohortes & Imperatoris tensioni etiam nimis grande videri possit. Sed cogitare debemus, non hic prætorium constitui uni alicui ex priscis illis consulibus ab aratro ad imperium vocato, & mox ab imperio ad aratrum reddituro, quo tempore virtus suis tantum fulgebat honoribus, ne semestri quidem aut annuo potentissimæ jam reipublicæ duci, sed terrarum gentiumque domino, turbâ amicorum & servorum, cæteroque fortunæ suæ apparatu aliquantum onerato; quibus rebus illa ætate tanti imperii majestas adornata, externis gentibus ostentabatur. Ac dubitare non immitteritò possis, anne & pars aliqua hujus pedaturæ nuda & inanis relicta, tum ad liberiorem ab omni parte prospectum, tum ad alarum & cohortium aliquot extraordinariam re exigente stationem, anne etiam pars aliqua foro cesserit? In castris quidem polybianis, jam tum Imperatori circa prætorium multum spaciī datur, quod nisi exigente necessitate, milite non expletur. Adde quod tribunal quod auguratorium & fortassis quædam aræ in eadem, ut mox dicemus area.

*Item comitibus Imperatoribus nostris.) Scribe: Comitibus Imperatoris nostri. Inscriptio vetus apud Gruterum. AMICO ET COM. AUG. N. In lapidibus quibusdam comites Imperatoris in multis addito nomine Imperatoris cujus comites fuerunt Tiberii Claudii, &c. erant autem amici & familiares Imperatoris, pro cujusque ingenio adsciti ad concilium aut delicias. Eorum alii primi, alii secundi, alii tertii ordinis vel loci, ut viri docti pridem observarunt.*

*A ped. L. ad LXX. potest observari.) Salmasius in notis ad Ælium Spartanum. Comitibus Imperatoris nostri à pedibus sexaginta ad septuaginta potest observari. Causam mutati prioris numeri non addit: ego illam suspicor esse, quod postea in metatione castrorum suorum, sexaginta comitibus adsignet pedes. Sed nihil vetat Hyginum illic medium pedaturam adsignasse: non enim vult quinquaginta vel septuaginta strictè, sed à quinquaginta ad septuaginta observari, id est, minimum quinquaginta, plurimum septuaginta pedes.*

*In qua pedaturam pro P.R. primo loco anta principaliam adsignari debet.) Vir idem clarissimus. Iisque pedatura pro prætorio primo loco ad viam principalem adsignari debet. Sed comites Imperatoris, non pro prætorio, sed lateribus & quidem post stationem accipiunt locum, neque etiam in universum ad viam principalem, nedum primo loco poterant tendere, cum striga*

striga comitum, non per longitudinem viæ principalis, sed ut cæteræ omnes lateris strigæ à via principali ad quintanam percurrat. Adde quod ipsa quodammodo scriptio ostendit aliud subesse. Scribo: *In qua pedatura præfecto prætorio primus locus ad viam principalem adsignari* debet. Nam vox præfecto prætorio, abbreviatè scribebatur: P R. P R. vel P R F. P R T. à quo facilis ad scripturam codicis error. Et Hyginus qui legatis & tribunis, tam legionum quām cohortium prætoriarum scannum attribuerit suum, qui nec præfectos cæteros, ne centuriones, decuriones & principales quidem omnino reliquerit intactos, quo piaculo potuit omittere præfectum prætorio tanto in fastigio collocatum? Adde quod hic locus personæ ejus convenit. Nam cum in loco ducum & præfectorum vel hoc spectetur, ut juxta suas quique copias tendant, vel ut ad principia & prope Imperatorem, in quā positione, ferè quo quisque est dignior, eo honore quoque loci Imperatori propior sit: utrumque hic observatur, ubi datur præfecto prætorio primus locus in comitum pedatura ad principia, medius inter cohortes prætorias & prætorium & proximus Imperatori. Præerat enim cohortibus prætoriis & erat pœnè Imperatori, quod antiqua republica dictatori magister equitum. Augustus quidem solos equestris ordinis homines hac dignitate voluit ornari, neque senator quisquam ad eam fuit promotus, præter Arretinum Clementem & Titum Vespasianum ante imperium Severi Alexandri, qui tandem senatoriam fecit: sed vel inde colligi magnitudo potestatis potest, quod princeps terrarum sibi & imperio tutum non censuit, credi eam multarum imaginum & summi ordinis hominibus. Erat secunda dignitas in imperio, βασιλέας ἀπρόφυεον vocat Eunapius: quā qui donabatur, accipiebat ab Imperatore pugionem & vice sacra judicabat. Scribimus autem, *primus locus adsignari* debet, quod res & ratio postulet, & sic alibi Hyginus. C. 2. *Principiales etiam & evocati in eadem pedatura locum accipiunt.* & 5. *in eandem pedaturam locus adsignetur.*

*Interpositâ deinde viâ cohortis præbetoriae & reliquo numerus.)* Putat vir doctissimus hoc loco, viæ cujusdam ex castris fieri mentionem, quæ appelletur via cohortis prætoriae. Sed priora cum sequentibus examinati, viæ hic nomen non insertum satis liquet. Primum enim stationi dari pedaturam, deinde comitibus Imperatoris, post hos interjectâ viâ, cohortes prætorias & reliquum numerum collocat. De via hac & cæteris vicinariis erit infrâ dicendi locus. Scribe: Interpositâ deinde viâ cohortes prætoriae & reliquo numerus.

*Pro ut disponi de libello extendimus debet.)* Finge: prout disponi debere ostendemus.

*Aris institutis informam partis imæ.*) Finge: aris institutis vel si malis vocem debet huc referre. Debent aræ institui in formam partis imæ. Aras hic constitui velle Hyginum minimè dubito & quidem plures: nam aliorum deorum aliæ erant, apud Tacitum invenias auguralem aram vel utique structam ante auguralem aram, ut mavult Lipsius. *Structa ante auguralem aram subdita face cremari.* Invenias & altaria ad signa & aquilas. *Illic aquilam & signa amplexus, religione se se tutabatur, ac ni Aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, sanguine suo altaria deum commaculavisset.* Sed quid sibi volunt ista *in formam partis imæ?* an vult constitui aras eâ formâ, quâ pars ima prætorii? an in formæ parte ima scripserat, designans locum, partem imam formæ id est pedaturæ prætorii? an fuerat infra viam parte ima? Ante tabernaculum certè Imperatoris & ad principia aras fuisse extrectas dubitare non licet. Sacra enim in nullare, nedum in militari à summo imperio disjungi patiebantur, nec magis Imperatori arma & tela & consultorum copiam, quam sacra & religionum instrumenta consultissimi & quantum licebat sapientissimi mortales semper ad manum esse volebant. Considerabat inter medias aras & altaria non aliter quam in templo, sapientissimo consilio, quo neque ipse publicæ quicquam rei gereret, nisi consulto placatoque prius deorum numine & deorum cultus & religionum sanctitates ab omni parte conspicuæ, sua quadam reverentia, sua maiestate eum circumdarent, & parentibus facerent augustinorem. Accedit quod non alias in castris locus aris aptior, tum propter spacium amplum & multitudinis capax, tum propter situm legibus sacrificantium convenientem. Aræ enim deorum ita constituebantur, ut ipsæ & sacrificantes immolantesque ad ipsas orientem aut si natura loci interpellaret flumen vel viam adsitam respicerent. Rectè itaque extruebantur ad viam principalem, quæ erat præcipua castrorum, respi- cientes ad hanc & portam prætoriam, quæ vel hostem vel orientem spectare solebat.

*Auguratorium parte dextra prætoriatura principalem.*) Scribe: Auguratorium parte dextra prætorii ad viam principalem. Romæ ad D. Joannis Lateranensis. TRAJANUS HADRIANUS AUG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XX. IMP. II. COS. III. PP. AUGURATORIUM DILAPS. . . . Augurale vocat Tacitus. Nocte, inquit, cœptâ egressus augurali per occulta & vigilibus ignara. Ubi ostendit, ita tabernaculo Imperatoris adjunctum & continuatum fuisse, ut ignaris vigilibus è prætorio ingredi potuerit, nisi verius est à parte hac san-

sanctiore & auspiciis quæ unius Imperatoris erant, totum prætorium augurale appellatum, ac ita hic à Tacito appellari, verba quidem id facile persuadeant. Cum enim dicit egressum augurali Germanicum per occulta & vigilibus ignara, non per augurale, innuit jam ante fuisse & tensionem habuisse in loco, quæ augurale dicebatur. Et solitum veteribus augustis ejusmodi locis, quo major inesset religio à parte sanctiore nomina indere: sic Capitolium quondam auguraculum dictum fuisse, Festus scribit. *Auguraculum appellabant antiqui quam nos arcem dicimus, quod ubi augures publicè auspicarentur.* Nescio anne & Quintilianus confirmet hanc fententiam loco saepius à viris doctis citato, sed non satis explicato: *Carmen funebre proprie Nenia & tabernaculum ducis augustale.* an fuerat: augurale? Josephus constitutum inter media principum tabernacula prætorium, ναὶ παρεπολήσιον, ait fuisse.

*Agnovimus.*) Fortè, adponemus, scilicet aris parte ima institutis. Ante auguratoriorum enim aram jam diximus fuisse. Est & alibi in hisce membranis, *ovimus*, ubi scribi debuit, ponemus. *Si cohortes equitatæ in eo exercitum omnino fuerint, ovimus alas quingenarias lateribus quæstori.*

Ut dixi ne & augurium rectè capere potest.) Recepimus conjecturam ampli. viri Jani Rutgersii, quod minimum à scriptura recedat. Ut dux in eo augurium rectè capere possit. Sed cum ipsi Imperatori, non ducum cuilibet prætorium hisce in castris paret, dubito, anne aliud quid lateat. Non tamen prætulerim huic conjecturæ quod in mentem veniebat nobis. Ut rem divinam facere & augurium rectè capere possit, ut illud ad aram, hoc ad auguratorium, de quibus nunc agit conjunctè, referatur. Rem quidem ipsam quod attinget, Imperatores priusquam concilium advocarent, in concionem adscenderent, in hostem ducerent aut quidquam publicæ rei agerent, rem divinam fecisse & aves consuluisse: re bene gestâ & perfectâ pugna, similiter sacrificasse & meritos dñs honores persolvisse, ignorare nemo potest, nisi qui in omni historia fuerit hospes: erat enim hoc adēd receptum & tralatitium adeoque justum omnium opinione & necessarium, ut contemtores cæteroquin talium & minimè superstitiosi duces: vulgi tamen causa religiosè observarint, neque facile quisquam contemserit, nisi magno suo exercitusque malo. Livius: *Sacrificio rite perpetrato concilium advocat.* Cæsar. *Postero die, re divina facta, concione ad- vocatâ, in conspectu oppidanorum milites collaudat:* & passim.

*Parte lœvâ tribunal statutor.*) Scribe: statuitur. In Græcorum etiam castris tribunal prætorio fuisse junctum, ostendit Plutarchus, cum scribit Periclem milites, si bene memini, suos convocasse, θητο βῆμα ἢ σπαθήμα.

Homerus similiter jam olim unà collocat forum , judicium & deorum altaria , ut hanc dispositionem tam antiquissimam esse appareat , quam est prudentissima , qua loca illa , in quibus summum imperium summumque judicium exercetur , omnia adponantur in quibus Deus colitur . *σεμηνὸν* θῆμα appellat Dionysius Halicarnasseus , ad differentiam aliorum tribunaliū. Ac solet tribunal , etiamsi absit Imperator , tamen Imperatoris nomine appellari , quia quicquid à minoribus ducibus pro tribunali geritur , non geritur , nisi autoritate & nomine illius . Scipio apud Livium . In prætorio tetenderunt Albius & Atrius , classicum apud eos cecinit , signum ab iis petrum est : sed erunt in tribunali P. Scipionis : submoto incesserunt : fasces cum secubibus prælatæ sunt . D. Paulus in Actis Apostolorum cum adstaret ad tribunal Festi : Θητὴ Σύμμαχος Καιούρῳ , dicebat , ἐσώς εἴμι .

Ut augurio accepto insuper adscendat & exercitum felici auspicio alloquatur .) Tacitus de Germanico . Auctus omne addicentibus auspiciis , vocat concionem & quæ sapientia prævisa aptaque imminentis pugnæ differit . In auspicio nihil seriae rei agere fas erat , augurio accepto & addicentibus auspiciis , tum demum exercitum . ad concionem vocabant : fiebat id classico , convocati sub suis quisque ducibus & signis , manipulatim aut centuriatim conveniebant & tribunal circumfusi , ibi potissima signa & aquilas constituebant . Livius in XXII . Ut constituta sunt ante tribunal signa , progressus ante alios magister equitum . Quem habitum faciemque circumstantium & signa & vexilla præferentium , numismata & monumenta vetera , jam ab aliis exhibita , etiam nunc ostentant . In tribunali concionatuero Imperatori ponebatur castrensis sella , ut appareat ex Suetonio , recensente inter infesta omnia , quæ Galbae in adoptione Pisonis evenerant , quod ministri castrensem sellam de more ponere , oblii fuerint . Observatum est , inquit , etiam Kal . Janitarii sacrificanti coronam de capite excidisse : ausplicanti pullos evolasse , adoptionis die neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali , oblitis ministris & in senatu curulem perversè collocatam . Livius V III . Ne tribunal quidem satis quietū legati circumstantes sellam orbant , ut rem in posterum diem differrent . Legati enim cum Imperatore ascendentes , tribunal ipsum aut sellam ejus circumstabant , dubito an & tribuni . Nam Livius hic solorum legatorum meminit & paulò post . Iterum de eodem Papirio dictatore . Fussit de tribunali descendere legatos . Apud Josephum in septimo αἰώνεως : Titus expugnatis Hiērosolymis devictaque & pacata omni Judeâ , benemeritos milites pro coniunctione laudans & donis militaribus donans , μὲν τὴν πεμπτὴν in tribunali constituisse dicitur , quæ vox saepius de solis legatis accipitur : interdum com-

complectitur & tribunos & præfectos. Illud autem observo, Imperatores concionantes, cum milites suos alloquerentur, aut pro concione laudarent, ferè stetisse: at cum judicis partibus fungerentur, sellâ sedisse. Prioris moris exempla habes in Galba & Tito Vespasiano. Posterioris in Papirio, Scipione & aliis. Tractum à more urbano, quo judices sedebant, Oratores ad populum verba facientes stabant, satis congruente cum naturâ rerum, habitu utroque, quia alteros quieto sedatoque animo, alteros commotiori munus suum explere oportet.

*Introitum prætorii partis mediæ aut viam principalem.*) Scribe: introitu prætorii partis mediæ ad viam principalem, vel ante viam principalem: quomodo & supra, ubi de auguratorio & tribunali loquitur, non malè scripseris. Ante principia enim judicia habita, Fabius & Suetonius scribunt. Ille milite Mariano. *Sed neque hoc Mars parens, neque signa militaria aquilæque vicitrices finant, ut tuâ quoque sententia quisquam vir & Romanus & miles nimium pudicus sit, apud quem ante principia agendum est.* Hic Caligulâ. *Capite punivit & quidem ante principia castrorum.*

*Groma locus appellatur.*) Salmasius legit, grumæ: secutus Nonium, qui ait: *Grumæ sunt loca media, in quæ directæ quatuor congregantur & conueniunt viæ.* Suidæ γνώμα vocatur. Ολίγον ἐπωτέρω τὸ στρατηγικὸν στενόν χωρίον ή ὁσπερ ἀγορὴ ἀπεδέδειπτο δὴ γνώμα τερρυγορέντο εἰςτο δὲ αὐτὸς οὐ προστέται καὶ αἱ ἀγγελίαι ηὔλαι εἰνοῦσσι. Ubi malè vir doctissimus vocem, οὐδα, in αἴθρᾳ, velit mutatam, & quasi Hyginum non inspexisset, inauditum sibi dicit, quis sit ille locus, quem gromam appellat Suidas. Circa gromam autem, hoc est, in principiis & ad principia, dabantur per exercitum jura & imperia; indicebantur munera, habebantur castrensia judicia, fiebat res divina, huc convocabatur ad concessionem exercitus, huc turba castrensis, ut ad forum conveniebat, hic totos dies versabatur, donec principia dimitterentur: ideo ait Suidas, hic legationes & nuncios & omnia administrari.

*Quod turbabi congruat.*) Rectè Salmasius. Quod turba ibi congruat: Congruere enim est convenire, à gruibus ductum; de quibus Solinus c. 10. *Concors omnium cura pro fatigatis, adeo ut si quæ defecerit, congruant universæ lassatasque sustollat.* Hyginus: *In castris groma ponitur in tetrantem quo velut ad forum convenitur.* Sed inepta & haud dubiè falsa hæc derivatio gromæ à congruendo: nec melior si legas: *Quod turba ibi congrumet eodem sensu,* (quamvis fortasse ut degrumare sic & congrumare inter castrensis vocabula fuerit) Non enim groma à congruando, sed contra, congrumare à gromâ deduci deberet. Sed melior hæc quæ sequitur causa hujus nominis.

*Sive in dictationem & adposito.) Assentior viro eidem clarissimo legenti: Sive quod in dictatione metarum. Hyginus. Prolato exiguum per rigorem ferramento, normaliter paucas diclabimus metas. Frontinus. Metis ad ferramentum positis per ipsum erit dictandum. Idem. Diclabimus metas non minus tres. Nisi hic metationem castrorum docens scriperit potius. In dictatione metationis: ut infrà. Nec communem indicationem (fortè dictationem) metationis habet propter numerum incertum.*

*Adpositio in eodem loco ferramento.) Lege: positio. Frontinus. Metis ad ferramentum positis. Hyginus de limitibus constituendis. Mulii ignorantes mundi rationem, solem sunt secuti, hoc est, ortum & occasum, quod simul ferramento comprehendi non potest: quid ergo? positâ aufficialiter gromâ, ipso fortè conditore præsente, proximum verò ortum comprehendenterunt. Ferramentum cui groma imponebatur, tetrans geometrarum erat. Hyginus. In castris groma ponitur in tetrantem, quo velut ad forum convenitur.*

*Groma superponatur.) Hæc sine dubio vera causa est, propter quam locus hic in castris groma vel grumæ appellatus: quod groma in eo super tetrantem poneretur ad dirigendas castrorum vias & portas. Eft autem groma, ut ait Festus, genus machinæ cujusdam, quo regiones agri cujusque cognosci possint. Nonius. Mensuram quandam esse notat qua fixa viæ ad lineam dirigantur. Ac hic quidem locus satis nos docet, quamobrem in tetrante figeretur groma, ut scilicet viæ & portæ quatuor ad hanc machinam directæ stellam efficerent: primum enim in castrametatione posita groma, statuendum erat, quibus partibus quatuor portas locari placeret, easque ita dirigere, ut stellam vel crucem efficerent, quibus directis cætera omnia in proclivi erant: nam omnes metæ his respondebant & omnes areæ & viæ ab altera parte viæ principali, ab altera parte prætoriæ & lineæ illi, quæ à prætorio ad decumanam portam excurrebant, parallelae erant. Primum itaque in castrametatione posita gromâ, linea, ut opinor, mensurabant vias, deinde perticâ cujusque generis pedaturam. Vide de his Salmasium in exercitationibus Plinianis de *propria* & groma, multa doctè, fusè, sed non nihil etiam confusè differentem. Cui ut in cæteris assentiar, in eo quidem assentiri non possum, quod gromam & perticam eandem esse opinatur. Erat sanè *πεπονικόν* utrumque instrumentum: sed aliud hæc, aliud illa, pertica vel decempeda mensurabant singulas partes. Groma in tetrante ficebat, & quatuor castrorum portas ostendebat. Groma signum erat, pertica mensura: groma dirigebat perticam, pertica à groma dirigebatur: & quanquam confundi hæc interdum, ut plerique à scriptoribus & signa quoque quæ in angulis constituebantur, perticas*

cas appellari non equidem negaverim ; propriè tamen aliud gromam, aliud perticam esse , multis probare possemus.

*Ut portæ castrorum in conspectum rigoris.)* Conspectus est, quod ex eodem loco rectâ linea normaliter compici potest, sive una sive plures signorum conspectorum lineaæ fuerint. Vide Hyginum de limitibus.

*Stellam efficiant.)* Est & hoc mensorum vocabulum. Cajus & Theodosius. *Et signatim ut inveniantur pali ipsi stellam consecraremus & ipsa stella junior nomine vocatur.* Forma stellæ hæc est + unde Africanus & Leo , vias hasce ex eodem puncto ad quatuor castrorum portas dirigere jubentes , non plures , sed unam viam transversam in modum crucis jubent fieri , *ἐν τῷ μέσῳ ἡ Φορούτης συμπειθὴ τλατεῖα.* &c.

*Et professores ejus artis causâ supra scripti.)* Salmasius : ejus artis causâ ut supra scripsi. Sed nihil supra in his quidem , quæ super sunt hac de re scripsit: potest servari scriptura libri. *Professores ejus artis:* intellige, figendi in tetrante gromam & ad eas vias portasque castrorum dirigendi , hoc est mensoriæ artis : *causa supra scripti* , id est , causa ejus quod supra scriptum est , quod scilicet groma ferramento superponatur : ut enim inde locus ipse castrorum groma, sic etiam metatores Gromatici appellati : aut si quid mutandum, scriberem causâ suprascriptâ : suprascriptum autem & infrascriptum , etiam ad proximè præcedentia & sequentia refert. *Nunc papilionum tensionem cohortium suprascriptarum ostendemus.* *Datos itaque numeros qui infra scripti sunt , sic computabimus.* Legiones tres vexillarii, &c. Ætate Polybii tribunus cum centurionibus ad eam rem delecti , præcedentes capiebant castris locum , totamque metationem peragebant. In Cæsare leguntur & exploratores & centuriones eâ de causâ præmissi. Josephus in primo agmine exercitus Flaviani cum stratoribus viarum ponit ΛΦ' ἐκάστης ἐκατονταρχίας δέκα τιμὴ τε ἀνταὶ σκευῶν ἢ τὰ μέτρα τὸ παρεμβολῆς Φέροντες. Illud certum est, veteri disciplinâ quemadmodum omnia pœnè militaria , ita hanc quoque partem centurionibus & exercitus militibus demandatam fuisse : nihil enim in re militari necessarium volebant à suis ignorari, neque legiones omnibus numeris absolutas alieno subsidio indigere. At posterioribus seculis , deficiente paulatim illa antiquâ disciplinâ & peritiâ armorum , quæsiti extra numeros & tantum non extra castra magistri earum rerum , quas veteranam neminem ignorare oportebat & quo plus magistrorum eo minus scientiæ fuit. Hinc tot nova dignitatum munerumque militarium nomina, veteribus ignorata, ut numerum eorum inire non sit facile. His quoque ad censem etatores & mensores , quorum crebra apud Latinos, qui sub primis Imperatoribus scripsere , nec

non apud Græcos sequioris ævi mentio , & Hygini Gromaticos , & Vegetii campidoctores vel campiductores , campigenos & antesignanos , item antecessores Mauritii Imperatoris : quæ vocabula cum denotent eos ~~qui~~ <sup>qui</sup> calitis metandis præterant , simul ostendunt peculiare munus aut pluria etiam munera fuisse , quæ à cæteris non obirentur : Agrimensores fuisse autor est Vegetius , Lib. III. *Ita autem ab agrimenoribus podii sinus colligi oportet , ut ad quantitatem concludatur exercitus.*

*Viae vicinariae.*) Ulpianus Lege II. ne quid in loco publico vel itinere , postquam vias vicinarias vel vicinales à publicis & privatis , ut tertium genus distinxit , eas ita definit : *Vicinales sunt viæ , quæ in vicis sunt vel in vicos ducunt.* Livius etiam earum meminit in urbe . Agrimenoribus auctore Seculo Flacco , *viæ vicinales sunt , quæ de publicis divertuntur in agros.* Ad harum exemplum viæ vicinales in castris dicuntur minores illæ & intercurrentes , quæ ex majoribus prætoriâ , principali , quintanâ & sagulari in strigas vel vicos ducunt . Est enim omnis hæc metatio vicorum admodum similis propter intercurrentes vias ; ut jam diximus ex Polybio . Ac omnes vias quarum meminit sine nomine intra viam sagularem in pedaturâ supplementorum , vicinarias arbitror fuisse , lateribus prætorii duarum mentio , unius inter comitum pedaturam & cohortes prætorias : alias inter cohortes & alas equitum . In prætenturâ primam ponit inter scannum tribunorum & alam milliariam : secundam inter duas alas : tertiam & quartam inter cæterum numerum : quintam super cohortem primam . In retentura viarum quidem disertè non meminit ; fortasse quod eadem , quæ latera prætorii , percurrant etiam hanc partem , ut fit in metatione polybianâ : nam pedatura satis ampla est . Sed omnia hæc satis obscurè in corruptissimo hoc libello definiuntur . Illud appetat eas quas in prætenturâ collocat , per transversa castra excurrere & definere in via sagulari . At quæ lateribus castrorum per longitudinem castrorum à via principali ad viam , opinor , quæ illic est ad tergum . Nam in computatione longitudinis prætenturæ & latitudinis lateris prætorii , viarum quoque latitudo computatur . At in computatione latitudinis prætenturæ & longitudinis laterum de viis verbum non facit . Imò sexcentos pedes latitudinis prætenturæ & septingentos viginti longitudinis lateris . & quadringentos octoginta retenturæ milite explet , ut ne viis quidem spacium superfit . Causæ diversitatis diversitas strigarum , quæ in prætenturâ per latitudinem castrorum , in duabus aliis partibus per longitudinem exporriguntur . An præter has intermorientes , aut ut verius dicam , in viâ sagulari desinentes , aliæ ad intervallum usque per trans-

transversas strigas excurrant, difficilius dictu est. Non desunt enim utrumque causæ. Nam dari idè possunt videri, quod Hyginus viarum vicinalium percurrentium mentionem facit, quasi distingue<sup>www.libtool.com.cn</sup>ns eas ab intermoriens, & addit causa, ut exercitus ad eruptionem expeditus progrederi possit, quæ causa videtur postulare, ut ad spaciū hoc, quod est inter vallum & legiones percurrant. Accedit quod longitudinem castrorum definit duobus millibus quadringentis pedibus, quod spaciū octo legionibus solis & viis majoribus non expletur: ad pedem autem expletur, si quidem inter cohortem & cohortem, viam viginti pedum interjaceris. At contra quis credit, Hyginum, qui cæterarum viarum locum & pedaturam descripsit, has uno tantum verbo & tam obscurè tetigisse, id est pænè præterisse? præsertim cum commodè dari non possint, nisi aut per medias cohortes alasque intra viam sagularem tendentes, aut per medias cohortes legionarias, non tantum per strigas transversas percurrant? quod neque utile neque decorum est. Et si longitudine castrorum justo minor est, nisi inter cohortes legionarias interposueris vias: at latitudo castrorum mille sexcentorum pedum interjectis viis sexaginta pedibus pedaturam suam excedet: nam eadem ratio postulat, ut tam ad portam decumanam & prætoriam, quam lateribus castrorum transcurrant. Jam illa quæ de percurrentibus viis dicuntur, obscura sanè sunt, nec satis ostendunt quonam percurrant. Verius itaque fortasse erit, longitudinem illam quam exempli quidem gratiâ, non autem disertè castris suis attribuit, non tam exactè observari, & illa de viis percurrentibus aliter (possunt autem commodè) explicari, quam tot vias absque autoritate Hygini in castris muniri.

*Ideo dantur percurrentes proximè sagulares.*) Finge: proximè sagularem vel sagulares. Puto loqui de viis, quæ à principiis ad tergum castrorum interiorum per latera perque retenturam ducunt: nam de latere prætorii hic agit: percurrentes vocat, ideo quod à viâ ad viam perque duas castrorum partes percurrant, aut si de omnibus velis intelligere, possis: *ad proximas sagulares.* Nam ad intervallum usque non percurrere, ex eo efficitur, quod ex quæ in prætentura in pedatura septingentorum viginti pedum longitudinis computantur, quæ à tribus legionibus latere castrorum tendentibus tota occupatur, quodque illæ quæ lateribus prætorii, pars sint sexcentorum pedum, quos duæ cohortes legionariæ ad tergum tendentes explent.

*Nunc præterituræ rationem exponam viam principalis.*) Scribe: nunc prætenturæ rationem exponam. Via Principalis, &c. Exposita ratione

prætorii & laterum prætorii , transit nunc ad descriptionem prætenturæ : sed priusquam ad cætera transeat , viam principalem , quæ prætenturam à lateribus prætorii distinguit , nobis exhibit .

*Via principalis.*) Meminit hujuscem in castris viæ , Livius libro X. *Mānipes legionum viā principali inducit.* Alioquin viarum in castris nomina apud veteres non facile invenias .

*Quæ est inter portas dexteriorem & sinistriorem , quæ à principes nomen opti.*) Quæ est inter portas dexteriorem & sinistriorem , quæ à principiis nominatae : vel à principibus nomen aptæ , id est , adeptæ . Festus . *Principalis castrorum porta nominatur , quod in eo loco est quo principes ordines tendunt.* Ad hanc enim viam Imperator , præfetus prætorio , legati , tribuni , cohortes prætoriæ & primæ , principes denique exercitus tam antiqua , quam recentiori ratione metationis tendebant . Illa autem , quæ à principiis , &c. tam ad portas , quam ad viam , cum idem utriusque nomen , referri possunt .

*Essē debet latitudine eadem , qua opus pedum sexaginta.*) Videntur hæc verba transposita paulum : sed amat nosster , alioquin scripsisset : esse debet pedum sexaginta latitudine eadem . Viarum publicarum apud Romanos diversa genera , quarum alia aliis latitudo . Viis regiis , consularibus vel prætoriis quidam sexaginta , alii quadraginta , tringinta pedum latitudinem alii attribuunt . Erant & viæ viginti pedum , item duodecim : minimè verò octo pedum . Eadem hæ latitudines in his castris Hygini viis observantur & sunt omnium latitudinum quædam præter minimam . Viæ præatoria & principalis , nec non intervallum sexaginta pedes accipiunt : quintana quadraginta : sagularis triginta : viæ vicinariæ viginti : denique spaciū illud , quod est inter singulas strigas duodecim pedes . In pedatura autem spaciū ejus quod est intervallum & legiones , nimium quantum à Polybio diversus abit : Ille enim huic spacio ducentos pedes adsignat , adjecta causa , cur tantum adsignet : præstare enim locum hunc inanem , ut introduci & educi legiones commodè possint ; ex sua quemque striga eo effundi ; eo cogi & de nocte adservari , si qua præda fuerit facta : id verò imprimis efficere , ut ne ignis , neve quod telum ad legiones adigi possit . At Hyginus huic spacio sexaginta tantum pedes , quantum viis principali & prætoriæ tribuit , neglectis & post habitis tam gravibus caulis , planè non proportione cæterarum partium . Ac videntur hoc in primis egisse posterioris ætatis Gromatici , (defidiæ hoc an arti tribuemus ) ut contractis copiis , pedaturam quam densissimis castris complerent , quo minori labore munitio perficeretur & per-

perfecta paucioribus defensoribus egeret. Lucanus.

Agminaque interius muro breviore recepit,

Densius ut parvâ disponeret arma coronâ.

Coronam appellabant, quicquid interius vel exterius circumdabat. Sic corona valli apud poëtam, vallum. Corona passim populus, qui confessum judicum vel verba facientem cingebat. Autor Dialogi de claris oratoribus vel causis corruptæ eloquentiæ. *Quod gaudium, consurgendi assistendique inter tacentes & in unum conversos! coire populum & circumfundit coronam & accipere affectum quemcunque orator induerit.* Sic enim legendum est, ubi legitur, *circumfundit coronam*, nullo idoneo sensu. Plinius epistolæ lib. VII. *Nonne quum surgis ad agendum, tum maximè tibi ipsi diffidis, tum commutata, non plurima sed omnia cupis; utique si scena latior & corona diffusior.* Silius Italicus lib. VII.

Cernis ut armatâ circumfundare coronâ,

Et vallet clausos collectus miles in orbe.

Sed ut revertamur è unde digredimur. Considerandum etiam atque etiam, anne abreptus fecuti sui desidiâ Gromaticus partem hanc nimis contrahat. Est tamen tanta, ut cohortes ut in acie instructæ, in eâ subsistere facile possint: quam in urbe munitâ latitudinem aggeri dari jubet, Vitruvius lib. I. c. 5. *Interiore parte substructionis fundamentum distans ab exteriore, introrsus amplio spacio confitendum est, ita ut cohortes possint quemadmodum in acie instructæ, ad defendendum supra latitudinem aggeris consistere.*

Et ideo à quibusdam interballum est cognominatus.) Et ideo à quibusdam intervallum est cognominatum. Intervallum propriè esse spacium quod est intervallum vel cervulum & alium cervulum testatur Varro. Hygino usu castrensi spacium hoc quod est intervallum & legiones etiam intervallum.

Item viam quæ dicit ad portam prætoriam in prætorio sine dubio via prætoria dicitur.) Corrige: Via quæ dicit ad portam prætoriam, (à prætorio sine dubio, via prætoria dicitur) vel, via quæ dicit à porta prætoria in prætorium, unde sine dubio via prætoria dicitur. Via enim hæc ab via principali vel introitu prætorii dicit ad portam prætoriam, vel quod eodem recidit, à porta ad prætorium. Polybius viæ huic, cui Hyginus sexaginta, quinquaginta tantum attribuit: fortassis, quod in prætenturâ illa multum nudi, soli, vel quod ad conjuncta castra respexit, in quibus via hæc, non ad portam prætoriam, sed ad media & alterius consulis castra dicens, minori spacio indigeat. Extraordinaria, opinor, æquè ac-

prætoria dicebatur, sicut & porta utrumque habuit nomen.

*Propter quod rigorem censuræ suæ superioris strigis in prætori jura non percurrunt.) Vir ingeniosus. Propter quod rigorem censuræ suæ superioris strigis in prætoria via non percurrunt. Fortasse an fuerat. Propter quod rigore tensuræ suæ superiores strigæ in prætorii ora non percurrunt. Facit, inquit, spacium hoc pedum sexaginta, quod datur viæ prætoriæ, medianam prætenturam secanti, ut frons prætorii ne claudatur & libera sit à strigis, quæ à lateribus castrorum ad viam prætoriam rigore tensuræ suæ excurrunt. Superiores enim strigas hic appellare videtur, strigas prætenturæ, quamvis alioquin prætenturam partem inferiorem dicat. Ora prætorii. Introitus & frons, ut ora phalangis, frons phalangis, sōmæ Græcis. Frontinus. Equites à sinistro cornu præter ora phalangis jussit transcurrere. Cicero. In aditu atque ore portus.*

*Quoniam ad viam prætoriam signa spectare debebunt.) An quarum ad. &c.. Refero enim ad superiores strigas, id est, cohortes primas, alas milliaris, cæterumque prætenturæ numerum. Non quidem ipsæ spectant, id est, respiciunt viam prætoriam, sed vel frontem castrorum vel viam principalem, quia strigarum rigor per latitudinem castrorum exporrigitur, sed signa eorum eò spectant. Intra enim latus hoc alæ milliarie, quod est ad viam prætoriam, signorum nomine appellat. Accipere debet ala millaria signis pedes & tabulino pedes sexcentos.*

*Dabimus itaque intra viam principalem legatis pedaturam.) Intra viam principalem, hoc est, ut arbitror, ad viam principalem, eâ parte, cui via hæc ad censemtur, quæ est prætenturâ. Intra viam sagulariem aliquoties dixit; meliori tamen nisi fallor jure, quod via sagularis supplementa ambiens interiora quædam castra faciat. Tendunt certè in prætenturâ ad viam principalem contra comites, cohortes primas & prætorias planè eodem loco, quo polybiani tribuni.*

*Quod scamnum est appellatum.) Hyginus de limitibus. Omnem mensuræ bujus quadraturam dimidio longiorem quam latiorem facere debemus, & quod in latitudinem longius fuerit, scamnum appellare, quod in longitudinem, striga. Frontinus. Quicquid secundum hanc conditionem in longitudinem est delimitatum per strigas appellatur, quicquid per latitudinem per scannam. Vides causam, quare legatorum hæc & tribunorum pedatura, scamnum dicatur. Quāquam si ideò scamnum quod per latitudinem castrorum delimitata quodque in latitudinem castrorum longior, cæteræ quoque prætenturæ pedaturæ eodem excurrentes, scanna dici debeant: at hæ strigæ dicuntur & hemistrigia. Usus igitur castrensis fecisse hoc videtur, ut primæ hæ ad*

ad viam principalem areæ , quia & transversa per castra currunt & non servant communem strigarum latitudinem , scamna appellantur : at illæ sequentes quamvis eodem excurrant , quia ramen strigarum rationem servant , strigarum quoque servent vocabulum .

*Nec communis strigarum indicationem metationis habere .) An ? Nec communem strigarum dictationem metationis habet . Sensum esse apparet : non observari perpetuam alioquin hemistrigii triginta & strigæ sexaginta pedum latitudinem .*

*Propter 77. numerum incertum .) Nota hæc duplex aliquoties in hoc libro reperitur . Simplex frequentissimè in inscriptionibus priscis . Lipsius vitem cum flagello esse putat . Centurionem certè vel centuriam plerumque significat , ut MIL. COH. I. P. 7. JULIANI . id est , miles cohortis primæ prætoriæ centuriæ Juliani . MIL. COH. V. PRÆTORIÆ STIP. XIII. EX. 7. MONNI . miles cohortis quintæ prætoriæ stipendiorum quatuordecim ex centuriâ Monni . M. POMPEJO MF. ANI. ASPRO. 7. LEG. XV. centurioni legionis decimæ quintæ . Interdum tamen & legionem designat . Utrumque jam observarunt docti . Duplex hæc nota in hoc libro plerumque etiam numero plurium centurias vel centuriones , ut 77. statorum duo , centurias statorum duas . Ex eis 77. singulis , id est , centuriones singulis . 77. & decuriones singulis papilionibus utuntur , centuriones & decuriones sing. &c . Hoc tamen loco vix est , ut de centuriis possit accipi , cum de legatorum scamno agatur , quod non probabile est pro numero centuriarum mutari ; sed potius pro numero legionum , cum enim plures legiones vel pauciores fuerint : plures quoque aut pauciores legati legionum & proinde latitudo hujus scamni augetur aut minuitur . Scripta itaque . Propter legionum numerum incertum .*

*Quod non semper latitudinem à pedibus lat. LXXX observari debet .) Quod non semper latitudine à pedibus quinquaginta ad octoginta . Ex notâ enim L. & voce ad. corrupta lectio nata . paulò ante . Quod ad latitudinem prætorii totius attinet à centum sexaginta ad ducentos viginti potest observari . Item . Comitibus Imperatoris nostri à pedibus quinquaginta , vel septuaginta potest observari . Et inferius scamnis legatorum octoginta : tribunorum septuaginta attribuens cum pedatura sufficerit , & decem de his detrahens pedes cum strictior fuerit , ostendit scamnorum pedaturam interim variare , quamquam offendit nos sanè repetitio hæc & quod , cum melius cum superioribus aliter concretetur . Sed satis bene nobis cum agitur , si verum ex hisce ruderibus eruimus sensum : nitorem &*

con-

concinnitatem si qua fuit, redderet scriptori, qui meliores codices nacti fuerint.

*Observari debebit pro ut numerus lectionum effecerit.) Ita hæc distingue : nisi velis abesse, vocem Sed, & scribe: Observari debebit pro ut numerus legionum effecerit, aut potius exegerit. Hyginus. Stationi viginti pedes, & si res exigit decem sufficient. Vide tamen, anne hæc sic melius concinnentur. Quod scamnum est appellatum, nec communem strigaram dictationem metationis habet, propter legionum numerum incertum nec semper latitudinem eandem : à pedibus quinquaginta ad octoginta observari debebit, pro ut numerus legionum exegerit.*

*In quo tribuni cohortium prætoriarum.) Tribunos cohortium prætoriarum, tum quod digniores cæteris, tum quod numero pauciores & quo cohortibus suis propiores sint, eodem quo legatos scamno collocat, in eodem scholæ cohortium primârum.*

*Similiter tribunis legionum.) Alios in militia Imperatorum Romanorum tribunos legionum, alias tribunos cohortium fuisse, monuerunt pridem viri docti in hac parte antiquitatis versati. Ac indubium quidem est, præfectos cohortium auxiliarium & externarum, qui tribuni cohortium vocabantur, ut tribuni Maurorum, Vocontiorum, nec non tot alia tribunorum genera, quales sunt tribuni equitum, & in aula tribuni stabuli fabricæ voluptatum, &c. diversos esse à tribunis legionum. Sed quæri potest, an in legione duo quoque tribunorum genera, quorum his prisco more toti legioni præfessent, illi singulis cohortibus. Nam video virum illustrem, tribunatum legionis apud Suetonium interpretari, præfecturam unius cohortis in legione, ex quo colligitur, statuere vel duo tribunorum genera, quorum alteri cohortium præfecturam gererent, alteri totius legionis haberent curam, vel omnes tribunos legionis, non nisi cohortis legionariae tribunos fuisse. Agnosco quidem tribunos lati clavios & angusti clavios: sed non hoc illud discriminem est: tam angusticlavii quam laticlavii, tribuni legionis dicuntur, ut locuples testis est Suetonius, qui scribit, patrem suum Suetonium Lenem tribunum angusticlavium tertiae decimæ legionis, interfuisse bello civili inter Othonem & Vitelliū. Agnosco & majores & minores tribunos, sed inter quos non aliam differentiam observet Vegetius, quam quod illi per epistolam sacram Imperatoris judicio distincentur: hi proveniant ex labore. Sic & liberâ re publica tribunorum militarium duo genera, ut scribit Asconius. Primum eorum, qui Rufuli dicebantur; hi in exercitu creari solebant. Alii erant Comitiati, qui Romæ comitiis designabantur: nihil minus totius legionis*

nis utriusque tribuni. Ac præter hasce differentias nullas observo alias. Hyginus non nisi unorum meminit, collocatque omnes eodem scanno. Scribit Suetonius Claudiū Cæsarem equestres militias ita ordinasse, *ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret.* Ubi cohors non accipienda de tribunatu cohortis legionariæ, sed externæ; ascenditur enim inde non statim ad tribunatum legionis, (quod sine dubio fieret, si quidem hic in legione tribunatus) sed primum ad alam, hinc ad tribunatum legionis. Tria hæc in exercitibus ejus ævi passim recensentur genera. Legiones, alæ, cohortes, per omnium horum præfecturas ordine ire voluit equites; primo toti cohorti præfici, deinde alæ, tertio legioni. Neque interim in legione distinguit inter tribunatum cohortis & legionis; ad tribunatum verò pertinuisse etiam sub Augusto curam totius legionis, non unius cohortis, ostendit Horatius, quando de se dicit.

Quod mihi paruerit legio Romana tribuno.

Ostendit & Hyginus, qui ad principia eos in eodem scanno collocat: non in pedaturā singularum cohortium ubi locari deberent, si singulis cohortibus præfessent. Adde quod primi centuriones & præcipue primopilus, quorum illi in sua quique cohorte imperium tenebant, hic & primam cohortem & totam legionem regebat, secundus à tribunis legionum, deturbati quodammodo de potestate sua si singulis cohortibus tribuni sui fuissent præpositi. Præterea isti tribuni non legionis, sed cohortis legionariæ tribuni dici deberent: quemadmodum præfecti, qui in universum præerant sociis Latini nominis præfecti dicebantur sociorum; at qui cohortibus singulis præfecti cohortium: ut apud Livium. *Præfetus cohortis Pelignæ.* Sed verò cohortis legionariæ tribunus, quantum nunc memini, apud scriptores rerum Romanarum nullus est. Vegetius quidem cohorti primæ præfuisse vult, tribunum armorum scientiâ, virtute corporis, morum honestate præcipuum: reliquas cohortes prout principi placuisset à tribunis vel præpositis regi solitas. Sed vel hoc ipso ostendit, etiam sequiori seculo tribunos cohortibus extra ordinem principis rescripto datos cum alioquin à præpositis regerentur: non vulgo singulis cohortibus singulos fuisse tribunos: sed quicquid fuerit illo infimo seculo, quo præscæ militiae nihil superfuit, præter nomina quædam. Sub prioribus Imperatoribus non arbitror alios, quam tribunos legionis totius in integrâ legione fuisse: in integrâ, inquam: nam in sparsa & divisa, si quis pertendit cohortibus præfectos interdum datos, qui tribuni cohortium dicerentur, non pugnabo. Video enim Cæsarem, qui alioquin præfectos solet distingue à tribunis, tribunorum cohortium

rium mentionem facere, Libro II. de Bello Civili. Simul atque cognitum sit de edito Cæsaris consensisse Gaditanos cum tribunis cohortium, quæ essent ibi in præsidio. Numerum tribunorum quod attinet, decem ea ætate, quò sunt cohortes, fuisse putat vir doctissimus Henricus Savilius. Ego uti nihil certi habeo quod adfirmem, ita plures quam olim fuisse vel propter ambitionem & corruptelas ævi, facile concesserim. Video enim labante jam libertate, ambitiosè petitos datosque tribunatus solius interdum honoris & commodi causâ, absque labore militiæ, ut apparat ex epistola Ciceronis ad Trebatium n̄ fallor octavâ: video deinde & semestres factos, quō in plures distribui posset beneficium non magis principum quam principalium mancipientum: video & uni alæ ab Augusto duos laticlavios præpositos: atque adeò plerosque honores per ambitionem multiplicatos.

*Inferius adsignari debet quod æquè scamnum dicitur.) Scamnum tribunorum post scamnum legatorum in longitudine castrorum collocatur: liquet id, tum ex hoc loco, tum infra ex computatione longitudinis prætenturæ, in qua duobus scaminis adsignantur pedes centum viginti, singulis sexaginta.*

*In forma subjecimus, nunc ut suo referam loco ad alam milliarium.) Verius videtur. In formâ subjecimus & suo referam loco. Nunc ad alam milliarium: pagina sequenti. Quantum at in etiam ad ea, quæ sunt necessaria satis, puto diligenter retulimus & si quæ rationes adhuc fuerint necessariae, suo referam loco.*

*Nunc ad alam milliarium.) Quinque equitum genera in castris Hygini inveniuntur. Prætoriani, Singulares, Alæ, Equitatus cohortium & ex nationibus Mauri equites. Nunc alarum exponit rationem. Alæ in re militari propriè sunt aciei partes dextræ & sinistræ, quæ mediæ aciei corpus instar alarum utrumque tegunt. Transiit hoc vocabulum usu ad eas copias, quæ in antiquâ aciei ordinatione, quæ semper eadem erat, id locorum obtinebant: solitum enim veteribus Romanis à loco quem in prælio tenebant, dare nomen copiis, sic socii cornua, κέρατα dicti, quod dextrum lævumque cornu facerent: pilani, triarii, quia instruebantur in tertia acie: Principes, qui prima gravis armaturæ (hastati enim initio videntur leves fuisse) antiquitus acies. In castris contra loca pleraque à ducibus aut copiis accéperunt nomen, ut prætorium, quæstoriū, portæ & viæ principales præatoria, extraordinaria, quæstoria, decumana, &c. Alæ igitur veteri republica socii Latini nominis tam pedites quam equites: qua significatione alæ, pedites equitesque alarii, item cohortes alariæ,*

riæ, distinguntur à legionariis. Deinde ubi socii civitate donati, dedere  
 æquè ac Romani legiones, aliorum quidem peditum nomen ab illis ad  
 auxiliares & externos transiit: at equitum aliorum illos mansit, sed cum  
 externis, opinor, [www.libtool.com/cn](http://www.libtool.com/cn) commune: manit certè; legionibus enim in Italia aut  
 provinciis scriptis alæ equitum adjungebantur Italici provincialis aut  
 etiam externi sanguinis, non verò Romani aut equestris: neque enim  
 equestris ordo cum civitate Romana vulgatus erat, neque equites Romani  
 sufficere potuissent tot legionibus, quot tum gerebatur respublica. Inde  
 jam rarer legioni, si tamen ullus equitatus Romanus præsertim postea-  
 quam numerus equitum bellis civilibus attenuatus & attritus admo-  
 dum. C. quidem Cæsarem in Galliis bellantem, paucos admodum in exer-  
 citu equites Romanos habuisse, apparet ex ejus commentariis. Plurimus  
 ejus equitatus ex Provincialibus Gallis, Hispanis & Germanis. Cum enim  
 ad Arioistum colloquiū causâ profecturus esset, equitibus Gallis quibus  
 non satis fidebat, legitur equos detraxisse, iisque imposuisse milites legionis  
 decimæ, quod non credibile est facturum, si quidem tot alas equitum Ro-  
 manorum, quot legiones habuisset. Ac in Cæsare equites Romani ferè  
 distincti ab equitatu, solent evocatis & tribunis jungi aut quibusdam  
 administrationibus præfici. In septimo scribit: Labienum naves quas à  
 Metrosedo deduxerat, (erant quinquaginta numero) singulas equitibus  
 Romanis attribuisse; quibus administrantibus exercitus equitatusque  
 (verba sunt Cæsaris) celeriter transmissus fuerit. Ubi vides & paucos  
 numero & diversos ab equitatu. Eodem libro dicitur: Cæsar à tribunis mi-  
 litum reliquisque, sed & equitibus Romanis & evocatis equos sumisse, quos di-  
 stribueret Germanis equitibus: indicans ut puto, illos ut evocatos circa  
 Imperatorem in exercitu fuisse & vel detraictis equis munere suo potuisse  
 fungi, alioquin non absque ignominia sumti ab iis fuissent. Alarii pedi-  
 tes occurruunt non semel in Cæsare: equites vix unquam: non ideo certè,  
 quod alarii non essent: sed ideo credo, quod nihil præter alas equitum  
 nec ullus equitatus legionarius in exercitu esset, à quibus hac appellatio-  
 ne discernebantur. Sub primis deinde Imperatoribus, alæ iterum & alarii  
 equites distinguebantur à prætorianis singularibus & cohortibus eque-  
 stibus. Aliorum peditum aliqua tum sed rarer memoria, cohortes  
 appellabantur. Alarum autem vocabulum, ut proprium & suum eques tum  
 vindicavit, non quidem legionarius aut Romanus, sed tanien honestissi-  
 mus provincialium & qui in vicem legionarii addebatur ferè legionibus.  
 Quam mutationem tam insignem tamque necessariam ad rectè intelligen-  
 dam Cæsarianam militiam, miror tot viros longè eruditissimos, qui

in hac pulvere ante nos versati & in primis virum nobilissimum, qui hanc sibi ex professo de legit provinciam, ut ostenderet differentiam antiquæ & novæ militiae, adeò non ob servasse, ut de ea ne dubitaverit quidem. Dubitaverit autem lib. viii mōvērō dīlētē attribuit singulis legionibus equitatum Romanum etiam sub Augusto & sequentibus Imperatoribus, Cap. 9. libri de re militari. Postea alæ tantum equitum dielæ & alarii equites pro auxiliariis & hi alarii equites sive auxiliares distinguebantur à legionariis, qui legionum corpori velut adnexi erant: apud Tacitum & alios ejusdem ævi scriptores, quoties meminerunt aliariorum equitum, de auxiliariis iū sint intelligendi. Rursus C. 20. Viginti & quinque legiones sub Augusto fuerunt, quibus singulis cum trecenti equites sui, id est legionarii, septem inde millia equitum legionario-rum cum quingentis extitisse oportet. Quasi tunc & singulis legionibus equites Romani & quidem trecenti numero, ut veteri republicâ. Quorum neutrum fuit: appareat id, tum ex omni historia, tum ex locis, quibus exercitus illa ætate recensentur. Unum atque alterum inspicere operæ-premium fuerit. Tacitus Annalium I. ubi compressa seditione in hostem dicit Germanicus. Sequitur, inquit, ardorem militum Cæsar, junctoque ponte transmittit duodecim millia ex legionibus sex, & viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit. Ubi miserè hallucinatur Hugo, qui alas interpretatur turmas nullo exemplo: sed Tacitus neque ibi, neque postea instruens hunc numerum, alius equitatus meminit, quam alarum. Annalium IV. ubi recensentur omnes copiae, quas tum in armis habebat Romanum imperium de legionario equite altum iterum silentium. At inquit, apud idonea provinciarum sociæ triremes alæque & auxilia cohortium. Historiarum II. ubi describitur exercitus Vitellii urbem ingrediens. Quatuor legionum aquilæ per frontem totidemque circa è legionibus aliis vexilla: mox duodecim alarum signa & post peditum ordines eques. Non aliis equitis, meminit Mucianus oratione ad Vespasianum. Tibi è Syria Judæaque novem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordiæ corruptæ, sed firmatus usi miles & belli dominor externi: classum, alarum cohortium robora & fidissimi reges & tuā ante omnes experientia. Ejusdem generis equitatum tribuit Vellejus Quintilio Varo, cum scribit: Cæsum Varum trucidatasque tres legiones, totidemque alas & sex cohortes. Idem. Vala Numonius, legatus Vari, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquent, fugâ cum aliis Rhenum petere ingressus est, quod factum ejus fortuna ulta est, non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Lege scriptores illius ævi: (piget enim nunc plura loca compilare) lustra cum illis exercitus Romanos & instructas passim acies, nusquam trecentos equites Romanos in illis

illis invenies, nusquam iustum legionis equitatum. Neque verò credibile, adeo nullo in numero fuisse florem Romanæ juventutis, ut ubique delituerint sub legionum aut communis alarum vocabulo, tanquam vulgus sine nomine, ut eos neque locum suum, neque imperia, ne virtus quidem aut ignavia secreverit usquam ab equitum turba; cum in antiquiori historiâ tam frequens inter Romanos & socios equites distinctio occurrat. Hyginus quidem in castris suis omisisse eos non dicam absque supinâ negligentiâ, sed absque stupore non potuerit. Nam uti præfecti alicujus per incuriam aut errorem non meminisse veniam habeat: ita equiti legionario non adsignare locum, id sit castrorum in castris describendis obliuisci. Neque frustra Livius in rebus priscæ reipublicæ de numero legionum equitumque ut de veteri ac jam obsoleto instituto loquitur, Libro VIII. *Scriebantur autem quatuor ferè legiones quaternis millibus peditum, equitibus in singulas tricenises.* Neutrum enim sua ætate observatum. At enim Augustus equitum turmas frequenter recognovit post longam intercedinem reducto morè transvectionis, & in historia etiam sequentium Imperatorum sunt equites Romani equo publico. Sed aliud census & recognitio equitum Romanorum; aliud dilectus. Ne veteri quidem republica illæ equitum Romanorum turmæ, quæ donabantur à censoribus equo publico, cum lustrum conderetur & ab iisdem in transvectione recognoscabantur, eodem aëtu scriebantur: consulum hoc, illud censorum erat. Non negamus sub Imperatoribus equites Romanos equo publico fuisse, sed eos in equitatum legionarium vulgo dilectos. Immò fuere inter hos, qui castra in vita nunquam viderunt: exemplum habes in Ovidio poëtâ, qui cum equum publicum haberet, testatur tamen de se ipso.

Aspera militiæ juvenis certamina fugi;

Nec nisi lusura movimus arma manu.

Rapiébant enim multos statim civilia officia antiquatâ pridem lege, quæ jubebat militare priusquam honores peterent. Illi autem qui è digniori illa stirpe militabant in singularibus aut prætorianis equitibus (video enim hos à Tacito opponi gregariis equitibus) pars si forte & in alis, (non enim præfracte negamus equites Romanos ullos in alis militasse, sed tum vulgo fuisse legionibus alas ex equitibus Romanis) sed digniores statim ad præfecturas admovebantur. Suetonius Claudio. *Equestris militias ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret.* Ubi Lipsius. *Quid? Præfecturae cohortis & tribunatus equestris militiæ sunt? Ego serio repono: semeſtres.* At nihil sincerius vulgaratâ lectione, equites enim Romani merebant præfecti cohortium ex-

terarum & alarum & tribuni legionum : inde equestres militiæ vocantur : argumentum & ipsum alas equitum Romanorum legionibus tum vulgo nullas fuisse, præsertim quum neque decurionatus, neque præfecturas harum inter equestres militias recenseat. Augustus Senatoribus Romanis militiam auspicantibus, teste Suetonio, non tribunatum modò legionum, sed & præfecturas dedit alarum, ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios præposuit singulis aliis. Ac erat in tanto imperio major jam dignitas equitum Romanorum, quam ut gregarios inter equites mererent, minor verò numerus, quam ut tot legionum equitatum explerent. Imminuta per bella civilia & admodum recisa equestris ordinis stirpe, adeò ut Caius, quo paucitati eorum subveniret, primiores ex omni imperio, etiam extra Italiam, qui genere & opibus excellebant, in eum ordinem adlegerit, quibusdam eorum in spem dignitatis senatoriâ veste ubi dederit, prius quam ullum magistratum gessissent, ut tradit Suetonius. Sed hæc alibi. Nunc satis est probasse, equites Romanos in Cæsarum militia, non fuisse equitatum legionum. At Vegetius, *Equitum*, inquit, *alii alares dicuntur, quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies, que nunc vexillationes vocantur ab eo quod velis seu flammulis utuntur. Est & aliud genus equitum, qui legionarii vocantur, propterea quod connexi sunt legioni ad quorum exemplum ocreati milites instituti.* Sed cum ex scriptoribus partim antiquioribus, partim recentioribus compilaverit opus suum, non illâ, quam res postulat, judicî maturitate, hæc ex illis hausisse credibile est : nam illâ ætate neutrum genus supererat qui olim alarii, tunc vexillationes : equites legionarii verò & re & nomine interierant, tantum quod ad eorum exemplum milites ocreati instituti : nam in monumentis ejus ætatis, præsertim in notitiâ imperii inter tot vexillationes, cuneos, alas, nullus eques legionarius. Alæ legionariæ jam à C. Mario leguntur adiectæ. Apud Cæsarem varium earum numerum invenio & inæqualem, sive consuetudini ejus ætatis, sive casibus belli hoc adscribendum est. Successoribus hujus rerum potentibus pleræque milliarie vel quingenariæ ; quædam & sexcenariæ videntur fuisse. Legioni quidem raro minus alâ quingenariâ tum datum legas : sæpe millaria : interdum & plures milliarie vel quingenariæ : nimirum uti dignitate illis priscis impares & néquaquam comparandi : ita quod dignitati & virtuti defuit, multitudo supplavit. Crevit certè magis magisque numerus equitum prolabente jam antiqua disciplinâ & honore legionum, donec seculis sequentibus omne robur exercitus ad equitem recidit. Alæ milliarie & quingenariæ in militia Mæcedonum jam olim fuerunt, sed

sed illæ, ut scribit Curtius à Magno Alexandro institutæ. *Talis* ala quam Agema vocabant. Apud Ælianum magisterium equitum habet equites quingentos duodecim, Ephipparchia sive duo magisteria équites mille viginti quatuor. Ad horum exemplum alæ milliaræ & quingenariæ apud Romanos possunt videri institutæ, cum illa ætate patrii moris negligenterores ad Græca deflexerint; nisi potius à prisco Romanorum instituto, quo socii duplum numerum equitum dabant: ut ad aucto equitatu alæ quingenariæ numerum quasi & imaginem quandam equitis legionarii, milliaræ socialis alæ habuerint. Illud observa Tacticos unius generis militi eundem in quantum possunt dare numerum, si excesserint, duplum potius quam sesquiplum aut minorem alium, quod duplex numerus commodius quam hi, tum in castris cum cæteris collocetur, tum in acie.

*Turmas habet XIV.*) Cum ala quingenaria sedecim turmas habeat, milliaræ alterum tantum adjici initio suspicabamur. Augebat hanc suspicionem nostram numerus turmæ triginta antiquitus, & Vegetii etiam ætate non plus quam duo & triginta homines à quo non multum abeant hæ turmæ, si quidem alam milliariam in duas & triginta diviseras turmas; nongenti nonaginta duo erunt, in turmam unus & triginta. Hac verò ratione retento numero quem habet liber, turma fuerit unius & quadraginta equitum: reliqui sedecim, ut justissimè numerus millenarius expleatur. Vidi deinde & Scrivérium ad Vegetum habuisse suspectum numerum hunc, & Salmasium ad Trebellium Pollionem emendasse eodem, quo nos volueramus modo. Sed nos considerantes cohortes equitatas & peditatas milliarias duplum etiam quam quingenariæ numerum hominum habere: at non centuriarum nec turmarum, (quingenariæ enim sex centurias, milliaræ decem, sed illis aliquanto grandiores habent) duplicare turmarum numerum propter duplum equitum, ausi non sumus. Præterea observantes turmas viginti quatuor, numero equorum nonaginta sex, quos decurionibus, duplicariis & sesquiplariis supra numerum attribuit, admodum confirmari, ut mox ostendemus, de sinceritate hujus lectionis non jam ambigimus. Turma quantum conjectura assequor, habet equites quadraginta, sed prima octoginta. Quæ opinio non tam Vegetii autoritate mihi nata est, qui primæ cohortis turmis dat centum triginta duo, cæteris hexaginta sex, qua quod ista ratione millenarius justissimè efficitur. Quod viginti quatuor paribus turmis assequi non possis, aliqui enim aut deficient semper aut superabunt. Et quod caput est, pedatura alæ milliaræ me in hac sententiâ confirmat. Tendit enim hemi-

hemistrigis quinque, quorum unumquodque ducentos equites capit: ducenti equites erunt hac ratione quinque centuriæ, aut (quod eodem recedit) una duplex cum simplicibus tribus. In primo hemistrigio quatuor, in reliquo ~~quinto~~ <sup>quinto</sup> centuriæ, in singulis ducenti homines tensionem accipient. Quod si aliam in eas rationem, pares omnes sed grandiores faciendo centurias effugere non poteris, quin aut alium numerum in singulis hemistrigis loces, aut turmas unas in duo hemistrigia distrahas, aut denique à numero viginti quatuor turmarum aut millenario equitum recedas. Quæ cum Hygino minimè faciunt. Vegetius in sua legione in quamque cohortem duas turmas, duplum in cohortem primam tribuit. Idem in ala milliaria re ita exigente (etiamsi non inferantur tamen fuit fortassis proportio) facere possis: supererunt duæ turmæ vexillariis legionis.

*In iisdem curiones duplicariis explicari idem qui & numerus turmarum stabunt & quos singuli decuriones ternos duplicari & sesquiplicari possunt.*) Scriverius in notis ad Vegetium hæc ita citat. *Ala milliaria turmas habet viginti quatuor (error in calculo) in iisdem decuriones duplicarii, sesquiplarii itemque numeri turmarum stabunt, equos singuli decuriones ternos, duplicarii & sesquiplarii binos habent.* Salmasius ad Trebellium Pollionem. *Nunc ut suo referam loco. Ala milliaria turmas habet XXXII, in ea decuriones, duplicarii, sesquiplarii, totidem qui & numerus turmarum stabunt. Equos &c.* Mirum nî addat, quot in turma decuriones sedeant vel jaceant: dicuntur quidem rectè stare in acie milites, stare in striga vel adsistere equi, sed stare in turma equites aut decuriones hoc sensu, Latinum non est. Docet enim quot sint cuique turmæ decuriones, duplicarii, sesquiplarii. Scribe. Nunc ad alam milliariam: turmas habet XXIV, in iis decuriones, duplicarii & sesquiplarii, idem qui & (vel est) numerus turmarum. Habent equos &c. Sensus est, esse cuique turmæ decurionem, duplicarium & sesquiparium, esse eundem horum & turmarum numerum. *In iis, id est, in ala vel omnibus his turmis, non enim in singulis viginti quatuor decurioniens.*

*Duplicarii & sesquiplarii.*) Duplicarii & sesquiplarii hic sunt principales equitum à modo quem accipiebant stipendiis, ita dicti: antiquitus tam hi, quam decurio decuriones appellabantur. Festus. *Decuriones appellantur, qui denis equitibus præsunt.* Varro. *Primi singularium turmarum decuriones diæli, qui ab eo in singulis turmis sunt etiamnum terni.* in æxos non semel eodem nomine appellat Polybius. Quæ idè dicimus, ut ostendamus, tres in quaque turmæ gradus, tam veteri quam nova militia fuisse: non in hac confusos turbatosque hos gradus, ut putat Lipsius. In centuria quo-

quoque peditum duplicarios & sesquiplarios fuisse, ex Festo & Vegetio liquet, nec non ex Siculo Flacco, qui in adsignationibus agrorum hanc etiam differentiam obseruant. Siculus Flaccus. *Manipulus ergo singulas acceptas accipient, aliqui gradus singulas & amidias, aliqui binas.* acceptæ sunt portiones agri viritim adsignatæ, manipulus gregarii milites, duo hi gradus sesquiplarii & duplicarii. Duplicariorum horum jam primis libertatis temporibus mentio apud Livium II. *Ubi signa? ubi arma essent?* *singulos rogitans inermes milites, signo amissō, signiferos adboc centuriones, duplicariosque qui reliquerant ordines, virgis cæsos, securi percussit.* Vides jungi centurionibus duplicarios, ut hic decurionibus, nec alii, opinor, intelliguntur, quam optiones & succenturiones, aut si qui præterea virtutis causa duplicitia cibaria accipiebant. Signiferi autem videntur ex hoc numero eximi, an quod sesquiplarii? Non facile dixerim, cum apud antiquiores nihil de his, quod nunc quidem succurrat, legerim. Equitum autem duplarium, duplarium aut duplicariorum memoria crebra est in faxis antiquis.

*Habent equos singuli decuriones ternos, duplicarii & sesquiplarii binos.*) Equites alares gregarios. Ostendit hic locus unum tantum equum habuisse, duplicarios & sesquiplarios binos, decuriones ternos. Prisco illo & verè equitum equitatu, gregarii quaque non plures uno equo habuerunt: unus enim publicus dabatur & in hunc è publico stipendum: qui tamen sic quaque (adèò plerique suis sumtibus non aluerunt) dubites honos an onus fuerit, cum inter præmia virtutis causa donata. *Ne censor equum publicum adsignaret.* Numidæ, Sarmatæque equites olim binos equos secum trahebant in modum desultorum. Sed Romanis is mos non fuit. Desultores, μεταβάται, qui sæpe binos, interdum quaternos senosque equos transfiliebant in circu tantum spectaculi & palmæ cauſâ apud eos noti erant: in aciem non ducebantur. Valerianus epistola ad Rosinum Claudio tribuno ternos equos dari jubet, quot hic decurioni.

*Sic super numerum equorum mille deductis singulis qui in numerum computantur XCVII.*) Scribendum: fit vel fiunt super. &c. Cum in singulis turmis sit decurio, duplicarius & sesquiplarius quorum ille ternos, hi binos equos habent & unus tantum equus decurionis, unus duplicarii, nec non sesquiplarii unus, in numerum mille equorum computetur: sequitur ut quatuor equi, duo decurionis, singuli duplicarii & sesquiplarii, sint in quaque turma supra numerum & proinde in ala nonaginta sex, quos viginti quatuor quater ducti efficiunt. Hic itaque numerus confirmat numerum priorem turmarum quatuor & viginti: nam illo

mutato , hic quoque mutandus erit : fac , in ala duas & triginta turmas esse , equi supra numerum erunt centum viginti octo.

*A. l. ad turmas habet XV I. )* Lipsius libro de militia secundo legit : *Ala habet turmas sedecim.* Sed scripserat dubio procul Hyginus. Ala quingenaria turmas habet sedecim : quod & præcedentia probant & sequentia & ipsum quodammodo erratum librarii : nam ex ala quingenaria proclive est, factum primò, Ala D. & ex hoc A. C. ad. Alarum harum jam apud Livium mentio. *Numidarum ala equites quingenti.* Propriè tamen habuisse equites quadringentos octoginta omnino mihi persuadent, cum pedatura quam iis adsignat Hyginus, striga videlicet integra pedum septingentorum viginti : tum etiam numerus veteris turmæ triginta equites, qui decies sexies multiplicatus hunc efficit: quem cum tam in veteribus, quam recentioribus justum numerum turmæ videam, non tantum in tricenaria ala, sed etiam in quadringenaria , quingenaria & sexcenaria observatum arbitror: ita ut quadringenaria trecentos nonaginta, vel quadringentos viginti homines tredecim vel quatuordecim turmas : sexcenariae viginti turmas habuerint, quemadmodum quingenariae sedecim.

*Amplius quos ut supra L X I I I . )* Corrige : Amplius equos ut supra sexaginta quatuor : nam sedecim quater ducti , efficiunt hunc numerum.

*Mille deficitur.* ) Fortassis nihil deducitur. Terni, inquit, pedes dantur in equitem alarium, nec quicquam de iis deducitur, propter equos supra numerum præfectum alæ & principales eorum : cum alioquin eques non accipiat , nisi duos pedes semis adiectâ quintâ. Datur itaque his duplum ejus, quod pediti legionario & plus quam equitatui cohortium & nationum , argumentum & dignitate potiores fuisse , ut equitatus qui legionibus attribuebatur.

*In eo pede.* ) Id est, in eâ pedaturâ : quod dixit , ne bis eandem vocem repeteret. Frontinus. *Memoriæ tradit Seaurus , pomiferani arborem , quam in pede castrorum complexa fuerat metatio , postero die abeunte exercitu intactis frugibus relictam.*

*Præfectori alæ.* ) Præfectori olim apud Romanos sociis erant, quod civibus tribuni militum totidemque numero, nec alæ socialis parti præerant singuli , sed ut tribuni , toti legioni : sic & hi toti alæ : tam equiti , uti opinor , quam pediti. Nam præfectori alarum & cohortium illa ætate , non in sociali exercitu, sed in separatis & externis cohortibus & alis. Posterioribus temporibus introductum est, ut singulæ alæ præfectum suum haberent , quippe quæ non connexæ legioni, ab alia ad aliam interdum traducebantur. Invenias & turmæ præfectos in Floro. *Frentanæ turmæ præfector.*

fectus *Obſidius*. In scriptore belli Hispaniensis. *Cæſar ob virtutem turmæ Cassianæ donavit millia XIII, & præfecto torques aureos II, & levi armaturæ millia X*. Sed hæc turmæ grandiores & edecumatæ, in alis non videntur fuisse, aliquin vulgo turmæ decuriones habebant: alæ præfectos: equitum præfectos & præfectos absolutè appellat aliquoties C. Julius. Dignitas horum tanta illa ætate, ut vel tribunis legionum præferrentur. Suetonius Augusto. *Militiam auspicantibus non tribunatum modo legionis, sed & præfecturas dedit alarum*. Ostendit ordo ipse gradum hunc potiorem. Præponit & Cæſar tribunis, cum ait: *Præfectos tribunosque ad se missos*. Mutavit locum horum Claudioſ Cæſar, quando equeſtres militias ita ordinavit, ut poſt cohortem alam, poſt alam tribunatum legionis daret. Universo equitatui præficiabantur ferè legati, neque erat singularis hæc dignitas, niſi ſub dictatore, qui magiſtrum equitum dicebat. Sed hoc hujus loci non eſt.

*Aliquo laxius.*) In scriptis Flori, aliisque codicibus aliquoties, aliquo, pro aliquatenus inveniri teſtantur, qui inſpexerunt. Quod an hic ſcriptum fuerit, an errore librarii, aliquo, pro aliquanto, ut ſupra, aliqua, pro aliquando, non diſputabimus. Viderint quibus otium eſt.

*Quantum autem & repentina pertinet via quæ eſt.*) Emenda: quantum autem ad rententuram pertinet. Via quæ eſt. Sic aliquoties noster. *Nam quantum ad latitudinem prætorii totius attinet, à centum sexaginta ad ducentos viginti potest obſervari*. Item. *Nunc quod attinet ad ſolitudinem inſtituendæ metationis*. Retentura pars caſtrorum tertia & poſtrema à via quintana ad tergum caſtrorum. Hujus deſcriptionem orditur à via quintana, ut ſupra, prætenturæ à via principali. *Nunc prætenturæ rationem exponam. Via principalis, &c.*

*Via quæ eſt super prætoria.*) Scribe: Via quæ eſt ſuper prætorium. Ita enim malim, quam ſupra prætoriam, ſcilicet, viam; quia via prætoria per longitudinem, hæc per latitudinem currit.

*Cum major eſt exercitus hoc eſt quinque legiones & ſupra porta mea quartæ dari ſolent.*) Locus miſerè adfeſtus. An fuerit. Cum major eſt exercitus, hoc eſt, quinque lègiones & ſupra, pedatura cohorti primæ dari ſolet. Ex ſcriptura enim P E D A T U R A C O H O R T I. I. portentum hoc PORTA M E A Q U A R T Æ fortaffe naſci potuit. Hanc men-tem Hygini cenſeo, cum enim cohortes primæ intra viam ſagularem ten- dant omnes, duæ in prætenturâ, duæ lateribus prætorii, ſequitur ut duæ vel una reliqua cum ſex vel quinque legiones acceptæ fuerint, in retenturâ collocentur per rigorem viæ quintanæ.

*Si portæ ibi datae fuerint L. ped. accipiet.) In justis & vulgatis veterum castris, tam novâ, quam antiquâ militiâ, quatuor tantum portas fuisse notum est. Hyginus. Quibusdam coloniis postea constitutis, sicut in Africa ad Medera decumanus & cardo à civitate oritur & per quatuor portas in morem castrorum, viæ amplissimis limitibus diriguntur. Liquet tamen ex hoc loco, majori exercitu & longioribus castris dari interdum sex portas præter principales duas, prætoriam & decumanam, duas quintanas. Adstipulatur huic Festus Pompejus. Quintana appellabatur porta in castris post prætorium, ubi rerum utensilium forum fuit. Ad quæ Lipsius. Portæ profectò vox delenda, (palam enim falsa) aut in partem commutanda, unde enim in porforum? Sed parum Festi mentem (quod parcè tanti viri dixerim) adsequutus est. Neque enim his verbis innuere voluit forum in portâ aut portam in foro: sed forum inter duas portas medium esse, tamque has dici quintanas, quam illud. Sic idem de portâ principali. Principalis castrorum porta nominatur, quod in eo loco est, quo principes ordines tendunt. At non eo in loco, quo principes metantur, propriè portæ principales, sed dextra sinistraque ejus: quemadmodum & portæ quintanæ dextra & sinistra viæ quintanæ. Eadem igitur utrobique Festi mens est. Africanus & Leo quatuor magnas & ðημοσίας portas in castris fieri jubent, sed minores complures ἀρχέσια quæ vocant.*

*Et cognominatur etiam quintanam causam copiarum.) Quintana causa copiarum. Διὰ τὸ ἀρχέσια τὴν πύρτα (sic rectè emendavit Casaubonus, cum antea legeretur πέντε) λάγυατζε πυρήνειν: sed prisca illa & polybiana compositione castrorum: Hyginiana enim non semper eædem cohortes, sed prout plus aut minus legionum erat, aliæ atque aliæ ad viam quintanam tendebant. In castris trium legionum, quæ exempli causa subjecit, quintana non dividit quinctos ordines à sextis aut quartis, sed sextos à septimis: ad vetera igitur castra respexit, non ad sua, cum ait: Quintanam causā copiarum cognominari, & est ipsum nomen novis hic castris antiquius.*

*Quæstorium dicitur quod aliquando quæstores ibi pedaturam acceperint.) Ostendit quæstores sub Imperatoribus non ivisse ad bella, aut utique veterem illum & suum locum in castris non obtinuisse.*

*Quod est supra prætorium in rigore portæ.) Quæstorium jam olim in consulari exercitu in rigore portæ decumanæ fuisse, ad Polybium diximus. Addimus: in retenturâ inter quintanam & portam decumanam. Expositâ enim quintanæ ratione, à quâ incipit retentura, de quæstorio demum agit, & postea disertè ostendit copiam, quæ lateribus quæstoriis collo-*

collocatur, in retentura collocari. Si cohortes equitatæ in exercitu nullæ omnino fuerint, ponemus alas quingenarias lateribus quæstorii, ut retentura equitatum habeat. Præterea cum retenturæ pars dimidia accipiat pedaturam hemistrigiorum [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) viginti, leptendecim tamen hemistrigia tantum occupat miles, ut quæstorio pedatura sufficiens dari possit: jubet & ampliari vel minui quæstorum, si quo plus vel minus copiæ in retentura collocandum sit. Item latere prætorii & in retentura similiter, si quo vel minus fuerit, idem observabimus, ut prætorium & comitum pedaturam. Item quæstorum ampliemus vel minuamus servatis portionibus latitudinis.

*Quæ à cohortibus decimis ibi tendentibus decumana est appellata.*) In castris unius consulis ex Polybii præscripto, cohortes decimæ legionum & sociorum, nec non turnæ decimæ equitum tergum castrorum, quod est ad portam decumanam, contingebant & respiciebant. Hyginianâ ratione non omnes cohortes decimæ, sed duarum legionum confidebant proximè portam decumanam. Sed notio nominis antiqua ab prisco instituto est. Dicebatur hæc alio vocabulo quæstoria & erat averfa ab hoste: per hanc delinquentes milites ad supplicium ducebantur, ut ab aliis jam notatum & proinde notum est.

*Quæstorum minor esse debet latitudinem.*) Scribe: minori esse debet latitudine. Non addit quanto minori. Nos in castris Hyginianis dedimus pedes centum quinquaginta, quum enim sex hemistrigia relinquat in retenturâ, prætorio & viis, ita commodè pedatura ordinari & centuriæ statorum secundum prætorium tendere videbantur posse: non tamen pugno, si cui aliter placet, in his quibus non prævivit Hyginus.

*Ut striga est ad posticum prætorii proximi sint.*) An? ut strigæ ad posticum prætorii proximæ sint: idèò enim angustius fieri jubet prætorium, ut centuriæ statorum posticam prætorii portam commodius tueri queant.

*In quo maximè legati hostium obfides.*) Benè hic legatos hostium & obfides locat proximè portam decumanam aversam ab hoste & inter medias centurias statorum, quibus cura tuendi eos. An & hic carcer castrorum, cujus apud veteres mentio? non absurdum sit milites delinquentes hac quaque parte castrorum servatos, non procul à porta, quâ educi ad suppli- cium scribit Vegetius.

*Et si qua præda facta fuerit in quæstione ponitur.*) Lipsius. In quæstorio. Verum quoad sensum nî illa re petitio offenderet: & potest fortasse servari vulgatum, ut præda in quæstione dicatur, quæ iri publicum & ad quæstores reducta servabatur. Quo sensu apud Plautum legitur. In quæstorio præter hæc, frumentum, cæterumque commeatum & pecuniam

arbitror custoditam. Hæc enim omnia ad quæstores anteà pertinuerant & pedatura his omnibus sufficit.

*Centuriae statorum.)* Tradit Polybius, manipulum militum quotidie excubasse ad prætorium, ut & tutum ab insidiis præstarent Imperatorem & summi imperii majestatem adamarent. Sed de his Hyginus accipiens non est, sed de statoribus, peculiari genere militum ad Cæsarum custodiā. Meminerunt eorum faxa prisca: ut apud Gruterum. M. A U R. CÆSARI &c. PETRONIUS MAMERTINUS ET CAVIUS MAXIMUS PR. PR. TRIBUNI CO-HORTIUM PRÆTORIARUM DECEM ET ET URBANARUM TRIUM CENTURIONES CO-HORTIUM PRÆTORIARUM ET URBANA-RUM ET STATORVM EVOCATI. COHORTES PRÆTORIÆ DECEM ET VRBANA X. XII. XIII. CENTVRIÆ STATORVM OPTIMO AC PIISSI-MO. In quibusdam & mentio statorum prætorianorum: & hi in castris laxiori tensione prætorianis æquantur. Stationem imperatoriam & regiam appellat Spartianus, ὁ Δραμέων σπαλώντος Græcis dicitur, qui Latinis stator: munus ejus tueri prætorium & quæstoriū, neque abscedere à principis latere. Centuriarum tantum meminit Hyginus, in lapidibus & cohortes.

*Ut posticum prætori ueantur & proximi in prætores.)* Scribo: Ut pōsticum prætorii tueantur & proximi sint imperatori.

*Quod eisdem tensoris utantur quibus cohortes prætoriæ.)* Corrigo: Iisdem tentoriis vel tensuris. Ut supra monuimus. Salmasius. *Iisdem censuris:* quod vellem explicasset.

*Super quos cohors peditata quingenaria.)* Eadem quidem strigâ qua statores, sed parte proximâ portæ decumanæ, quam vocat superiorem, cohortem peditatam vel equitatem quingenariam ponit.

*Pro ut strigæ magnitudo fuerit.)* An? prout strigæ magnitudo feret. Sed potest servari: nihil muto.

*Et per reliquas strigas cohorti peditata vel equitate ad viam quintanam spectare debebunt.)* Cohortes peditatæ vel equitatæ: cætera sana. Sed quomodo hæ cohortes ad viam quintanam spectabunt, cum strigis à tergo castrorum ad quintanam currentibus tendentes vel ad quæstoriū vel ad latus castrorum necessariò spectent? nullæ enim copiæ respiciunt longitudinem hemistrigiorum quâ papiliones papilionibus connectuntur & cohærent, omnes latitudinem, ubi viæ interjiciuntur. Sed spectare ad viam

viam quintanam , non est respicere & conversos tendere ad viam hanc : quo sensu accepit doctissimus Polybii interpres , cum illud *βλέπει εἰς τὰς διόδους* convertit : *spexit ad vias intercurrentes* , sed tantum , eas tendere ea strigæ parte , quæ est proxima quintanæ . Quod non sine causa monet , cum in proximâ quæstoriorum strigâ centurias statorum posuerit cù in parte ; cohortes verò contrariâ : hic contra , cohortes ad quintanam ponit , nationes verò super eas : legionarias cohortes & tergum versus . Sic dicimus regiones spectare ad orientem vel septentrionem , non quod eo reverâ spectent , sed quod septentrionali vel orientali parte sitæ sint ; neque aliter supra Hyginus . *Quoniam ad viam prætoriam signa spectare debebunt* .

*Ut super sumactares . )* Vocabulum aliquod nationum latere videtur , sed inter nationes , in retentura tendentes . Palmyrenos , Getas , Dacos , Britones , Cantabros , nulla est huic scripturæ affinis : & vetant nos conjecturæ licentiosius indulgere duo alia Hygini loca , nihilo quidem plus-lucis adferentia , sed tamen ab hac lectione non multum recedentia . *Sumactarias & reliquas nationes quoties per strigas distribuimus . Rursus . Centuriae statorum & si quid aliud datum in exercitu fuerit summam clarificum ( in margine scribitur clairorum ) retenturam ponimus .* Alioquin non absurdum sit scribi . Et super has Palmyreni & reliquæ nationes . Palmyreni enim primi sunt inter nationes , quas hic recenset .

*Ita fiet ut omni parte nationes & superscriptas contineantur . )* Lege : Ita fiet , ut omni parte nationes supra scriptas contineantur , vel supra scriptæ contineantur . Illa parte retenturæ , quæ ad quintanam spectat , posuit cohortes equitatas & peditatas : illâ , quæ ad quæstoriorum centuriam statorum cum cohorte . Duabus reliquis partibus , videlicet , lateribus & tergo castrorum cohortes legionariæ tendunt ; ita fiet , ut nationes externæ , quarum fidei ita innitebantur , ut à perfidiâ bene tuti essent , ab omni parte circumdatæ , neque quicquam movere possint & facile in officio contineantur .

*Quæ angulariæ XXX pedes sufficiet )* Emenda : Viæ sagulariæ triginta pedes sufficient . Tantum enim dari latitudini sagularis infra differet ostendit . *Observeare itaque debemus , ut quoties tres legiones cum supplementis acceptæ fuerint , dimidia pars castrorum septingentos viginti pedes latitudinis habeat & lateribus castrorum cohortium tabulino nonaginta , signis ducentos quadraginta pedes adsignemus , ut deducto tabulino cohortium & latitudine viæ sagularis , reliqui sexcenti pedes supersint .* Deductis nonaginta & triginta pedibus , supererunt sexcenti : præterea hujus viæ latitudinem de qua tanquam jam definita loquitur , ( non enim exprimit numerum )  
nusquam

nusquam alibi descripsit, & ipsa nos libri maculata scriptura quodammodo ad verum dicit.

*Quinque legiones fuerint XL latitudinis accipere debebunt.)* Adjicendum vel utique intelligendum, nō si, quinque legiones fuerint quadriginta latitudinis accipere debebunt.

*Scholæ cohortis primæ.)* Schola cohortis primæ. Scholarum in scriptoribus & inscriptionibus medii ævi, nec non codicibus Imperatorum diversa genera esse, nemo jam ignorat paulò humanior: tales scholæ domesticorum, scutariorum, gentilium exceptorum, chartulariorum, protectorum, sagulariorum, fabrorum, vexillariorum, speculatorum, legionum & aliæ. Et scholas Palatinas, Ammiano absolutè scholas, & in iis militantes, scholares appellari, rectè observat vir doctissimus in notis ad hunc scriptorem. Putat idem scholam in castris esse contubernium, quia Vegetius scholis dat capita sua. Cum enim legio in cohortes, cohors in centurias; centuria in contubernia dividatur & in hac divisione soli contuberniorum præpositi capita appellantur, capita scholarum quos appellat Vegetius, eosdem quos alibi capita contuberniorum & proinde scholam & contubernium idem esse. Quæ conjectura etiamsi absurdâ non sit; non tamen liquido probat nullos præter contubernii principes capita rectè appellari. Hyginus verò non sinit nos eam recipere, quando scholam cohortis primæ, non in pedaturâ cohortis primæ, ubi contubernia & papilioes eorum, sed in scamno legatorum contra aquilam dari jubet: & addit, qui locus sit, videlicet, *ubi munera legionum*, puta, opera, stationes, vigilæ, cætera justa militaria, indicuntur, danturque & accipiuntur imperia. Tradit Polybius equites & centuriones primâ luce ad tabernacula tribunorum; tribunos ad prætorium convenire accipiendis imperiis. Imperatorem enim tribunis, tribunos centurionibus edicere quicquid agendum sit. Idem scribit tesserarios inclinante jam die ad tentoria tribunorum venisse tesserarum causâ. Hic itaque locus ubi tribuni per legionem imperia dabant, schola cohortis primæ. Ponitur ab Hygino in scamno legatorum contra aquilam, hoc est, ante tentoria tribunorum. Plures autem in legione atque adeo singulis cohortibus scholas suas fuisse, & Hyginus hic innuit & Vegetius non obscurè testatur, libro II. Cap. XIX. Sed quoniam in legionibus plures sunt scholæ, quæ literatos milites querunt. & Cap. XXI. Quasi in orbem quendam per diversas cohortes & diversas scholas milites promoventur; ita ut à primâ cohorte ad gradum quempiam promotus, vadat ad decimam cohortem, & rursus ab eâ excrescentibus stipendiis cum majore gradu per alias recurrat ad primam: ideo pri-

*primi pili centurio, postquam in orbem omnes cohortes per diversas administraverit scholas. &c.* Cæterarum cohortium scholas similiter probabile loca fuisse, ubi singularum cohortium munera indicebantur: an & ubi instituebantur singuli in armis, ut vocabulum scholæ, ne sic quidem recesserit à significatu suo? Cum enim illi, qui instruebant militem, armorum doctores & magistri, cum ipsa scientia, disciplina, quidnâ ludus quoque in quo erudiebantur, schola sit appellata? De loco tamen scholarum reliquarum cohortium nihil Hyginus. Juxta papilioes primarum centuriarum, si quidem in æstivis fuerunt, Hygini ævo fuisse non dubito: an ad latus illud quod tabulini nomine appellatur, an ad intervallum, non dixerim. Possis suspicari esse has ipsas tabulinum, à quo pars altera pedaturæ nomen habet: sed vetat Hyginus, cum in scamno legatorum contra aquilam, scholam cohortis primæ locat, hoc est, non tantum non in pedatura cohortis primæ, sed & contra eam partem, quæ signorum vocabulo denotatur. In stativis & hibernis, scholas cum cura & impensa extructas, refectas & ornatæ, inscriptiones antiquæ testantur, quæ & dant eis curatores suos.

*Ubi munera legionum dicuntur.) Non temerè mutârim.* Valet enim sæpe idem quod edico, interdum & quod indico. Varro. *Dico originem habet Græcam, quod Græcè δικάω.* paulo post. *Hinc in manipulis castris cibis dicta à ducibus; hinc dictata in ludo, hinc dictator magister populi.* Suetonius. *Cæsarem à senatoribus & equitibus petiisse, ut ipsi disciplinam tyronum suscipierent & exercebantur.* dictata darent. Indictionem munerum inter poenas recenset Jurisconsultus, sed plurim & graviorum: alioquin non poena erat, sed officium.

*In scamnum legatorum.) Scribe: in scamno vel intra scānum legatorum.*

*Castra in quantum fieri potuerit tertiatæ esse debebunt.)* De forma castrorum non satis convenit Græcis & Romanis. Spartanî disciplinæ militaris inter Græcos facile principes, locorum quidem naturæ multum dabant; sed ea non interpellante, rotunda castra cæteris præferebant, eamque formam, quæ suapte naturâ omnium perfectissima habetur, in castrorum quoque compositione amplectebantur: nec illis suæ defuerunt rationes: nam coxae angulique quos efficiunt formæ quadratae, infirmant opus & hostibus quam militi oportunius faciunt. Eamque ob causam in urbium munitione, quarum eadem ratio est, rotundæ habebantur potiores. Orbis quoque non ad impugnandos impetendosque alios: sed ad resistendum rebus extremis una ex bonis aciei formis existimabatur,

L

quod

quod neque usquam tergum latusque apertum præberet hosti & ab omni parte una fronte defenderetur. At Romani veteres quadrata tantum & quadra oblonga probaverunt : illa cum duabus ; hæc cum quatuor legionibus res gereretur. Neque ab hac ratione defecerunt posteriores , quamvis varium ad modum acciperent numerum legionum. Causa , quod nulla expeditiora & faciliora ; nulla ad interiore metationem aptiora. Nam angulos castrorum turribus & propugnaculis facile tutabantur , neque ab illo vitio munitionis unquam summa res in periculo fuisse legitur. Africanus castra rotunda ideo postponit quadratis , quod illa coronâ circumdata ab omni parte , velut unâ acie pariter oppugnari queant : hæc non nisi diductis & distractis in quatuor partes copiis , quo vis oppugnationis infringitur. Τὸ δὲ ἔντελον τῶν πόλεμών καταπολεμεῖσθαι αὐτὸς μάλλον εἶναι δεῖ τετράγωνον ὥστε γὰρ δύτιον οὐδὲ μίαν τολμεῖσθαι ἐπιχωστην αὐτὸν οἱ πόλεμοι ηὔσησκον ἀφιρέσθαιτοι εἰς τὰς δύο δὲ φοράτια τολμεῖσθαι οὐ εἰς τὰς τέσσαρες διθενεστέσχειν αὐτῶν τὸ δημιουρὸν γενέσθαι. εἴ δέ τύχοι τοῦδε αὐτὸν ὡς εἴρηται οὐ εἰς πολέμον οὐ εἰς ἄλλον ἀσφαλῆ τόπον χεῖται εἶναι αὐτὸν τετράγωνον μετὸν ἀλλ' ἐπερόμηκες ὡς πέδη τὸ πολέμον ὅπῃ μηνῷ τοῦδε γενέσθαι. &c. Ubi oblonga caltra fieri jubet , sed super amnem vel tuto loco. At Hyginus hæc in universum optima censet , cum ait : *In quantum fieri potuerit tertiana esse debere.* Tertiata appellat castra tertia parte longiora , quam latiora. Quod vocabulum , quia hoc sensu novum , opinor , repetit mox & exemplo explanat : *dixi tertiana , ut puto in longum duo millia quadringenti , in latum mille sexcenti pedes.* Probat & hanc formam Leo Imperator , constitutione IX. Οἰδαμὲν ὃν ἀγρόφόρος θέσις οὐχ ἔχειται φοράτων οἱ δέχαστοι τοῦδε δεδώσθαι εν τῇ σεριποδίᾳ , ἐπανετὴν δὲ οὐ τοῦδε μήκος πετράγωνος ὡς εὐτάκτῳ οὐδὲ αὐαγναῖα. Laudat ut bene ordinatam & necessariam : bene ordinatam , quia hac ratione castra commode dividuntur in longum in tres partes , tanquam in tres acies considentes : in latum in duas tanquam in dextrum & sinistrum cornu : præterea strigaram & viarum directiones , cæteraque pulchro & apto ordine disponuntur : ut necessaria autem videtur hæc castra commendare ; quod necessariò intus copiæ quadratas pedaturas accipient , (nisi multum soli perire velis,) unde exit tota castrorum forma quadrata vel quadra oblonga. Vegetius Græcos hac in parte aut ad Græcorum mores deflecentes Romanos securus , formam castrorum in parvo discrimine ponit. Sed quadra oblonga cæteris pulchriora esse fatetur. Vegetius. *Vel quadrata vel rotunda vel oblonga castra constitues :*

*nec utilitati præjudicat forma: tamen pulchriora creduntur, quibus ultra latitudinis spaciū tertia pars longitudinis accedit.*

*Ut flatus aura eis ex exercitus leviat.) Finge: ut flatus auræ æstu ex exercitum leniat: edenim nos verba ducunt: & certum est, inter causas quare viarum spacia & strigaram ordines ad normam directi cæteraque aptè collocata hanc quaque esse, ut liberior aura castra perflare, æstum lenire & corruptelas aëris purgare possit, sed inter causas quæ hujus solius formæ propriæ non sint, nisi fortè idèò, quod hæc maximè omnium ordinata & composita. Putabam. Ut si lata duas tres partes sint longa. Sed cum hæc à librario non videantur supposita & pauca illa quæ sequuntur de universa castrorum formâ tam abrupta sint & unam tantum aliquam ex causis leviter tangent, quod est in membranis servare, fuerit consultius.*

*Hoc dixi tertia.) Finge: hoc dixi tertiata.*

*Ut puta longum ped. II CCCC. latum p. D C.) Lege in longum pedum duorum millium quadringentorum, in latum mille sexcentorum, vel si mavis, longa pedes duo millia quadringentos, lata mille sexcentos. Inferius dimidiæ parti castrorum, quoties tres legiones cum supplimentis acceptæ fuerint, adsignat septingentos viginti pedes, & proinde toti castrorum latitudini, mille quadringentos quadraginta. Sed ibi neque spaciū pedum sexaginta, quod est ad vallum utrumque neque viam prætoriam: sed duntaxat eam quam copiæ occupant pedaturam cum viâ sagulari computat. Cui si adjeceris centum octoginta, habebis mille sexcentos viginti: longitudinem vero duorum millium quadringentorum, istis copiis, quæ illic collocantur, vix expreas; nisi vias intercurrentes aut aliud quid interjeceris, ut formâ ostenditur: ac nescio, an necesse sit, cum hanc castrorum magnitudinem proponat, tantum in universum neque exactè, sed in quantum fieri potuerit jubeat observari. Ac hæc quidem castra, quamvis altera parte longiora, à polybianis quo ad circuitum non multum abeunt: illa enim duorum millium pedum circiter ab omni parte: quem numerum hæc altera parte quadringentis pedibus superant: altera superantur.*

*Si longiora fuerit, classica dicentur.) Vigiliarum initia, cæteraque quæ vulgo buccinâ initiabantur classico, ut magis sonoro nuntiari jubet in longioribus hisce castris: de his signis eorumque differentiâ, multa rectè Lipsius dixit, in libris de militia: quibus nos loco suo quædam observata adjicimus.*

*Ad portam decumanam.) Buccinum vel classicum dicebatur apud*

Imperatorem propè principia, à quo loco in castris tertiatis nulla pars longius abest, quam porta decumana & latus illud. In longioribus præterea castris huic parti plusquam cæteris videtur adjici, cum portæ quintanæ non sine caufa ibi constituantur & retentura, utpote brevior cæteris merito crescat: quare timet, ut buccinum in tumultu ad portam decumam exaudiri possit.

*Si latior fuerint proximæ quadraturæ sequens est dictatio.) An? si latiora fuerint proxima quadraturæ frequens est dictatio: ut dicat quadrata castra in frequenti usu esse. An sequebatur aliquid de hac compositione: non enim corrupta tantum hæc & alia hujus libelli, sed etiam abrupta, & excerptis abbreviatorum, quam legitimo scripto similiora videntur.*

*Et soli lectionem statuendam & actionem.) Finge: Soli electionem in statuenda metatione. Quo & infra ducere arbitror illa. Quod attinet ad sollicitudinem in statuendi metationis.*

*Et item iniquitates loco vitandi.) Fortassis. Artem iniquitates locorum vitandi, nisi malis hic quoque: sollicitudinem statuendæ metationis, & item iniquitates locorum vitandi.*

*Interim ostendam inceptionem metationis & numero composita formæ recognoscamus.) Scribo: Interim hic ostendam inceptam rationem metationis & numeros compositæ formæ recognoscemus. Tò inceptionem retinere non sumus ausi; quamvis nos non fugiat idem infra vocabulum in libro repeti. Præcipitia in omni inceptionem metationibus.*

*Cohortes prætoriæ ad equites prætoriani.) Finge: ad hoc equites.*

*Alæ milliaræ vel quingenariæ si pedaturam permiserint.) Alarum quasdam in prætenturâ, alias lateribus prætorii collocat. In compositione trium legionum cum supplimentis quatuor milliaris, in prætentura quingenarias quinque lateribus prætorii, ut ibi ostendimus.*

*Vexillari & cohortes secundæ.) Scribe: Vexillarii, cohortes secundæ.*

*Vel quinquaginta peditatæ quingenariæ.) Dele meo periculo tò quinquaginta, quod ex ultima litera § V E L prognatum est. Quanquam & in aliis scriptoribus occurrit hoc mendum, ut cohortes quingenariæ, quinquagintariæ appellantur. Sic in Vegetii scriptis quibusdam, libro II. c. 6. scribitur: cohors quinquagentaria, pro quingenaria. Idem mendum est apud Curtium libro V. Novem qui fortissimi judicati essent singulis militum millibus præfuturi erant, C. Chiliarachs vocabant tum primum in hunc numerum distributis copiis, namque ante quingenariæ cohortes erant. In libris est, quinquagenariæ. Ælius Spartanus Adriano. Multis ingentia dedit munera, sed nulli majora quam Hisso, cui & elephantem & quinquagenariæ*

*nariam* (scribe quingenariam) cohortem post magnifica dona dedit. Sic in notitiâ imperii sub dispositione viri spectabilis Ducis Mesopotamiæ recensetur, *cohors quinquagenaria*, pro quingenariâ, *Arabum Bethalladæ*.

• Super cohortes primæ prætendunt. ) Distingue & scribe : super cohortes primas.

*Mauri equites.*) Notum genus equitum apud Romanos levis armaturæ, quod jam tempore Julii Cæsar is & ante in exercitu Romano, nec minus sub sequentibus Imperatoribus : sub Trajano Maurorum præfetus Lusius Quietus ad consulatum evectus legitur. Tribuni Maurorum (sic præfeci appellabantur) Trebellius meminit. Item in notitia imperii non semel equitum Maurorum mentio fit.

*Pannoni verari.*) Pannonii tum equites, tum pedites meruerunt sub Imperatoribus in exercitu Romano. Tacitus. *Adjuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium & quingenti Pannonii nondum sub signis.* Idem Annal. X V. *Alares quoque Pannonios, robur equitatus in parte campi locat :* hic tamen rectè tegunt viri docti Pannonii veredarii ; quod hi Pannonii levis armaturæ veredarii essent : de veredis & cursu publico, alii ad codicem Justiniiani dixerunt.

*Quod ad vias muniendas primi exequunt & quo sint tutiores à Mauris equitibus & Pannones beridaris operantes proteguntur.*) Scr. & Pannoniis veredariis. Josephus in agmine Flaviano primum locum attribuit auxiliis, sagittariis & id genus levis armaturæ militibus : Sequitur pars equitatus & peditatus Romani ; deinde è singulis centuriis metandis castris : post quos ὁδοιποίοι muniendis viis. Καὶ μετ' αὐτὸς ὁδοιποίοι Τάπεινοιλιαὶ Σλημφόροις καπέειν ἢ χθυμαλέν τὰ δύσεατα ἢ τῷ ἐμποδίῳ σῆλας περανέπτειν ὡς μὴ ταλαιπωρῶν δυσπεργήν τὸ σεργίτενμα. Vegetius. *Primi equites iter arripiant, deinde pedites.*

*Quia cohortibus primis proximi tendere debent.*) Tò quia, redundare videtur.

*Item exploratores in striga cohortis. Primæ prætendunt cohortes equitatæ.*) Scibo : item exploratores in striga cohortis primæ. Retendunt cohortes equitatæ. Mutavimus distinctionem quia nullum aliud verbum sequitur, quod cohortibus jungatur. Scripsimus retendunt, quia cohortes hæ in retenturâ ponuntur. Hyginus. *Quod si alæ in retenturâ positæ fuerint, & pedites in prætenturâ, siue cohortes equitatæ nulla necessitate cogente, sine dubio metatoris imperiæ signum est.* Et hinc jam incipit retenturam computare. Nunc, inquit, quoties numeros acceperimus, ut retenturam computemus.

*Cohortes equitatæ milliariae vel quingenariæ.*) Quænam sint hæ equitum cohors-

cohortes, quas Hyginus equitatas appellat, inter tot viros doctissimos, qui hoc & priori seculo antiquitatem illustrarunt & non uno nomine bene de re Romanâ meriti sunt, nemo adhuc quod sciam recte intellexit, nemoluitique nos docuit. Ac nomen quidem quod attinet, cohortes quas equestris vel equitum vel equitatus ( si quidem cohors ad equites transferenda ) appellare oportebat, ( ut dicimus copias equitum & equitatus ) cohortes equitatas appellari, insolens certè, neque ullius boni auctoris autoritate confirmatum esse fateor. Hic tamen liber in tantis & tam variis lubricæ scripturæ mendis, in isto constans ac planè dissimilis sui est: nusquam meminit cohortium harum, ubi non equitatas vocet: à cuius tamen autoritate recedere, religio mihi non feret, nisi veteribus aliquot inscriptionibus confirmaretur. Apud Gruterum in lapide prisco. L. F. L. T. F. Q. V. I. R. S. E. C. U. L. A. R. I. P. R. A. E. F. E. C. T. O. C. O. H. O. R. T. I. S. P. R. I. M. A. E. E. Q. U. I. T. A. T. E. C. I. V. R. O. M. I. N. G. E. R. M. I. N. F. E. R. I. O. R. E. item alio. PLICINIO PF. GAL. MAXIMO P. R. A. E. F. E. C. T. O. C. O. H. O. R. T. I. S. II. GALLORUM EQUITATE IN DACIA TRIBVN. MIL. LEG. VII. similiter. P. L. I. C. I. N. I. O. P. F. G. A. L. L. I. C. I. N. I. A. N. O. P. R. A. E. F. E. C. T. O. C. O. H. O. R. T. I. S. VII. P. R. A. E. F. E. C. T. O. R. U. M. E. Q. U. I. T. A. T. E. I. N. G. E. R. M. A. N. I. A. Est & in aliis lapidibus. C. O. H. O. R. S. E. Q. U. I. T. vel. E. Q. unde non elicias equitatæ, an equitatus nominentur. Sed ex illis satis liquet, hanc appellationem, si à politioribus Latinitatis auctoribus etiam medio ævo repudiata, at in castris usu communis receptam fuisse, unde noster in castorum suæ ætatis metatione versans, assumere non dubitaverit. Plinius quidem & Trajanus non equitatas, sed equestris appellant, sive ita etiam vulgo nominatae, sive insolentiam vulgaris appellationis divitantes, quod erant, Latinè appellare maluerunt. Epistola C VIII. libri X. Rogatus Domine à Publio Accio Aquila centurione cohortis sextæ equestris, ut mittem rem tibi libellum. Eodem planè vocabulo Trajanus Imperator epistolâ sequenti Plinio responder: ubi quibusdam suspecta est cohors equestris; alii cohortem equestrem, cuius & Imperator & Plinius meminerunt, movere quidem non audent, nihil tamen nos certiores faciunt, neque docent, quodnam illud genus cohortium aut unde nomen traxerint. Lipsius cum in Ammiano cohortem palam ad equites transferri videret, soli confusioni illius fecuti tribuit: Adeo, inquit, non res solum, sed & verba in militia jam confusa. Quod quidem in multis verum esse non imus infitias; pleraque tamen has confusiones à mutatis militiaribus institutis,

tutis, originem suam traxisse certum est, ut & accidit in hac cohortis usurpatione. Cohortes enim quas equestris vel equitatas vocant: non erant turmæ equitum, non alæ; sed cohortes, quæ partim ex pedite, partim equite constabant. Cohortes, inquam, peditum, quæ habebant proprios & insitos, ut cum Vegetio loquar, *equites suos*. Liquet hoc non tantum ex citato Plinii loco, quo cohortem equestrem appellat & tamen Accium Aquilam centurionem ejus, hoc est, peditum ductorem; sed etiam ex epistola libri ejusdem XXII. qua scribit: Trajanum jussisse, ut Gabius Bassus contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno ex cohortibus, quibus ipse Plinius præerat, innuens iisdem in cohortibus & equites & centuriones & beneficiarios fuisse. Confirmat idem vetus inscriptio vel edictum Domitiani Cæsaris, quod extat Salona in tabula æneâ: qua Imperator emeritos cohortium duarum equestrium, qui peregrinæ conditionis erant civitate donat. **PEDITIBUS ET EQUITIBUS QUI MILITANT IN COHORTE IV. ALPINORUM ET IN VIII. VOLUNTARIORUM CIVIUM ROMANORUM QUI PEREGRINÆ CONDITIONIS PROBATI ERUNT ET SUNT IN DALMATIA SUB Q. POMPONIO RUFO QUI QUINA ET VICENA STIPENDIA AUT PLURA MERUERUNT.** item. **DIMISSIS HONESTA MISSIONE EMERITIS STIPENDIIS POSTERISQUE EORUM &c.** Vides & pedites & equites in Alpinorum & Voluntariorum cohortibus. Tradit & Flavius Josephus in exercitu Flaviano, decem *στρατεῖς* fuisse, quæ pedites mille, decem alias, quæ pedites sexcentenos, equites centum viginti haberent. Atque hæ sunt cohortes quas equitatas quingenarias appellat Hyginus, illæ quas peditatas milliarias, in quibus non tantum externas, sed cives etiam Romanos militasse, inscriptiones quas adduximus, evincunt. Jam enim illa ætate extra legiones etiam cives Romani merebant & legionaria militia fastidiri incipiebat, unde legiones magis magisque exinanitæ, tandem eò reciderint, ut nihil earum apud Romanos præter nomen superfuerit. *Mangus est*, inquit Vegetius, *in illis labor militandi, graviora arma, plura munera, severior disciplina, quod vitantes plerique in auxiliis festinant militæ sacramenta percipere, ubi & minor sudor & maturiora sunt præmia*. Hujus generis fuerunt cohortes Batavorum & Canninefatum, qui relicto spretoque Hordeonio Flacco cum Claudio Civili se conjunxerunt. Tacitus in IV. Historiarum. *Iisdem diebus Batavorum & Canninefatum cohortes, cum jussu*

jussu Vitellii in urbem pergerent, missus à Civile nuntius, assequitur. Intus-  
muere statim superbiam ferociaque, & pretium itineris donativum, duplex  
stipendium, augeri equitum numerum, promissa sancto Vitellio, postulabant,  
non ut assequerentur, sed causam seditioni. Cum augeri equitum numerum  
postulent: appareat jam fuisse illis equites: plures ad equum describi &  
ad honoratiorem militiam voluisse traduci. Ex harum cohortium insti-  
tuto ortum duxit, quod etiam in legione singulis cohortibus equites sui  
attribuerentur, ut apud Vegetum cohorti primæ, quæ habet pedites mil-  
le centum quinque, equites loricati centum triginta duo: cæteris co-  
hortibus, quæ habent pedites quingentos undecim, equites sexaginta  
sex: nam etsi ab antiquo, idem in legione numerus turmarum & cohori-  
tum esset; turmæ tamen illæ per cohortes non distribuebantur, sed  
erant totius legionis equitatus.

*Omnis miles provincialis accipit pedaturam pedem adjectâ quintâ per totam latitudinem emistriciæ.)* Id est, pedem adjecta quinta in longitudinem, triginta pedes in latitudine strigæ, sive ut cum Hygino loquar, pedem ad-  
jectâ quintâ per triginta, quæ est tota hemistrigii latitudo. In longitu-  
dine igitur hemistrigii, inquit, *omnis miles provincialis accipit pedem ad-  
jectâ quinta.* Itane verò Hygine? omnis miles provincialis? At supra  
legionariis illis provincialis militiae fidelissimis pedem & semissim dedi-  
sti, octoginta hominibus pedes centum viginti? An librariorum culpa  
est, quod legionarii militiae provinciali ad censetur, cum scriperat? *Legio-  
nes quoniam sunt militia provinciali fideliores?* Non puto: legionarios enim  
rectè provinciali militi adnumerari, ibi dixi. Verius videtur Hyginum,  
quo facilius omni copiæ pedaturam adsignet, omnes centurias, tam le-  
gionarias, quam auxiliares ad eundem numerum centum hominum com-  
putare; quamvis legionariæ re ipsa non nisi octoginta haberent; hac ra-  
tione omni militi provinciali pedem adjectâ quintâ adsignare. Vtitur  
enim Hyginus ad faciliorem adsignationem pedaturæ ejusmodi fictioni-  
bus, ut supra diximus.

*Æq. si autem.)* Scribe: Eques autem. Solent Latini opponere militem  
equiti. Cæsar. *Tripartito milites equitesque in expeditionem misit.* Fronti-  
nus. *Equitatu post terga militum collocato.* Pedes enim in quo præcipuum  
robur, disciplina Romanorum prisca, *καὶ ἔξοχὴν*, miles appellabatur: at  
posterioribus seculis sub Constantino & illis Imperatoribus, quum omnis  
vis exercitus in equitatu, eques vulgo miles dicebatur, (ut & Græcis *σπα-  
λιώτης*, quod nomen anteā quaque ut apud Romanos militis gravis arma-  
turæ) quæ appellatio ad hunc usque diem manet, milites enim & mili-  
taris

taris ordinis dicuntur, qui sunt equestris. Sed veteres aliter: iidem & exercitum simili ratione opponunt equiti, quasi nec pars exercitus esset. Vide utriusque rei exempla in notis Livianis, viri cui uni plus debet princeps Historicorum, quam cæteris bene de eo meritis omnibus, qui nunc intelligitur, apud posteros nominabitur. Similiter velites à peditibus distinguit: quasi peditum nomine non sint digni, qui justæ plenæque armaturæ non sunt. Frontinus. *Appii Claudi sententia senatus eos, qui à Pyrrho rege Epirotarum capti & postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam.* Valerius de re eadem. *Decreverunt, ut ex iis qui equo meruerant, peditum numero militarent, qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur.* Sic quoque Dionysius libro VIII. οὐ πατέων οὐ φίλων, distinctè meminit.

*Duæ semis adjecta quinta.) Corrige: Duos semis adjectâ quintâ. Hoc quoque in universum verum non est, nisi equites alarios, quibus singulis tres pedes dedit, ad majorem numerum computaveris. Quod velle Hyginum apparet, quando iis, propter equos super numerarios præfectos alæ & principales tantum adsignans, *alioquin, adjicit, binos pedes cum semiſſe acciperent.**

*Ut retenturam computemur.) Ut retenturam computemus.*

*Cohortes cum equitibus suis.) Vegetius. Legionarii equites cohortes suas contubernii affectione venerantur, cum naturaliter equites à peditibus soleant discrepare. Peditum igitur etiam tunc propriè cohortes, sed quia inserti innexique equites cohortibus, quæ equitatæ dicebantur, inde cohortis vocabulum, pro tota illa manu equitum peditumque cœpit usurpari.*

*Habet itaque cohors equitata milliaria equites CCXL.) In cohorte equitâtâ, ea observatur proportio, ut tribus peditibus unus eques adjungatur. Septingentos viginti pedites, ducentos quadraginta equites habet milliaria, dimidium utrorumque quingenaria propriè quidem ducenti quinquaginta equites forent, sed fortassis ut vitaretur impar in decuriis numerus, qui in æquas partes tribui non potest, (centuria enim ista ratione pedites LXXV, equites XXV haberet) decem homines equitum numero detractos, pediti adjecerunt. Confirmat hunc numerum Josephus, cum ait, in Flaviano exercitu tredecim cohortes fuisse, quibus singulis sexcenti pedites, centum viginti equites: ubi si dixisset sex centurias pro sexcentenis peditibus, (& voluit, opinor, aut debuit ita dicere; facilis enim in eo scriptorum lapsus, ut pro centuria quamvis minori centum homines computent) per omnia cum Hygino faceret: præter numerum enim centuriarum, omnia quæ in cohorte milliaria, pro parte*

dimidia in quingenaria ponit. Meminit & hujus numeri equitum iterum, sed obscurius in descriptione agminis exercitus Vespasiani Lib. III. Cap. 8. εἰπετο δὲ ἀντῷ τῷ ιδίῳ τὸ τάγματος οπωικέν ιδίου γαρ ἐκάσου τάγματος εἴναι τοῖς τοῖς ἑπατον οπωεῖς. Ubi mirè hallucinatur interpres. Sic enim vertit. *Equitum præterea suorum agmine comitatus, de singulis enim turmis proprios centum & viginti equites deputatos habebat.* Quasi τὸ τάγμα primum agmen, mox turmam equitum significet, & turmæ apud Romanos plus quam centum viginti homines habeant. Quæ absurdæ & inaudita sunt. At Savilius Latinè sic reddidit. *Secuti ipsum equites legioni adscripti: singulis enim legionibus adjuncti erant equites centum viginti.* Addit, errare Josephum qui singulis legionibus attribuat equites centum viginti. Rursus in agmine Titi hunc equitatum ponit statim post ipsum. Καὶ μετὰ τοῖς τεττανον ὁ πλήρης αὐτὸς τοῖς τε ἄλλοις ἐπιλέγοντις ἢ τοῖς λογικοφοις ἔχων κατόπιν αὐτῷ τὴν τάγματος οπωικήν. Videtur autem equites τάγματος distinguere ab equitibus ατέρης & ἡλης. Sic enim equitatum cohortium & alarum vocat. In VII. ἡ τῶν δυού ατέρης, η οπωέων πεδάνος. Quod malè reddidit interpres. *Quidam ex ala equitum pedanius:* vertendum erat: Ex cohorte equestri. Eodem. Πάρδης τοῖς ὅνομα τῇ ἡλης οπωέων. Pudens quidem eques alarius. An igitur legionarios equites intelligit? Sanè Josephus & reliqui ejus ætatis Græci scriptores legionem plerumque τάγμα appellant; sed plerumque, non semper: confundunt enim vocabula militaria & pauca admodum uni rei tam propria dicant, ut non interdum transferant ad aliam. Ipse Josephus in eadem descriptione agminis Vespasiani vocem hanc latius sumit. Alibi etiam pro agmine. Polybio spira & tagma & signum ejusdem significatio[n]is sunt, Libro. 6. ἡ τὸ μὲν μέρος ἐκεῖνον ἐπαλέοντα ἡ τάγμα η ατέρης ἢ σημαῖαν: manipulum significare dubium non est. Cohortem enim ex tribus spiris compositam σύνταγμα peditum appellat, Libro XI. ἡ τεῖς ατέρης (τῇ δὲ καλεῖται τὸ σύνταγμα τὸ πέσων παρεψη Ρωμαῖοις κορόπης) & libro X. τὸ χλίων σύνταγμα. Mutata autem apud Romanos ratione militiæ, cum non manipulatim, sed per cohortes in acie & castris. collocarentur, transit spiræ vocabulum à manipulo ad cohortem. Ac ita tum plerumque usurpant Græci. Minus mirum, τάγμα, quod ordinem significat, de cohorte quoque accipi. Præterea Josephus nusquam alibi tribuit legioni equites centum viginti, aut ex hoc multiplicatum numerum, puta ducentos quadraginta, trecentos sexaginta, sed alas ferè, aut quoties numerum eorum init, quingentos, sexcentos, mille, bis mille. At cohortibus quingenariis aut sexcenariis disertè dedit hunc numerum.

Quare

Quare non dubitem, *mīyūa* hic cohortem equitatem interpretari: sed quia cohortis hic equitatus proxime Imperatorem in utroque Vespasiani & Titi agmine pónitur, cohortem potius prætoriam ( nam & has equitas fuisse supra ostendimus ) quam auxiliarem. Equitatus verò cohortium quingeniarum , quamvis vulgò centum viginti equites, aliquando tamen major aut minor numerus fuit. Nam apud Tacitum lego , cohortes Batavorum & Canninefatum seditiosè postulasse, ut numerus equitum adaugeretur. In Actis Apostolorum , tribunus duobus centurionibus mandat, ut parent ducentos milites & septuaginta equites , qui Paulum Apostolum ducant Cæsaream : ubi & peditum centuriæ & equitum decuriæ Hyginianis majores, sed proportione eadem , quia tribus peditibus eques unus respondet. Tradit & Josephus Capitonem centurionem à Flo-ro præmissum cum equitibus quinquaginta : quibus in locis observes centuriones cohortis equitatæ decurionibus ( non enim credibile tantum equitum sine decurione ) in imperio prælatos & digniores habitos.

*Quod redigo ad peditem ut pedem quod accipit miles , redigo ad duos semis .*) Duos equites redigit ad quinque pedites , quatuor ad decem , quadraginta ad centum .

*Fit dimidia sumta ductu quinques sic tractabimus .*) Scribe : Fit dimidiâ sumtâ ductum quinques : sic tractabimus &c.

*Accidit ex eo cohortem miliariam detritis æquitibus reliquid pedes D C C L X .*) Depravatissima lectio : quam sic restituendam putamus. Accedunt ex eadem cohorte millaria detractis equitibus , reliqui pedites septingenti sexaginta. Sensus est , adjiciendis ducentis quadraginta equitibus ad sexcentenos pedites redactis , peditatum ejusdem cohortis equitatæ , qui detractis paulò ante equitibus , reliquos videlicet homines septingentos sexaginta , ut sciamus numerum ad quem cohors equitata debeat computari. Hunc autem verum peditum cohortis equitatæ miliariae numerum esse , sequentia indicant , ubi dicuntur , ad quot homines computari , quotque papilionibus tendere debeat : ad hoc ille ipse numerus equitum , qui huic adjectus milliarium efficit , à quo cohors millaria dicta.

*Fit cum superiore mille C C C L X .*) Sexcenti & septingenti sexaginta faciunt mille trecentos sexaginta , ad quem numerum cohorti equitatæ miliariae pedatura dari debet.

*Ad ∞ C C C L X dari debeat .*) Scribe : dari debere.

*Cohors æquitata ad in dimidio eandem rationem continet quod cohors .*) Fortassis : Cohors equitata quingenaria in dimidio eandem rationem continet , quam cohors millaria. Ex vocibus , *equitata ad* , fecimus equitatem

quingenariam, ut supra ex ala ad, alam quingenariam. De millaria adjiciendum putavimus: debuit enim hic subjicere, quem numerum efficeret cohors equitata quingenaria, redacto, ut supra, equite ad peditem ~~vv& dimidium~~ efficere dubium non est.

*Habet itaque cohors equitata miliaria 77. X.) Lege: Habet itaque cohors equitata miliaria centurias decem. Nam notis his centurias designari, supra diximus: & nota numeralis nos dè numero earum non sinit dubitare. Centuria itaque cohortis equitatæ miliariæ, habet homines sex & septuaginta, qui numerus ad centenarium se habet, ut septingenti sexaginta, numerus peditatus totius cohortis, ad millenarium.*

*Æquites ped. CCXL.) Hæc sunt valde contaminata. Vestigia quæ supersunt nos eò ducunt, ut credamus equitum peditumque numerum repetuisse. Equites CCXL. pedites DCLX.*

*Turmas decuriones.) Fortassis. Turmas decem. Quamvis enim equites ducenti quadraginta octo, turmas equitum triginta vel sex equitum quadraginta efficere possint: à vero tamen alienum non videtur, in cohorte miliaria, quot centurias, totidem turmas fuisse. Turma igitur habuerit equites quatuor & viginti, qui adiecti septuaginta sex peditibus, efficiunt numerum centenarium. Dimidias has turmas habes apud Virgilium.*

*Tres equitum numero turmæ ternique vagantur*

*Duætores: pueri bisfeni quemque secuti,*

*Agmine partito fulgent paribusque magistris.*

*Tendunt papilionibus CXXXVI.) Cum dederit in peditem pedem adiectâ quintâ, sequitur ut in decem pedites, duodécim pedes pedaturam papilionis. Tendunt hac ratione decem papilionibus centum homines, centum papilionibus mille, & proinde centum triginta sex papilionibus mille trecenti sexaginta. Numerus ad quem cohortem equitatem miliariam redegit.*

*Ex eo 77. & decuriones singulis papilionibus utuntur.) Scribe: Ex iis centuriones & decuriones singulis papilionibus utuntur. Paulò post. Ex iis 77. singulis. Deinde de numero CXXXVI, tot papiliones quot sunt in cohorte centuriones & decuriones. Fac eos, quibus hi papilio-nes adsignabuntur quotidie in vigilias ire; ita centuriones & decuriones in his papilionibus tensionem accipient.*

*Cohors equitata quingenaria habet 77. VI.) Habet centurias sex: paulò post, de cohorte peditatâ quingenariâ. Habet 77. VI. Totidem igitur centurias habet, quot cohors legionaria.*

*Reliqua*

*Reliqua pro parte dimidiâ.*) Præter numerum centurionum fortassis & decurionum: habet itaque pedites trecentos octoginta, equites centum viginti: centuria homines tres & sexaginta: quod si centurias hominum sexaginta velis, cohors trecentos sexaginta efficiet. Turmæ siquidem numérum centuriarum adæquent, erunt viginti hominum: alioquin tres turmas quadraginta, quatuor triginta hominum ex eodem numero commodiè efficere possis.

*Cohors peditata miliaria habet 77. X.*) Centurias decem. Cohors peditata est, quæ more antiquo ex solo pedite constat & ad differentiam equitatæ, peditata appellatur. Tacitus peditatum cohortium vocat Annalium XIII. *Adiectaque ex Germania legio cum equitibus alariis & peditatu cohortium.* Hæ cohortes ut equitatæ, magnam partem, auxilia ejus ætatis erant; hinc sæpe cohortes auxiliares, auxilia cohortium, item socias & sociorum cohortes idem Tacitus appellat. Singulæ autem à nationum ex quibus conscriptæ vocabulo, item auctorum qui scripsissent & si plures erant, ut cohortes legionariæ etiam numero distinguebantur. Tacitus Annalium I. *Septimam decimam cohortem coloniâ Hoffrensi in urbim acciri Otto jussérat.* Sed hæc exempla in historia passim obvia, adducere operæ pretium non est.

*Tendi papilionibus centum ex eis 77. singulis.*) Centuriones singulis. Cohors peditata milliaria habet homines centum. Contubernium tegit homines decem: reliqui centum, ut videtur, vigilias quotidie obeunt.

*Item peditata quingenaria habet 77. VI. reliqua ut supra.*) Centuria si quidem, justissimè dimidiâ partem habebit homines tres & octoginta, reliqui duo: si octoginta dederis quadringentos octoginta cohors habebit, ac erit legionariæ par.

*Cantabri.*) Pridem ante hæc tempora inter auxilia Romana: Cæsar de Bello Civili. I. *Equites, auxiliaque totius Lusitaniæ à Petrejo Celtiberis Cantabris, barbarisque omnibus, qui ad Oceanum pertinent ab Afranio imperantur.* Lucanus.

Cantaber exiguis & longus Teutonus armis.

*Parmyrent.*) Palmyreni. In notitia imperii sub dispositione Ducis Thebaidas, ponitur ala octava Palmyrenorum.

*Daci.*) Horum & alæ & cohortes in lapidibus priscis. C. JULIUS ERUCIANUS CRISIPPUS PRÆF. ALÆ PRIMÆ ULPIÆ DACORUM. Alio. COH. ÆLIÆ. DAC. TETRICIANORUM ET GORDIANÆ. Habet & imperii notitia.

*Brittones.) Inscriptio vetus apud Gruterum. L. TERENTIO M. F. Q.V. RVF. PRÆF. COH. VI. BRITTON. CL. EG. I. M. P. F. DON. DON. AB. IMP. TRAJANO BEL. DAC. Alia. TRIB. COH. I. ÆLIÆ. BRITTON.*

*Et si quid aliud datum fuerit in exercitu summam clariorum retenturam ponimus.) An fuerat? Et si quid aliud datum fuerit in exercitu nationum (vel auxiliarium) in retentura ponemus.*

*Camillos cum suis ebimmatis singulis ped. V. assignavimus.) Scribimus: Camelis cum suis epibatis singulis pedes quinque adsignabimus. Epibatæ quidem vulgo tam Græcis quam Latinis classiarii milites: in universum tamen vectores & inscensores, Δρόπες οἱ Δημοκαίου, & quod inde Δημοκατεύειν. Possis & legere: cum suis epistatis. Indos, id est rectores & magistros elephanti, sic Græci appellant. Arabes sagittarios de camelo pugnantes apud Livium invenias. Camelis, inquit, insidebant Arabes sagittarii, gladios habentes longas quatera cubita, ut ex tanta altitudine contingere hostem possent. Duos sagittarios singulis imponit Xenophon παιδεῖας VI. ἢ δὴ τὰς καρυῆς δὲ εἰπεὶ γέγονεν ὅτες δύο εἰς ἐκάστην τοξοῦ: quarum alter, quoties fugerent in tergum camelii conversus in hostem jaculabatur. Apud Herodianum cataphractos camelis insidentes, Artabanus habet. Clibanarii Persis dicebantur. Quod vocabulum quamvis & in historicis Latinis & in notitia imperii; hoc loco tamen vix puto fuisse.*

*Tendere debebunt si in hostem exituri erunt in prætenturam juxta classi quos si ad prædam portandum præsto erunt induam quætorium tendere debebunt.) Corrigi: tendere debebunt, si in hostem exituri erunt in prætenturâ juxta classicos, si ad prædam portandum præsto erunt secundum quætorium. Supra. Stationi dari oportet secundum prætorium pedes viginti. Uterque in Romano etiam exercitu usus camelorum fuit. Tacitus Annalium XV. Comitabantur exercitum præter alia assuta bello magna vis camelorum onusta frumento, ut simul hostem famemque depellerent. Sed de camelorum elephantumque usu aliis erit dicendi locus.*

*Datus itaque numerus.) Datos itaque numeros.*

*Cobors prætoria I V. æquites prætores CCCC. Cohortes prætoriae quatuor. Equites prætoriani quadrungenti.*

*Equitatum in singuli in ped. CCCC L.) Emenda: equites singulares Imperatoris quadrungenti quinquaginta.*

*Classici Mesinaci D. Ravennatis DCCC.) Scribe: Classici Mesinates quingenti, Ravennates DCCC. Notum est Augustum Cæsarem classes*

classes duas , alteram Miseni , alteram Ravennæ collocasse ad tutelam superi & inferi maris. Vegetius. Lib. V. Cap. 1. *Apud Misenum & Ravennam singulæ legiones cum classibus stabant , ne longius à tutelâ urbis abscederent , & cum ratio postulasset , sine mora , sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent . Stabant , inquit , ut de re jam desita . Nam illa ætate , quamvis non in præfecturæ classis fortassis superfuerit , ( præfecti enim hujus in notitia imperii mentio ) classes tamen ipsæ non erant ; adeò ut scribente Jornande , ille olim portus illustris Ravennæ sua ætate arboribus consitus fuerit . Hæ classes in lapidibus passim prætoriæ appellantur , vel dignitatis causâ , ut opinatur Lipsius , quod inter minores alias , ut prætoria aliqua navis eminerent , vel exemplo prætoriarum cohortium , qui ad Italiæ & principis tutelam . Nisi fortè jam ab antiquo classis justa prætoria appellata , ut exercitus prætorius & consularis , quod ut huic consul , sic illi prætor præfici soleret . Ex his classibus classiarii sub Imperatoribus ad terrestrem quoque militiam traducebantur . Ac primus Nero ( si fides Suetonio ) classiarios ex remigibus justos milites fecit . Tacitus Historiarum III. classicos in legionarium militiam poscentes , adscitos fuisse memorat . Idem historiarum II. in exercitu Othonis , classicos quoque recenset . *Ipsum Othonem comitabantur , speculatorum lecta corpora cum cæteris prætoriis cohortibus , Veterani è prætorio classicorum ingens numerus .* Legiones tamen classicas jam olim nummi habent , ut citat Lipsius ex nummo antiquo , cujus ab una parte . A N T . A U G . III . V I R . R . P . C . ab alterâ . L E G . X V I I . C L A S S I C Æ .*

*Coæquitat. mil. II. quingenarie IIII.)* Scribe : Cohortes equitatæ milliariæ duo , quingenarie quatuor .

*Cohors peditate mil. III. milliariæ quingenarie III.)* Cohortes peditatæ milliariæ tres , quingenarie tres .

*Parmyrent D. Getati DCCCC. Daci DCC. Brittones D. Cantabri DCC. 77. Statorum II.)* Hæc corrigenda , ut suprà . Palmyreni , Getæ , Daci , Brittones , Cantabri , Centuriæ statorum , adjectis suis cuique numeris .

*Semper numeros acceptis prætentura computare debemus , ut sciamus quod emistria in retenturam nascantur .)* F. Semper numeris acceptis prætenturam computare debemus , ut sciamus quot hemistrigia in retenturâ nascantur . At quomodo ex computatione prætenturæ de numero hemistrigiorum in retentura constabit . An quia latitudo castrorum ubique eadem & numerus hemistrigiorum in retentura ex castrorum latitudine ( per longitudinem enim ducunt ) dependet ? Noster inferius de retentura .

tura. Quoniam est latitudo D C. video quo<sup>m</sup> hemistrigia esse possint, ut nunc erunt decem & septem, ut quæstorio pedatura sufficiens dari possit.

Nunc fit numerus qui retendit XIII. D. C X L.) Tredecim millia sexcenti quadraginta. Ex numeris suprascriptis in retentura ponuntur cohortes equitatæ milliariz duo, quingenariæ quatuor, quæ computantur in unum ad quinque millia quadringentos quadraginta homines. Adde cohortes peditatas milliarias tres, tria hominum millia, totidem quingenarias mille quingentos homines, adhoc Palmyrenos quingentos, Getas nongentos, Dacos septingentos, Britones quingentos, Cantabros septingentos, centurias statorum duas, quæ quia duplam pedaturam recipiunt, ad homines quadringentos computantur. Erunt justissimè tredecim millia sexcenti quadraginta.

*Sumo partem dimidiā ideo quod à partibus tendat nascantur.)* Fortassis: Ideo quod à partibus tensuram nanciscuntur, vel tensura nascatur: nisi malis: tendas, vel tendæ. Quod vocabulum apud Africanum Leonem aliosque ejus ætatis tentorum significat.

Nunc latus prætorii componamus si retenturam similiter computemus si ut retenturam fecimus.) An? Nunc latus prætorii componamus & prætenturam similiter computemus sicut retenturam fecimus. Confusa hæc & inquinata videntur, sed quantum conjicimus, hoc vult. Latus prætorii prætenturam & retenturam intra viam sagularem primum computari debere, ut ex harum magnitudine colligatur, qua formâ cohortes legionariæ ad vallum has partes amplectentes tendere debeant. Debuit hic disertè docere, quæ forma latitudo, longitudo singularum partium, quæ inter omnes proportio, at illud supra, ubi de partibus his in universum agit, vix attigit: hic verò ne exemplo quidem trium legionum satis explanat: adeò non perfecit quod debuit hic quidem, qui miserè adfectus ad nos pervenit Hyginus.

*Ut sciamus cohortibus legionariis quid tabulino vel signo dare debeamus.)* Fortassis: Ut sciamus quid cohortium legionarium tabulino vel signo dare debeamus; vel utique, quid cohortibus legionariis, tabulino vel signo &c. Intellige earum, ut paulò post. *Ut lateribus castrorum cohortibus;* tabulino, X C. signis C C X L. pedes adsignemus.

*Ut quotiens tres legiones cum supplimentis.)* Cum illis supplementis, quæ jam recensuit, veluti justa trium legionum.

*Dimidia pars castrorum D C C X X pedes latitudinis habeat.)* Latitudo dimidiæ partis, quæ expletur ab intervallo ad viam prætoriam, sexcentos enim pedes in prætentura miles & eques occupant intra viam sagularem;

nona-

nonaginta cohortes legionariæ; triginta via sagularis, ut jam dicet. Intervallum itaque & via præatoria, ut diximus, hic non computantur.

*Et lateribus castrorum cohortibus, tabulino XC signis CC XL pedes adsignemus.) Sic dilitigie, nisi legere malis: cohortium tabulino, ut statim. Hæc est forma quâ cohortes legionariæ lateribus castrorum tendunt, ut jam monuimus.*

*Reliqui D C. centum pedes supersint.) Rectè deletur in margine & ceterum. Sexcentos enim pedes intra viam sagularem dari vult.*

*Ut alæ miliariae in pedaturâ ad pedem tendant.) Ut singulis hemistrigiis ducenti equites vel quinque turmæ: quinque verò hemistrigiis alæ justissimè tendere possit.*

*Ut nunc statuamus reliquos ped. statuamus (deletur & hoc rectè in margine) D C explimus latus unum prætorii.) Scribe: Explebimus latus unum prætorii. Lateris prætorii longitudinem septingentorum viginti pedum esse voluit eadem de causâ, quâ latitudinem prætenturæ intra viam sagularis sexcentorum, videlicet, ut copiæ præcipue hemistrigia, in quibus collocantur, expletentes aliis ne misceantur; ut enim alæ in prætentura quinque hemistrigiis ad pedem tendunt, sic cohortes primæ, alæ quingenarias, cohortes prætoriæ integris strigis: reliquus similiter numerus lateribus prætorii hemistrigia sua tota occupat.*

*Ut sciamus quot alæ in prætentura tensuræ sint.) Apparet ex hoc loco, quod jam diximus, sed non probavimus; alas quasdam lateribus prætorii tendere. Idem confirmatur infrâ in compositione prætenturæ. Nunc prætenturam ut componamus numerum equitum alarium qui sunt reliqui computemus. Qui sunt reliqui, inquit, ostendens jam quasdam antea lateribus prætorii positas. Item. Via autem abesse poterit inter cohortes prætorias & alas equitum si pedatura strictior fuerit. Cohortes autem prætoriæ omnes lateribus prætorii collocantur. Ergo & quædam alæ. Inter alas enim quæ in prætenturâ & cohortes prætorias non tantum via principalis, quæ nullis unquam castris abest, sed & legatorum & tribunorum scamna sunt media, ut de illis hic non agi certum sit. Accedit quod supra etiam dixit, alas milliaris vel quingenarias lateribus prætorii tendere. Oportuit autem Hyginum hic quoque definire, quænam hæ alæ & quot numero, quod neglexit ut multa alia, ita tamen ut ea nobis vestigia reliquerit, quibus verum investigare possemus. Nam cum in his copiis alas milliaris quatuor; quingenarias quinque recensuerit & illis in prætentura pedaturam deinde adsignet: sequitur ut hæ omnes lateribus prætorii tendant: nam in retentura nullas collocat.*

*Occupantur numero militum latere prætorii ped. CCCXX.) Quas-*  
*dam ex notis numeralibus, quibus discribitur pedatura lateris prætorii, in-*  
*mendo esse, manifestum est. Cum enim in unum sexcentos pedes efficere*  
*debeant: quingentos decem tantum efficiunt. Salmasius servato numero*  
*pedum trecentorum viginti, in cæteris vitium esse putat. Ego hunc quo-*  
*que laborare nullus dubito. Cum enim in latitudinem strigaram militi*  
*nusquam minus hemistrigio, id est triginta pedibus adsignetur, non aliis*  
*hic numerus esse potuit, quam per triginta multiplicatus, qualis hic non*  
*est. Qui autem numerus fuerit, non rectius assequemur, quam si copia-*  
*rum latere prætorii tendentium pedaturam metiamur. Ex sunt, cohorte-*  
*tes primæ duæ cum duobus vexillis, alæ quingenariæ quinque, cohortes*  
*prætoriæ quatuor, equites prætoriani quadringenti, singulares quadri-*  
*genti quinquaginta: ut igitur dimidiā castrorum partem expleamus, di-*  
*midium horum collocabimus. Cum habeat latus prætorii septingentos vi-*  
*ginti pedes longitudinis, cohors prima integrâ strigâ tendet: vexillarii he-*  
*mistrigio: alæ duæ cum dimidiâ hemistrigiis quinque: cohortes prætoriæ*  
*duæ duabus strigis: equites prætoriani adiectis viginti quinque ex sin-*  
*gularibus, vel singulares detractis viginti quinque, strigâ integrâ satis laxè*  
*tendere poterunt, nam quadringenti vinginti quinque, quadrigentorum*  
*octoginta equitum aliorum pedaturam accipient. Erunt hemistrigia*  
*quatuordecim, quæ efficiunt latitudinem pedum quadringentorum vi-*  
*ginti. Omissum igitur quod facile potuit, in codice unum C. & scri-*  
*pserat Hyginus. Occupantur numero militum latere prætorii pedes*  
*CCCCXX.*

*Prætorii ped. LX.) Salmasius legit: prætorio pedes CLX. haud*  
*dubiè, quia Hyginus suprà dixit, prætorii totius latitudinem à centum*  
*sexaginta ad ducentos viginti observari. Sed parum cogitavit, Hygi-*  
*num hic dimidiā partem castrorum explentem, dimidiā partem præ-*  
*torii tantum computare aut etiam minus: quia sexaginta pedes prætorii*  
*medii respondent latitudini viæ prætoriæ, quæ in latitudine pari dimidiæ*  
*prætenturæ non computatur: nihil itaque verear retinere numerum, qui*  
*est in membranis. Adjice huic sexaginta pedes alterius partis: tantun-*  
*dem pro latitudine viæ prætoriæ; erit latitudo prætorii totius pedum*  
*centum octoginta. Aut si quid mutandum, scripsérím, ped. L. ut sit*  
*prætorii totius latitudo CLX.*

*Stationi ped. XX.) Suprà. Stationi dari oportet secundum prætorium pe-*  
*des viginti & si res exigit pedes decem sufficient.)*

*Communi ped. LX.) Scribe: Comitibus Imperatoris (vel Imperatoris*  
*nostri)*

nostrī) supra comitum pedaturam à quinquaginta ad septuaginta observari jussit.

*In vias pēd. L.)* Nusquam neglegentius ē gessit Hyginus, quam in positione harum viarū: numerū enim universæ pedaturæ inire satis habens non ostendit, quot numero sint, non quo quæque loco ponantur, non quantum inter singulas intervallū, non an eādem quæ latera prætorii; latera etiam quæstorii percurrent, quemadmodum fit in priscis Romanorū castris: an verò intermoriāntur & desinānt cum latere prætorii. Duarum quidem in descriptione hujus partis quasi fortuito & non hoc agens, videtur meminisse; alterius secundum comitum strigam; alterius inter cohortes prætorias & alas equitum: illius disertè. *Comitibus Imperatoris nostrī à pedibus quinquaginta ad septuaginta potest observari; in quā pedaturā præfecto prætorio primus locus ante viam principalem adsignari debet: interpositā deinde via cohortes prætoriæ & reliquias numerus.* At hujus ambiguè. *Suæ autem abesse poterint inter cohortem prætorias & alas equitum, si pedatura inscriptior fuerit.* Dubium enim de una inter cohortem & alam, an de duabus, quarum hæc inter alas, illa inter cohortes prætorias, loquatur? Huc quidem dicit nos scriptura codicis, nec absurdum est has potius tolli, quæ ejusdem, quam illam quæ diversi generis copiæ interjecta est: nam & in prætenturā mille hominum super numerum compositum collocaturus, non aliam sustulit, quam quæ inter duas alas milliarías: *Viam inter alas tollemus, quæ tunc datur, si pedatura permittit.* Quod si singulas alas & cohortes prætorias via sua dividit: inter numerum diversi generis vias interponi singulas, ambigendum non est. Erit hac ratione prima inter comites & cohortem prætoriam; secunda inter cohortes prætorias; tertia inter cohortes prætorias & equitem prætorianum; quarta inter hos & alam; quinta inter alas: sexta fortassis inter alam secundam & dimidiā alam; septima inter hanc & vexillarios: quos octava à cohorte prima distinguit: aut si verum videtur conjungi cum vexillariis eadem striga dimidium alæ, poteris unam ex hoc numero tollere; & habebunt singulæ strigæ singulas vias. Sed sic quoque plus viarum, quam quibus quinquaginta aut sexaginta pedes tantum adsignentur. Si vexillarios cohorti primæ, dimidiā alam junxeris integræ, viā nullā interpositā, relinquēntur sex, quibus decem pedes in singulas dati, efficient sexaginta, pedaturam viarum prætenturæ. Viderint tamen rerum militarium periti, anne ad liberiorem transitum à retentura ad principia, aut una aut plures viæ ampliores hic potius requirantur. Polybius in ea castrorum compositione, quā prætorium in prætentura

constituitur, huic parti dat vias quinque, singulas pedum quinquaginta, quo ut in hac metatione constituto sex arbitror fuisse, tres utroque latere. Qua ratione duæ viæ vicinales triginta pedum singulæ, sagulari (hæc enim tertia loco est) adjiciendæ videntur. Sed utroque modo mutandi numeri, quos habet codex: viginti enim de comitum stationis & prætorii pedaturā deducendi, decem viis adjiciendi erunt, nisi si quadraginta pedes duabus viis dari velis, quod & Salmasio visum: Ita numeri reliqui servari possint. Sed in his quæ sola conjectura investiganda sunt, suum cuique arbitrium potius relinquamus.

*Quod ferè in hac latitudinem ita fuerit dispositio.)* Fortasse: quod ferè in hanc latitudinem ista fiat dispositio.

*Fiunt D.C. 77.)* Fiunt sexcenti pedes: nota enim hæc malè in hunc locum videtur irrepsisse. paulò ante. *Ut nunc statuamus reliquos pedes sexcentos explebimus latus unum prætorii.*

*Nunc prætenturam id componamus.)* Scribe: ut componamus. Eadem quâ supra methodo, primò latus prætorii componit, deinde prætenturam, ultimò retenturam.

*Numerum æq. alarium qui sunt reliqui.)* Resinge: numerum equitum alarium, qui sunt reliqui, & intellige quatuor alas milliaras.

*Fiunt IIII. partes dimidiae II.)* Fiunt quatuor millia, partis dimidiæ duo millia.

*Accipere debent ala miliaria signis ped. C L tabulino ped. D.C. ac ratione ped. C L. efficiunt emistricio.)* Fortassis: Accipere debet ala miliaria signis pedes centum quinquaginta, tabulino pedes sexcentos: hac ratione pedes centum quinquaginta efficiunt hemistrigia quinque. paulò post. *Nunc hemistrigia dicimus V.* Ala, inquit, millaria quinque hemistrigis pedum sexcentorum tendit, quæ faciunt in latitudinem pedes centum quinquaginta.

*Acceptit equites III sed in longitudinis ped. D.C.)* Emenda: Accipit eques tres pedes in longitudine pedum sexcentorum. Superius Hyginus de alariis. *In singulis equitibus terni pedes computantur.*

*Sumo partem tertiam ut habeant equites numerum qui in eo longitudinem tendet.)* Sumo partem tertiam, ut habeam equitum numerum, qui in ea longitudine tendet. Cum eques tres pedes accipiat in longitudine pedum sexcentorum sumtâ tertiatâ parte longitudinis hujus, habebis numerum equitum qui in ea tendit: fiunt ducenti.

*Erit mitrici unus, vel ut in margine adscriptum, unius.)* Lege: Erit hemistrigii unius scilicet numerus, nî potius. Erit hemistrigii numerus. Alibi.

Alibi. Erit militum numerus. Item. Fient pedes triginta, erit hemistrigium.

Et nunc emistricia dicimus V. quinques CC. fit  $\infty$  aliae mille pedaturam.) Lege : Et nunc hemistrigia diximus quinque, quinques ducenti fiet mille, alæ milliaræ pedatura. Infra : Nunc retenturæ partis dimidiæ diximus numerum sex millia sexcentos quadraginta. Statim : Nunc erit partis dimidiæ hemistrigium sexcentorum pedum per longitudinem quod quingentos homines capiet, sicut diximus. Quanquam hæc ut multa alia in hoc libello præterquam quod inquinata transposita videntur aut confusè dicta. Nam ordo postulabat. Et nunc hemistrigia quinque diximus, alæ milliaræ pedaturam; quinques ducenti fient mille.

Reliquum autem numerum sicut retenturam computemus.) Sicut retenturam computemus. Id est equites, milites legionarios & quicquid prætereà in prætentura tendit, ad certum hominum numerum redigamus, quibus in singulos pes detur adjectâ quintâ. Sic enim retenturam supra computavit.

Ut sciamus similiter quot emistricia nascuntur.) Quot hemistrigia nascuntur. Nam cum jam constet longitudinem hemistrigiorum in prætentura intra viam sagularem sexcentorum pedum esse, computato numero militum numerum hemistrigiorum facile inveniemus.

Fit numerus cum pedatura valetudinarium veterinarium & fabricæ quæ in unum addo homines computantur VIII. Scriptura hæc præfert hanc lectionem. Fit numerus cum pedaturâ valetudinarii, veterinarii & fabricæ, quæ in unum ad DC homines computantur novem millia. Sed ut de sinceritate vel vitio ejus constet, numerum in prætenturâ tendentem lustremus. Præter duas alas milliaras, quibus jam adsignavit pedaturam prætendit cohors prima cum vexillariis : (nam ut lateribus prætorii, sic omnem copiam, intra viam sagularem, in quibus & cohors prima, in hoc numero computare debemus) cohors itaque prima cum vexillariis ea ratione, quâ pes adjectâ quintâ in militem datur, computatur ad mille octingentos milites. Opponuntur cohorti primæ parte altera tres cohortes legionariæ eundem numerum efficientes. Mauri equites sexcenti ea ratione qua equites cohortis peditaræ ad peditem redacti, faciunt mille quingentos Pannonii veredarii (si tamen eandem quam cæteri accipiunt pedaturam) octingenti : classici mille trecenti, & exploratores ducenti his adjecti. Erunt septem millia quadringenti : reliqui mille sexcenti ut novem millia efficiantur. Quem numerum supra respicientes diximus valetudinarium, veterinarium & fabricam minimum unum hemistrigium integrum per totam castrorum latitudinem occupare. Sed

ut verum fateamur, hic numerus quamvis dimidio (quatuor millibus quingentis,) statim subiecto confirmetur; tamen nobis suspectus est, ideo quod omnis collocatur octo hemistrigii, quorum unumquodque capit homines quingentos in dimidia parte. In numero enim hemistrigiorum vix est, ut vitium admittatur, nisi turbata tota, quæ sequitur, ratione compositionis & computationis: scribendum igitur videtur. Octo millia: quod ipsæ notæ **VIII**, deleto uno I. facile permittunt, & paulò post expungendum nō D. quod ex sequenti voce fortasse adrepuit. Quo recepto tribus his speciebus non nisi sexcenti pedes supererunt, quo & ipsa scriptura dicit quodammodo: legemus itaque. Fit numerus cum pedatura valetudinarii & fabricæ, quæ in unum ad sexcentenos homines computantur, octo millia. Nam totum hemistrigium tria hæc genera occupare nihil necesse est.

*Sumimus dimidium fit IIIID.) Scribe igitur: & hic sumimus dimidium, fit quatuor millia.*

*Hoc erit partis dimidiæ est DC. ped. per longitudinem.) Fortassis: Nunc erit partis dimidiæ hemistrigium sexcentorum pedum per longitudinem. Sic enim passim. Nunc hemistrigia diximus quinque. Nunc si dentur mille homines, &c.*

*Quod homines capet sitque diximus peditem adjectam quintam ad pedem accipere.) Anne? Quod quingentos homines capiet, sicut (vel sic quomodo) diximus peditem adjectam quintam ad pedem accipere. Vel potius ut suprà: adiectâ quintâ pedem accipere. Tot certè homines capere hemistrigium dimidiæ partis prætenturæ, ex sequentibus certius est, quam ut probare necesse sit, & nihil proclivius, quam ab iis, qui librum descripsere omissum numerum tanquam literam malè repetitam: cum fuerit QUOD. D. HOMINES. &c. infrà. Erit hemistrigium quod D. homines postea acceptos recipiet.*

*Deducamus partem VI relique quingentos.) Relinquemus quingentos.*

*Sed habemus numerum IIII.) Corruptus ergo, ut diximus, superior numerus. Si enim ille sincerus esset non quatuor; sed quatuor & dimidium, five quatuor millia quingentos haberemus.*

*Videmus quotiens habeo quod est VIII.) Fortassis: Ducemus quod habemus, erunt octo.*

*Totidem æstrigia nascuntur fit CCXL.) Totidem hemistrigia nascuntur. Fiunt ducenti quadraginta pedes. Octo hemistrigiorum latitudo erunt ducenti quadraginta.*

*Et superiores computati alarium ped. CCC.) Alarium pedes trecenti. Dux*

Duæ alæ milliaræ tendunt hemistrigiis decem, quæ occupant in latitudine pedes trecentos. Est autem hæc latitudo in longitudine castrorum.

*Poterit esse tenturæ cohortes III. ) F. Poterit esse tensura cohortium trium. mox : Video quod hemistrigia esse possint. Hi, inquit, quingenti quadraginta pedes, quos numero intra viam sagularem deditus, poterunt respondere pedaturæ trium cohortium legionariarum latere prætenturæ ad vallum tendentium : nam quamvis accipient singulæ ducentos quadraginta pedes ex longitudine castrorum, in unum septingentos viginti ; adjectâ tamen pedaturâ scannorum & viarum, ille minor numerus hunc adæquabit.*

*Faciunt ped. D C C X X ex quibus decedit quod numerus occupat ped. C C X L.) Scribe : Faciunt pedes septingentos viginti : ex quibus decedit, quod numerus occupat pedes quingenti quadraginta. Fuerat D X L. Tot enim pedes numero jam adsignavit, & ita scriptum fuisse probat, quod sequitur, Reliqui pedes C L X X X.*

*Quod vires trigesas nascuntur.) Scribe : Quo sex hemistrigia nascuntur : vel, quod eodem recidit, tres strigæ. Sed nō vires trigesas ex VI. H E M I S T R. corruptum videtur, & saepius hemistrigiis computat, ut : Video quot hemistrigia esse possint : ut sciamus similiter quot hemistrigia nascantur, &c.*

*Ut nunc vicinaria iuras super cohortem primam.) Videtur fuisse. Ut nunc, via vicinaria super cohortem primam. Et est sanè via vicinaria super cohortem primam. Hyginus. Observabimus primæ strigæ signis idem adsignari, quod cohortis primæ, ut viæ vicinariæ percurrent. Via hæc pedum viginti.*

*Item numero quatuor pedum denum.) Si sana hæc sunt, ex quatuor hisce viis, prima inter scannum tribunorum & alam milliariam, secunda inter duas alas, tertia inter alam & nationes, quarta inter medias nationes ponenda est.*

*Fit in via ped. L X.) Fit in vias pedes sexaginta.*

*Reliqui pedes C XX quod si manes tribunorum & legatorum singuli L X ped. adsignavimus.) Scribe : Reliqui pedes centum viginti, quos scannis tribunorum & legatorum singulis sexaginta pedes adsignabimus. Scannum legatorum, quamvis non semper ejusdem latitudinis, à quinquaginta tamen ad octoginta pedes supra jussit observari.*

*Nunc si dictator mille homines super numerum compositum in eandem pedaturam locus adsignetur.) Fortassis : Nunc si dentur mille homines, quibus super numerum compositum in eadem pedatura locus adsignetur. Putabam initio de dictatione aliquid latere, veluti : si dictatione mille hominibus*

nibus super numerum, &c. Sed illud nunc magis placet. *Dari & accipi* dicitur numerus, cui pedatura adsignanda est. suprà. *Datos itaque numeros, qui infra scripti sunt, sic computabimus.* Qui optimâ ætate *vixerunt*, dixissent. Nunc si datur mille hominum.

*Quoniam partes dimidiæ D. esse constat, quos capite emistricio.)* Quoniam partis dimidiæ quingentos esse constat, quos capit hemistrigium. Sed & hæc luxata & transposita videntur: ordo postulabat. *Quoniam quingen-* tos esse constat, quos capit partis dimidiæ hemistrigium.

*Deducamus scannis ped. X.)* Deducamus scannis pedes decem. Singulis intellige, utrisque viginti: via enim inter alas, quæ his adjecta efficit triginta, decem pedum est.

*Et viam de interbalis tollamus.)* Scribe: Viam inter alas tollemus. statim. *Viam inter alas reponimus.* Erat hæc Romanorum consuetudo, ut quoties densis castris considere placeret, contraherent quasdam vias; alias omnino tollerent. Cæsar de Bello Gallico. V. *Castræ et si erant exigua per se vix hominum millium septem, præsertim nullis cum impedimentis, tamen angustiis viarum, quam maximè potest, contrahit.* Hyginus mox. *Via autem abesse poterit inter cohortem prætoriam & alas equitum, si pedatura stricior fuerit.* Polybius. *Quod si major aliquando sociorum copia adfuerit, qui vel ab initio expeditionis comites fuerint vel postea advenerint, iis quos casus adduxit præter jam dicta, eriam vacua circa prætorium loca complent.*

*Quæ tunc datur si pedatura permittet.)* Lege: *Quæ tunc dabitur si pe-*datura permittet.

*Nunc è contrario similiter numeris compositis deducamus homines mille.)* Dixit quis locus adsignandus sit mille hominibus super numerum compo-*situs acceptis: nunc contra docet, quibus adsignanda sit pedatura, quæ deductis de numero composito mille hominibus nudatur.*

*Quorum est pedatura strigea ped. L X.)* Integræ strigam potest intelligi nudare, si duo hominum millia deducit. Sed numeris anteà compo-*situs, mille hominum deducens hemistrigium, tantum scannis adjiciet.*

*Dabimus scannum.)* Scribe: scanno. Cætera rectè se hahent.

*Et via inter alias reponimus.)* Et viam inter alas reponemus.

*Item lateri prætorii & retenturæ.)* Item latere prætorii & in retenturæ.

*Item quæstori minuamus vel amplius.)* Lege: Item quæstorium minua-*mus vel ampliemus. Frontinus. Pelopidas Thebanus castris ampliorem lo-*cum supra ripam complexus, vallum cervulis & alio materiae genere constructum incendit.

*Servatis portionibus latitudinis.)* Imò longitudinis. Cum enim stri-*garum.*

garum numerus dextrâ sinistrâque prætorii & quæstorii augeri vel minui  
hac ratione debeat ; sequitur , ut latitudo prætorii vel quætorii augeatur  
vel minuatur : longitudo verd servetur : inter prætorium enim & quæ-  
torium nullas copias interponit. Scriptis igitur. Servatis portionibus  
longitudinis : aut latitudinem vocavit , quæ est propriè longitudo.

*Suæ autem abesse poterint si pedatura inscriptior fuerit.)* Emenda : Via  
autem abesse poterit , si pedatura stricior fuerit : vel ; viæ autem abesse  
poterint. suprà. *Et si stricior fuerit pedatura , cohorti legionarie dari debet.*

*Inter cohortes prætorias & alias equitum.)* Lege : Inter cohortes præto-  
rias & alas equitum. Equites prætoriani , singulares & nationum alas  
quoque suas habuerunt : alæ tamen simpliciter non hos , sed equites ala-  
rios plerunque denotant : intellige hic alas quingenarias.

*Ideo quod disciplinam militarem ad sum quisque numerum conjuncti conve-  
niunt.)* Lege : Ideò quod disciplina militari ad suum quisque numerum  
conjuncti convenient. Videtur velle. Nihil interesse , an sublatâ viâ alæ  
& cohortes prætoriæ conjunctæ tendant , quia quamvis egredientes pa-  
pilionibus in striga combinentur , eductæ tamen ad principia , hæ dex-  
trâ , illæ lævâ facile cum genere suo conjungi possint.

*Si observent ita dico & in retenturam.)* Fortassis : Idem observetur ut  
dixi in retentura.vel: Si observent ita ut dico & in retentura. Ut velit idem  
in retentura observari , hoc est tolli quoque hanc viam , quæ ut mea fert  
opinio , per retenturam percurrit & numerum diversi generis unà ad  
quintanam educi , ut ibi cum copiis suis conjugatur.

*Qui solent & quemquam genus hominibus per strigas strictrius seu laxius  
tende.)* Intricata lectio. Suspicor fuisse. Qui solent etiam quadringtonitis  
hominibus per strigas strictrius seu laxius tendere. Quamvis , inquit ,  
unumquodque retenturæ hemistrigium capiat homines quadringtonitos :  
tamen si plus vel minus militum acceptum fuerit ut ita necesse sit , solet  
singulis hemistrigii paulò major vel minor numerus dari.

*Quoniam sæpe numerus evenit computare.)* Fortassis : Quoniam sæpe  
numeros evenit commutari , ut &c. An potius ? Quoniam sæpe numeros  
convenit computare , ne &c.

*Tentura amplius efficiat quam strigæ in eandem pedaturam incurvant.)* Fin-  
ge : ne tensuræ amplius efficientes quam strigæ in eandem pedaturam in-  
currant : nisi si cui verius videtur servare hic vocem , Tentura , quam &  
alibi habet liber , & composita , prætentura & retentura firmant. Antiquiores  
certè , tenta dicebant : Timpagna tenta sonant ; Hic ubi confessum pellesque ut in  
ordine tentæ : unde & tentoria.

*Quoties reliquus numerus convertit.) An? quoties reliquus numerus non fuerit?*

*Nec totius metationis ordo turbetur, & retenturas per strigas æquali numero laxius tendunt.) Ita nec totius metationis ordo turbatur & in retentura æquali numero laxius tendunt.*

*Retenturæ numerum computatum ut in prætentura convenient. ) Puto velle: Per omnem retenturam æquali numero strictius vel laxius tendere debere: ita ut expleant pedaturam sexcentorum pedum, quæ est latitudo prætenturæ cæterarumque partium. Fortassis ita concepta fuerat sententia: Ut nec totius metationis ordo turbetur in retentura & per strigas æquali numero laxius tendat retenturæ numerus computatus ut prætentura convenientiat.*

*Quod si adhuc amplius seu minus quam ostendimus supplimentanda fuis-  
sent.) Scribe: Supplimentis dandum fuerit. Ut dabimus papilioni,  
scamno, &c.*

*Et cohortes circa ballum aliter tendere.) Et cohortes circa vallum aliter  
tendent.*

*Nunc retenturæ diximus partis dimidiæ numerum DC DCCCC  
XX.) Inquinatissimus numerus: fac ut supra: sex millia octingentos  
viginti.*

*Quoniam est latitudo DC video quot hemistrigia esse possint.) Latitudo  
partis dimidiæ castrorum intra viam sagularem & prætoriam vel ei  
respondens spacium sexcentorum pedum pedatura propriè viginti  
hemistrigiorum. Hyginus. Nunc video quoties metiri possem XXVI.*

*Ut nunc erit decem septi esset quæstorio pedatura sufficies dari posset.) Puto  
reliquisse Hyginum. Ut nunc, erunt decem & septem, ut viis & quæ-  
storio pedatura sufficiens dari possit. Video, inquit, sexcentos pedes  
efficere posse viginti hemistrigia, sed cum ex hac pedaturâ viis & quæstori-  
o nonaginta dari debeant, reliqua tantum erit pedatura septendecim  
hemistrigiorum. Vias vicinarias retenturæ verbo tantum attingit, nec  
diserte docet, quot numero sint, nec quantum singulis detur: fortassis, quia  
eadem, quæ latera prætorii & hanc partem percurrunt. Non dubito  
autem viarum hic meminisse, quia nonaginta soli quæstorio non adsignari  
liquet. cum prætorio quod est majori latitudine sexaginta vel quinqua-  
ginta tantum adsignentur in hac computatione sexcentorum pedum di-  
midiæ partis: suffecerint itaque quinquaginta vel quadraginta (minus  
enim quam prætorio dandum est) quæstorio & supererunt sexaginta, ut  
suprà, viis. Ex malè acceptâ scripturâ XVII. VT. VIIS E T.*

Q U A E-

Q U A E S T O R I O , nasci videtur potuisse. Decies septies & quæstorio.

*Summo itaque numeri partem XVI quod hemistrigia esse diximus fit  
CCCC) Emenda: Sumo itaque numeri partem decimam septimam,  
quot hemistrigia esse diximus, fiant quadringtoniti. Septendecim hemi-  
strigia in retentura esse & superior scripture & numerus retenturæ dimi-  
diæ evincunt: quadringtoniti enim decies septies ducti, efficiunt sex millia  
octingentos.*

*Erit militum numerus tendere debebunt.) Ita hæc distinguenda. supra.  
Camelis cum suis epibatis pedes quinque ad signabimus, tendere debebunt, si  
ad prædam portandam præsto erunt secundum quæstoriū.*

*Adiecta quintam ped. LXXX. fiant ped. CCCCXX) Manifestum in  
calculo mendum. Scripserat enim, fiant quadringtoniti octoginta. Hæc  
est longitudo hemistrigiorum retenturæ pertinentium à viâ quintanâ ad  
sagularem legionarias cohortes tergo castrorum à supplementis distin-  
guentem.*

*Inde efficitur duæ cohortes latere retenturæ tendant.) Scribe: Inde effici-  
tur, ut duæ cohortes, &c. Duæ cohortes legionariæ lateribus castrorum ad  
vallum tendentes, eandem pedaturam quadringtonitorum octoginta pedum  
occupant in longitudine castrorum: singulæ ducentos quadraginta: nam  
accipiunt nonaginta per ducentos quadraginta: ut supra diximus & statim  
iterum attingemus.*

*Quoties per strigas distribuimus.) Id est, quoties iisdem hemistrigiis,  
quibus cohortes peditatas & equitatas collocamus, quod fit in hac com-  
positione; ubi cohortes parte inferiori ad quintanam ponuntur: nationes  
parte superiori proximè legiones tergum castrorum tuentes.*

*Nec longe ab alterutrum ut vimam tesseram.) Fortassis: unam tesseram.  
Vegetius. Tesserā dicitur præceptum ducis, quo vel opus vel ad bellum mo-  
vetur exercitus. Tesserarii, qui tesseram per contubernia militum nunciant.  
Præceptum hoc unum per omnem exercitum volebant esse, ne quis erro-  
ri locus aut confusione. Recenset Vegetius inter incommoda, auxiliares  
copiae variarum nationum sequentia, quod alia his, alia illis instituta sint,  
nec omnes unius præcepti significacione convertantur. Lib. II. Auxilia-  
res conducuntur ad prælium ex diversis locis, ex diversis numeris venientes, nec  
disciplinâ inter se nec notione nec affectione consentiunt. Alia instituta, alias inter  
eos est usus armorum. Necesse est autem tardius ad victoriam pervenire, qui  
discrepant antequam dimicent. Denique cum in expeditionibus plurimum pro-  
fit, omnes milites unius præcepti significacione converti, non possunt æqualiter  
iussa completere, qui ante pariter non fuerunt. Huic malo, ut paret aliquam me-*

dicinam, unâ saltem tesserâ nationes ad belli munia cieri vult, neclonge ab invicem disjungi, quo id rectè & ordine fieri possit.

Suo vocabulo.) Vegetius. *Signa vocalia dicuntur, quæ voce humana pronuntiantur, sicut in vigiliis & in prælio pro signis dicitur, ut puta, victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris: sciendum tamen ista vocabula quotidie debere variari, ne ex usu hostes signum agnoscant.* Suo igitur vocabulo cui adsueti erant & quod intelligebant, non eodem quo legionibus & alis, his imperabatur; utique cum in castris novi neque dum Romanis imperiis essent adsueti.

Citationes audiant.) Citationem appellare videtur, imperium vel signum vocale, quo ad belli munia cierunt. Tacitus. *Omissa tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.* Virgilius. *Are ciere viros Martemque accendere cantu.* Fortasse igitur fuerat: Ut unâ tesserâ suo vocabulo citationes audiant. vel: Ut unam tesseram suo vocabulo citationis habeant.

Observabimus primæ strigæ signis idem ad signanti quod cohors primæ ut vicinariæ percurrant.) Scribe: Observabimus primæ strigæ signis idem ad signari, quod cohortis primæ, ut viæ vicinariæ percurrant. Sensum arbitror. Pedaturam in qua cohors prima, tam lateribus prætorii, quam in prætentura tendit, ejusdem latitudinis esse debere cum pedatura, quæ illi latere dextro viæ prætoriæ & in retentura opponitur: ut via vicinaria quæ est super cohortem primam in prætentura per totam castrorum latitudinem: quæ lateribus prætorii per retenturam rectâ percurrere possint. Primæ strigæ dici videntur, quod & quæ lateribus & quæ in prætentura proximæ viæ sagulari.

Erunt itaque lateribus cohortes sedecim.) Non hæc & sequentia accipienda sunt de universa copia numerum hunc multum excedente, neque de dimidia, latere uno non lateribus tendente; neque de numero intra viam sagularem; quatuor enim millia ex his tantum intra viam sagularem ponuntur: sed de legionibus. Finita enim collocatione supplementorum, addit quomodo cohortes legionariæ circa vallum tendant, sed paucis: quia rationem compositionis earum jam suprà docuit: ac primum ait, *lateribus sedecim cohortes esse.* Cum enim prætentura septingentos viginti, tantundem longitudinis accipiat latera prætoriæ; retentura verò quadringentos octoginta: & cohortes legionariæ singulæ nonaginta per ducentos quadraginta, id est, ducentos quadraginta ex castrorum longitudine, sequitur, ut tres cohortes latere uno prætenturæ, tres latere prætoriæ, duæ latere retenturæ & proinde octo uno castrorum latere; sedecim duobus tensionem accipient.

*Prætendens & retendens quatuor millia.*) Lege: prætendent & retendent quatuor millia. Octo cohortes legionariæ, efficientes quatuor hominum millia, justissimè tria millia octingentos quadraginta ad vallum prætorium & decumanum ultra viam sagularem tendent. Hoc enim hic est prætendere & retendere.

*Et singulæ sexaginta per trecentos sexaginta.*) Singulæ cohortes tendent formâ hac quam suprà inter bonas dedit: & cum trecentos sexaginta accipiunt ex latitudine castrorum, quæ demis intervallo & viâ prætoriâ, est pedum mille quadringentorum quadraginta, sequitur, ut hac pedatura in fronte castrorum quatuor cohortes collocentur: totidem tergo.

*Reliqui quatuor millia intra viam sagularem.*) Reliquas sex cohortes intra viam sagularem ponit. Lateribus prætorii duas ex primis: in prætentura tertiam, cui & vexillaris juxta tendentibus parte contraria viæ prætoriæ tres alias cohortes opponit. Erunt quatuor millia trecenti viginti. Sic habebimus universam triginta cohortium dispositionem.

*In quantum potui Domine frater.*) Apud Senecam est. Dominus meus Gallio: quo minus mirum hunc ætate inferiorem fratrem suum Dominum appellare, præsertim cum hic, ad quem scriptus libellus honoribus auctus fuisse videatur. statim. *Si dignatus fueris injungere novitatem metationis ad magnitudinem tuam primus adferam.*

*Castrorum æstivalum.*) Æstiva & hyberna veteres appellare solent. Vopiscus byemalia, ut hic, æstivalia. Tuum est illic byemalia & æstiva disponere ubi tuis nibil desit. infra. *Munitio æstivalum observatur generibus quinque.*

*Priusquam numero instituere.*) Fortassis: Priusquam numeros constituerem. statim. Universum exercitum suis locis constituimus: constituere enim non tantum statuere significat, quod fiebat in metatione, signis, tentoriis que positis, sed etiam componere, ordinare, & in certum statum perdere. Quo sensu constituere rempublicam, passim apud optimos scriptores. Cicero pro Marcello. *Hæc tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque tu imprimis compoſita summam tranquillitate & otio perfruare.* Noti in Romanâ historiâ & priscis nummis triumviri reipublicæ constituendæ fatale legibus collegium, post quos libertas à nullo Romanorum fuit repetita: ita servitutem in rempublicam constituerunt: sic & constituere fortunas tenuiorum, dicuntur, qui statum non habentibus, ut appellat Vellejus, agros adsignant, quo fortunæ eorum in tuto collocentur. Sed minus ab sensu hujus loci abeunt ista, constituere exercitum, rem militarem: quod alibi expressit Cicero, collocare rem militarem.

Sub

*Sub ratione omnia declaravi præcipitia in omni inceptionem.)* Fortassis: Præcipuum in omni incepto rationem. Ut dicat se primum omnium ostendisse, quam rationem, quodque consilium Romani fecuti sint in compositione exercitus. Cum id tamen præcipuum in omni negotio sit, neque unquam debeat omitti, in re profecto militari ratio est, que Romanos distinguit à barbara multitudine; ratio, quâ unâ omnes nationes vicerunt: quam tanquam proprium sui generis bonum imitati superbiam Græcorum cum aliis raro communicant. Tacitus de moribus Germanorum. *Multum (ut inter Germanos) rationis & solertiae, præponere elecções, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce quam in exercitu.* Ubi tamen malim. Nec nisi ratione & disciplinâ, id est, per rationem & disciplinam: beneficio rationis & disciplinæ, ut suprà. *Multum rationis & solertiae.* Tacitus eodem libro. Occidere solent non disciplinâ & severitate, sed impetu & ira. Conjuncta autem ratio & disciplina solent ponи in laudibus egregiorum ducum. Cicero Verrinâ V. Non ad. Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerendâ celeritatem, neque ad hujus qui postea fuit singulare consilium, neque ad Pauli rationem atque disciplinam, neque ad C. Marii vim & virtutem, sed ad aliud genus Imperatorum esse referendum. Seneca. Illis corporibus, illis animis (de Germanis loquitur) delicias, opes, luxum ignorantibus, da rationem, da disciplinam: ut nihil aliud dicam, neceſſe erit nobis Romanos mores repetere. Hyginus tamen de sua Gromaticorum ratione, parte non postrema disciplinæ militaris in constituendis ordinandisque castris, propriè accipiens. Quare vide, an ista sic rectius legantur. In brevi omnes auctores sum persequutus, & quicquid circa compositionem æſtivalium instituerunt; in hoc libello priusquam numeros constituerem subjectâ ratione omnia declaravi. Præcipuum id in omni inceptione: in metationibus scribendo nullus auctor ad hunc diem ostendit: quapropter, &c.

*Metationibus scribende nullus auctor ad hunc diem ostendit.)* De metationibus scribendo (vel in metationibus scribendis) nullus auctor ad hunc diem ostendit.

*Exposuimus itaque suas peciae.)* Emenda ut suprà jussimus: Singulas species: nam & illic, suas, pro singulis.

*Quis numeros tam mutari debeat.)* Qui numerus commutari debeat.

*Quod si aliae in retentura posite fuerint & prætentura.)* Equitum plurimum in prætentura, minus lateribus, minimum vero in retentura ponit, quo

quo cum castra movenda , aut educendus est exercitus , eques inter primos educi possit , si contra fiat , imperitiæ metatoris adscribit.

*Si cohortes equitate in eo exercitum omnino fuerint ovimus alas quingenarias lateribus quæstori.* Infere negativam & scribe : Si cohortes equitatæ in exercitu nullæ omnino ( vel omnino non ) fuerint , ponamus alas quingenarias lateribus quæstori. Minimum equitatus dari vult retenturæ : non tamen omnino nihil : alarum potius minimas , si cohortes equitatæ non fuerint , illic collocari quam omnino equite carere.

*Nam quod a legiones astas & divisæ duos numeros pertinet.* ) Fortassis : Nam quod ad legiones sparsas & divisos in duo numeros pertinet. Tacitus. *Cum interim spargit legiones , exarmat cohortes , nova quotidie bello semina ministrat.* Idem Agricolâ. *Quanquam exacta astas sparsi per provinciam numeri.*

*Quod experitis compositionem difficultates ostendit.*) Experiti dicebantur antiquis , autore Festo , qui vulgo imperiti. Sed cum id vocabulum apud neminem utique illius invenias ævi , & hic de re loquatur , quæ & peritis difficultatem præbens , novâ methodo opus habeat ; inducor potius ut credam reliquisse Hyginum : quæ & peritis compositionum , vel experitis compositionem , &c.

*Metodum metationes à me exquisitum ad numerum 77. pertinet.* ) In margine. Pertinentem. Fortassis. Methodum metationis à me exquisitam ad numerum centuriarum pertinentem.

*Intentato ingenio.* ) Puto : Intento ingenio : ut intento animo , intentione curâ , & similia.

*Si primum cottidianam metationem tractabis.* ) An potius , tractaveris. Quemadmodum non aliam copiam in castris suis collocat , quam quâ utebantur Romani circa imperium Trajani & Hadriani : ita non fictorum & commentitiorum , sed verorum & usu receptorum castrorum compositionem docet : sic tamen , ut nec seculi sui disciplinâ contentus , quædam ad severiorem legem & mores revocet , majorum laudabile prorsus temperamentum secutus , ut neque sua ætatis , neque priorum inventa repudiet , sed eligat ex utrisque optima. Quod an adsecutus sit , difficile jam dictu est , posteaquam omnia illa antiquorum monumenta , quæ se prosecutum dicit , injuriâ temporis interciderunt. Illud certè verum est , unicam hanc viam esse , unicam rationem , qua artes ad summum perducuntur , quaque aliquid post antiquos scribitur , quod post illos legi velis.

*Nunc munitionem castrorum & reliqua , quæ pluribus auctoribus scripsérunt ,*

*breviter perforamus.) Videtur fuisse : Quæ pluribus autores scripferunt, vel pluribus autoribus scripta sunt. Polybius in suo de castrametatione, partem hanc metationis pñè totam præteriit, non excusandâ neglegentia, nisi alibi in libris, qui interierunt, exsecutus erat, quemadmodum in eis qui supersunt, vallum Romanum ejusque ab Græco differentiam, alibi descripsit. Hoc enim tantum notat in præducendâ fossâ & extruendo vallo, duo latera Romanis legionibus, duo sociis dari ; quasi de munitione nihil præterea necesse sit, monere. Simplex, fateor, majorisque laboris, quām artis est opus castrorum : tale tamen, ut in eo magna pars discipline atque adeo salus & columen exercitus vertatur : cum hac potissimum de causa in interiori metatione & compositione tantum curæ adhibeat, ut omnis copia intra brevem munitionem aptè concludi possit : Quid enim profit absque eo dirigere ordines vicorum ? quid dimetiri viarum spatia ? quid omnia ordine disponere, nisi ut ab superveniente nec opinato hoste sternantur ordinati & compositi ? Munitio est, quæ omnia in tuto locat : munitio, quæ facit ut tantæ artis fructus ad eos perveniat, qui cā utuntur. Hyginus quidem brevis etiam est, sed non aliâ de caufâ, quam quod jam pridem vulgata & à pluribus pertractata hæc pars, multis verbis non egeat.*

*Munitionem extinalium observatur generibus quinque.) Munitio æstivalium observatur generibus quinque. Castrorum duo genera æstiva & hiberna fuisse notum est : sed hæc veteres illi & prisci Romani diu ignoraverunt ; continentia quidem cum accolit bella ; sed tamen ita gerere consueti, ut hiemæ quasi à rerum naturâ & tempore anni induciis factis dimitterent semper militem, in domosque & tecta sua reducerent. Observione Vejorum anno ab urbe condita circiter trecentesimo quadragesimo octavo instituta primum hiberna, & quia res nova militi eoque gravis stipendiis, ut ait Florus, taxata. Servabatur tamen diu post illa tempora, quoties licebat, mos antiquus & hibernacula adeo in promiscuo usu tunc non erant, ut etiam pro poenâ irrogarentur. Frontinus. P. Valerio consuli Senatus præcepit exercitum ad Sirin, viætum ducere Setinum, ibique castra munire & biemen sub tentoriis exigere. Bello Punico secundo militum qui ex Cannensi prælio fugerant, ignominiae hoc legitur inter cætera adjectum. Ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent. Equidem mali moris solutæque disciplinae semper habitum equitem, non tantum peditem per oppida, vicos aut villas sparsum sub tectis & in umbra æstiva agere : ostendit hoc, P. Scipio Africanus, cui cum relatum esset, bene magnum Carthaginem equi-*

equitatum per æstatem sub tectis contineri: *Sint*, inquit, *vel plures dum talem habeant ducem*. Tam mollis effeminatique animi, tam corruptæ licentiæ maximo Imperatori videbatur, quod hodie in morem vertit, equites, æstivo [tempore domos](http://www.libtorol.com) circumspicere & recessum, ut quātamvis multitudinem adoriri non dubitaverit, nec sibi magnoperè inquirendum de numero eorum putaverit, quos tam molliter haberi comperrisset. Proprio enim rerum agendarum & ipsius quodammodo virtutis tempore alibi quam sub dio aut pellibus habitare, quid nisi dedecus, nisi flagitium rei militaris æstimarent homines in castris educati, in iisque tantum rei bene gerendæ momentum ponentes? Solebant tamen ferè, ut diximus, remittere aliquid de virtute, nec vulgaris duritiae habebatur, ne hyeme quidem domos subire. Jactantia hæc erat Ariovisti: *Invictos Germanos, exercitatisimos in armis, intra quatuor decim annos tecta non subiisse*. Sed postquam longinqua & gravia bella procul à domo traxere, militem militiamque perennem fecere, nullo præstituto militandi tempore, nisi quis legitimorum stipendorum esset, aut bello confecto domum reduceretur: non raro disciplinæ interfuit, ut tam hyeme, quā æstate in castris continerentur, quo semper velut in procinctu adversus hostem stantes neque insidiis locum præberent, neque hosti laxamenti aliquid darent ad respirandum, viresque recolligendas: simul ut inter externos & sæpe pessimos mores remoti ab oppidorum vitiorumque contactu sanctius & incorruptius agerent. Sed ista hibernacula non tantum exteriorius adversus omnes conatus hostiles magno opere emuniebantur, sed & interius laxius disponebantur multo paratu multaque curâ; sæpe lapide vel faxo contra inclemantium & injurias aëris ædificabantur, præsertim quæ in finibus imperii aut ferocibus & nondiu satis pacatis nationibus sedes belli aut servitutis plurimumque annorum hiberna, rationem quidem & ordinem castrorum; cæterum omnia in modum municipii habebant. Ideoque & tractu temporis magis magisque adauctæ, quædam eorum claris aliquot oppidis originem dederunt. In hibernis aliarum nationum sæpe etiam notari videoas, quod arundinibus, ligno & stramento intecta. Livius: *Milites in portis muriisque sibimet ipsos tecta coegerat militariter ædificare: erant autem pleraque ex cratibus & tabulis facta, alia arundine texta, stramento intecta omnia, velut de industria alimentis ignis*. Idem XX. *Hibernacula Carthaginemsum congestâ temere ex agris materiali exædificata lignea fermè tota erant*: Et in Cæsare nî fallor, tabernacula lego stramentis & arundinibus hibernorum causâ intecta: sed aut extra insidiarum periculum posita, vel utique non ex disciplinâ rei mi-

litaris veteri ædificata fuisse certum. Nam Romani hiberna quidem cura majori exædificabant, tamen ignis alimentum in castris fugientes, tam hæc quam æstiva sub pellibus vulgo agebant. De primis ad Vejos hibernis, Florus. *Tunc primum sub pellibus hiematum.* De iisdem Livius. *Militem Romanum in opere ac labore nivibus pruinisque obrutum, sub pellibus durare.* Cæsar. ibique sub pellibus hibernare constituit. De hibernis Corbulonis, Tacitus Annalium XIII. *Adjectaque ex Germania legio cum equitibus alariis & peditatu cohortium, retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme adeo fœsa, ut obducta glacie, nisi effossa humus tentoriis locum non præberet.* Sed de hibernis hic non agit Hyginus. Æstiva vel in unius noctis transitum ponebantur, quæ absque alia adjectione castra dicuntur, & inde castra pro uno die, aut unius diei itinere: ut *primis, secundis, tertis, &c. castris*, ad aliquem locum pervenire: vel in plures dies aut aliquod tempus: *Stativa Latini, χρόνιον ἀπληκτον* vocant sequioris ævi Græci: in plures, inquam, dies: nam & hæc stativa dicuntur, non tantum quæ in longum tempus ponebantur, ut putat vir doctus. Livius in XXXVII. *Ibi plures dies stativa habuit: & in XXXIII. Ibi quās ociosas stativa erant, crebro decurrere militem cogebat.* Hoc tantum intererat, quod quæ in diuturnam mansionem instituerantur magnitudine operum & laxitate totorum castrorum hibernaculis propiora: ordo & ratio eadem erat. Sed ne in illis quidem munitionem intermittebant, nullamque noctem sine muro confidebant, ne in pacato quidem ex prisca disciplina. In hostico etiam posterioris ætatis Tactici jubent. Onosander cap. VII. *Ενδέ δὴ τὸ ἔχθρων κατέσχεταιον χάρακα περβάλλεθαι ἢ τύφεον οὐ εφ' ἡμέραιν μέλλει τὸ παρεμβολικὸν θήσειν.* Quæ & sequentia capituli octavi & noni, Leo mutatis dicam an corruptis, ut solet, paucis verbis in suum convertit, constitutione XI. §. 2. 3. 4. & 5. Immò etiamsi pugnare decreturna esset, non sinebat tamen disciplina militaris ad universæ rei dimicationem venire, nisi castris positis, communisque. Diximus id supra: nunc veterum autoritate probemus, ne cui hæc (ut solent hodie dura) fabulosa & composita videantur. Nec tibi hic adducemus Paulum Æmilium (quamvis hic unus instar omnium esse possit) ne quis ætate senili frastum, & cæteris Imperatoribus tardiorum & consideratiorem factum existimet, sed fortissimos & calidissimos Ducum, qui ultro lacefere hostem ac fortunam prælii experiri in votis semper habuerunt. Marcellus ille primus Romanorum, qui ostendit Hannibalem in acie non esse invictum, cum instaret, urgeret, ab eo & vestigio ejus non discederet, tanquam arderet pugnandi cupiditate, ut castra castris nunquam satis duce-

ret collata: tamē hanc legem militiæ nusquam neglexit; priusquam in hostem duceret castris positis, cupiditati suæ & casibus incertis præliorum semper intercessit. Livius XXVII. *Marcellus vestigiis instabat, castra que castris conferebat, & opere perfecto, extemplo legiones in aciem inducebat.* Non aliter Caius Marius, qui bello Cimbrico quum pronuntiasset facturum se militibus pugnandi potestatem, eosque quanta maxima alacritate in hostem ferri & paratismos ad prælium ineundum esse conspexisset. Sed munienda, inquit, primum castra sunt, remque in posterum diem distulit. Idem in magni Cæsaris actis passim observari potest, ne in bellis, quæ maxima celeritate velut vincendo confecit, Romanæ disciplinæ & providentiæ castrensis non fuit memor, de Bello Gallico VIII. *Cæsar castris eo loco metatis, muniri jubet castra, absolutis operibus legiones pro vallo instructos collocat.* De Bello Civili III. Terio die Macedoniæ ad Pompejum pervenit juxtaque eum castra posuit & postridie eductis omnibus copiis, acie instruta, decertandi potestatem Pompejo fecit. & alibi. Quare non immeritò. Livius Bello Gallico hoc peccatum tribunorum militum consulari potestate exagitat: *Ab undecimo, inquit, ab Roma lapide, tumultuario exercitu raptim ducto, ægrè occursum ibi tribuni militum non loco castris ante capto non præmunire vallo quo receptus esset, non deorum saltem, si non hominum memores nec auspicio nec litato instruunt aciem.* Multis enim magnisque subsidiis se privant, hæc qui negligunt loco æquiori pro castris ad certamen: receptaculo hostevicto vel dilata pugna: perfugio, si quid secius acciderit: qui sunt igitur isti, qui segnem istam vocant sapientiam parumque Martii ac virilis animi? Barbari quibus omne opus, omnis cunctatio servilis, remque in ancipitem aleam dare quam prudentia vincere potius videtur. Timida tu hæc putas consilia? At ferocissimas fortissimasque nationes vicerunt: morari victoriæ? At illi usurparunt qui incredibili celeritate confecerunt bella orbeque terrarum triumphis suis peragrarunt. Ita enim institerunt fortunæ suæ, ut rationem semper & disciplinam in concilio habuerint. Legimus quidem interdum pugnatum ex itinere & castris nondum vallatis certamen contractum; sed raro admodum sponte ducum Romanorum; nisi forte cum occasionis non præliai res esset, aut cum illo hoste negotium, quem in aviis, latebrisque delitescentem majoris operæ esset protrahere, quam vincere. Alioquin instantे & instructâ acie se offerente hoste, is mos Duxum Romanorum fuit, ut contra quidem instruerent, ne certamen detractare viderentur, sed suis se locis continentibus quantum liceret, hostem non lacesserent. Primâ potius & secundâ acie instructâ, tertiam ad opus applicabant, aut si minus periculi solâ primâ acie, sicut constituta erat manente,

duas alias castra munire præcipiebant. Veteri militiâ triarios sæpe interdum & hastatos & trianos sic opus perfecisse legimus : recentiori similiter tertiam vel & secundam & tertiam aciem. Livius III. *Trifariani Romani muniebant, alius exercitus prælio intentus stabat.* Cæsar de Bello Civili. I. I. Cæsar in præsentia similem rationem operis instituit, singula latera castrorum singularis attribuit legionibus munienda, fossamque ad eandem magnitudinem perfici jubet, reliquas legiones in armis expeditas contra hostem constituit. Hirtius bello Africano. *Dum hæc opera fiebant à legionibus, interim pars aciei ante opus instructa sub hoste stabat.* Eodem. Cæsar deterritus non est quo minus prima acie pro vallo instructâ, reliqua pars exercitus opus ficeret : Sed obvia passim exempla sunt. Vegetius, quoniam in Cæsarum militia haud paulo major multitudo munerum vacationem habebat, munificibus opus facientibus omnes equites & eam peditum partem, quæ non operatur privilegio dignitatis, ante fossam in procinctu armatam vult consistere, ut ingruentes repellat hostes. Nam hoste vicino omnino necessarium instructas quasdam copias manere. Solebant enim tum imprimis aciem ostentare vel velitatione laceſſeré ad tardandum opus caſtrorum. Scriptor belli Africani. *Consuetudine per vulgata militari credebat instrui Cæsar ad opus suum tardandum, quo plures in armis tenerentur.* Idem. *Cum ei nuntiatum effet ad impediendos milites suos & ab opere depellendos hostem propius accedere necessaque haberei legiones è munitiobibus deducere.* Sæpe etiam rei bene gerendæ occasionem aucupantes, dispersos in opere de improviso aggrediebantur ; quemadmodum Nervii apud Cæarem Romanos non sine summo periculo calamitatis accipiendæ, nisi veterani & multis præliis exercitati milites instruxissent, sese sponte sua & pænè ducis munia ipsi implevissent. Opus Romani æquis partibus distriuebant. In exercitu consulari duabus legionibus cum pari numero sociorum Latini nominis, duo latera Romano, duo socio exercitui munienda dabantur. In majori exercitu æquæ quoque partes pro portione adsignabantur. Illud tamen discrimen hic veteris & novæ militiæ, quod quoties pars exercitus in acie contra hostem staret, pars muniret ; illa, semper pars cuiusque legionis, puta, triarii & principes, opus ficeret : pars alia, hastati, in acie maneret : hac verò sæpe integræ legiones instructæ, aliæ totæ operi applicabantur. Sic quoque in Cæfare non omnes legiones, sed quæ primæ advenerant opus fecisse legas de Bello Gallico. II. *Legiones sex, quæ primæ advenerant, opere dimenſo caſtra munire cœperunt.* Ac ideo fortassis etiam ordinem agminis mutatum ac de eo fortitas legiones in Tacito legimus ; ne quædam aut tardius accederent, aut omnino ab opere immunes essent. Tribuni quorum in imperio vices erant, præterant universi operis pro-

probationi. Interdum & legati, ut apud Cæsarem Nerviis aggredientibus: hi igitur universum opus regere, curare, ut singulis cohortibus centuriisque æquæ partes obvenirent, & quæ obvenissent ex disciplina perficerentur, instare operi, nec nisi perfecto discedere. At singula<sup>s</sup> partes centuriones decempedis dimensi militibus distribuebant, providebantque, ne quid ignaviâ aut errore alicujus peccaretur. Ita omnis munitio multitudone operantium opus accelerante, celerius quam suspicentur imperiti perficiebatur. Peractâ munitione copiæ pro vallo instructæ, ordine se intra munitionem recipiebant. Exemplum habes in Cæsare contra Petrejum & Afranium duas acies instructas continentे & interim occulte opus perficiente. Leo constitutione X V I. Quando exercitus castra positurus est, ne perturbatè aut confusè ad castra fossati transeat, sed si hostes imminent & pedites exercitui nostro adfuerint, currus omnes ex ordine ponant & fossas undique ad modum valli ducant. Expediti autem milites, ei ἐξπλήντο, omnes parvo intervallo instructi, ab illis distent, tumque apparatus & impedimenta ordine ingrediantur in castra; ubi autem excubias vigiliasque emiseris, tunc armati ipsi ex ordine ingrediantur & castra ponant, & si hostes prope non adfuerint, satis erit uno drungo instructo hanc formam observari, ut reliqui castra muniti.

*Fossa vallo agmine agremmis.*) Valesius. *Fossa*, *vallo*, *aggere* & *agminibus*. Nos ordinem Hygini in explicandis his quinque generibus secuti, legimus: *Fossa*, *vallo*, *cervolis*, *armis*, *aggere*. Cervolorum hic quidem nec vola nec vestigium; sed quum descriptis fossæ vallique rationibus ad cervulos transeat, iisque uti præcipiat, tanquam singulari genere munitionis, ubi neque fossa fieri neque vallum extrui potest; non est simile vero hic omisisse: *Cervolis* deficientibus armorum ordinibus castra muniti; postremo aggere.

*Fossa loco securioris causæ disciplinæ.*) Scribo. Fossa loco securiori sit causa disciplinæ. De loco suspectiori omisit, cum alioquin loco suspectiori securitatis, securiori disciplinæ causâ fossa fiat. Operæ pretium est observare, non in priscis Tacticis (quid enim facilius quam ardua præcepta dare?) sed in historiâ Romanâ, quomodo maximi quique Imperatores non tantum continentibus armorum exercitiis, sed etiam operum labore militem sive in pace sive inter media prælia præliis paraverint: non loquor nunc de circumvallatione urbium munitarum, aut hostilium munitionum, aliisque operibus ad claudendos obsidendoisque hostes, aut securitatem exercitus per ingens terrarum spacium ductis, quorum in historiâ Romanâ miracula quædam sese offerunt, adeo nostris moribus incredibilia

dibilia , ut sint , qui in numerum fabularum adscribi velint : quæ quamvis talia sint , apparent tamen quorū spectent : sed de operibus loquor : quibus ad formandum militem usi sunt. Ut alios omittam , Julius ille Cæsar , qui jaētare solebat , milites suos etiam unguentatos , bene pugnare posse , bello tamen Africano tironum exercitum naētus , nihil prius habuit , quām opere eum fatigare , tantumque in eo posuit , ut rem in aleam certaminis deducere non sit ausus ; adeò ut hostibus jam se ipso tardior & consideratior factus & de solitâ bellandi consuetudine & celeritate excessisse videretur. Scriptor ejus belli. *Cæsar jubet milites rursus ad opus redire , & per causam munitionum tirones in labore defatigare non intermittit* : Idem. *Cæsar non more superiorum Imperatorum in hibernis exercitum continebat ; sed tertio quartoque die procedendo propiusque hostem accedendo , castra communiebat opereque faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem , quod legiones non uno in loco contineret , sed pér causam frumentandi buc atque illuc raptaret*. Et hic ille Cæsar qui si quis alius militem armis instruere norat ; sed tamen qui ut diximus , non minori indulgentia , quām severitate disciplinam regeret : nec nisi necessario labore militem fatigaret , quippe quem per causam facilitatis & benignitatis studebat sibi acquirere ; reipublicæ corrumpebat : plane ut hujus solius exemplo probari satis possit , veteres Duces operum laborem non minus ad victoriam , quam ad disciplinam conferre existimavisse , nec credidisse satis arma militi , quem non prius ligone exerceuissent. At cæteri Duces etiam tuendæ disciplinæ cauſā , militem operibus duraverunt & contra otium pugnaverunt , ut ita dicam , in otio tam veteri republica quam sub Cæsaribus. Ita Flaminius , ne in otio militem haberet , viam à Bononiâ perduxit Aretium. Livius XXXIX. P. Nasica in hibernis , quamvis classis usus necessarius non esset , ne tamen desidia miles corrumperetur , naves ædificare instituit , ut autor est Frontinus. Corbullo ne segnem militem attineret , inchoatum à Druso aggerem Rheno coërcendo absolvit. Obvia passim in historia Romana exempla. Quid dicam pontium , theatrorum , basilicarum , aqueductuum & similes struturas , non nisi à milite factas ? Raro enim bene illis cessit desidia & otium militare : magno steterunt intermissa munera corruptamque disciplinam vel seditione militari vel clade ab hoste , malo aliquo publico semper luerunt. Fossâ solâ absque vallo etiam Cæarem castra communivisse lego , sed ut hostem falleret , quem intelligere nolebat munitionem fieri , de Bello Civili. I. *Ne in opere faciendo milites repentina hostium incursu exter- verentur , atque opere prohiberentur , vallo muniri vetuit , quod eminere & procul*

procul videri necesse erat, sed à fronte castrorum contra hostem pedum XV fossam fieri jussit: prima & secunda acies in armis, ut ab initio constituta erat, permanebat: post has opus in occulto tertia acies faciebat: sic omne prius est perfectum quam intelligeretur ab Afranio castra muniri. Idem stratagema refert Frontinus. C. Cæsar cum adversus Afranium copias educeret, & recipiendi se sine periculo facultatem non haberet, sicut constituerat prima & secunda acie furtim à tergo ad opus applicata, X.V pedum fossam fecit. Manifestus defectus: neque enim prima & secunda acies furtim ad opus applicari potuit, neque in Cæsare ex quo hæc descripta, ulla obscuritas, quo fecius intelligi potuerit: fortassis ita supplendum: manente sicut constituta erat prima & secunda acie, tertia furtim à tergo ad opus, &c. vel, furtim tertia ad opus, &c.

Cujus species est.) Id est, cuius forma. Livius. Miratus dicitur & universam castrorum speciem. Frontinus. Angulus autem omnis species capit duas, planam & solidam. Idem. Aliæ species & formæ per quas frequenter arcifiniorum agrorum quadratura concluditur.

Fatigata dicitur quæ à summam latitudinem lateribus debexit in angustiam ad te dolum conjuncta pervenient.) Scribo: Fastigata dicitur, quæ à summâ latitudine lateribus devexit in angustiam ad solum conjuncta pervenit. Res per se clara est. Cæsar de Bello Gallico VII. Scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur paulatim angustiore ad infimum fastigio. Idem. Fossam pedes viginti latam directis lateribus duxit, ut ejus solum tantundem pataret; quantum summa labra distabant. Summa labra vocat Cæsar, quam noster, summam latitudinem: & infrà, ripam. Sic labra summa fluminis in fragmento Sisenæ apud Nonium pro ripis, quas & Græci & Hebræi suo idiomate per translationem sic appellant. Summæ latitudini, opponitur, solum: quam vocem hic Hygino restituimus. Rutgersius legit: ad titulum conjuncta, &c.

Punica dicitur quæ lateri exteriori ad perpendicularum dirigitur contrarium devexum sit quod in fatigata) Scribe: Punica dicitur, quæ latere exteriori ad perpendicularum dirigitur, contrarium devexum sit, quemadmodum in fastigata. Quæ sit ripa ad perpendicularum directa, jam docuit nos Cæsar. Directo latere cuius solum tantundem pateat quantum summum labrum. Sed utrumque ferè latus ad perpendicularum dirigit. Hirtius. Fossam duplum pedum quinum denum lateribus directis. Quam speciem Hyginus hic prætermisit, fortassis, quia improbat; exteriorem tantum ripam latere directo; interiorem fastigatam fieri jubens, haud dubiè propter incumbens onus pondusque valli ne ripa decidat. Quare Punica dicatur, non

Q

obser-

observavi : fortassis , quod in fossis aut ædificiis Pænorum tale aliquid : hodie propter soli teneritatem utrumque latus , sed interius tamen magis devexum facere tutius censem.

[www.libgo.com/en](http://www.libgo.com/en) Quibus latitudo dari debet ad minimum pedem quinque altum pedes tres . )

Lege : Quibus latitudo dari debet ad minimum pedum quinque , altitudo pedum trium . Minima hæc fossæ latitudo & altitudo , quam tumultuariam vocat Vegetius . Quod si terra solutior fuerit , ut ad similitudinem lateris cespes non possit abscondi , tunc opere tumultuario fossa perducitur lata pedes quinque , alta tres . Alibi tamen & tumultuariam majorem facit . Lib . I . cap . XXIV . Deinde tumultuaria fossa sit lata pedes novem & alta pedes septem : sed ubi vis acrior imminet hostium , tunc legitimam fossam ambitum convenit munire castrorum . Ita ut duodecim pedes lata sit & alta sub linea ( sicut appellant ) pedibus novem . Legitimam fossam opponit tumultuaria . Sed & in hujus latitudine definiendâ , rursus secum ipse concors non est , jubens imparem numerum observari . Fossam , inquit , aperium latam aut novem aut undecim aut tredecim pedibus , vel si major adversariorum vis metuitur , pedibus decem & septem : imparem enim numerum moris est observari . Certissimo arguento librum ex diversis autoribus compilantem , nunc hos , nunc illos secutum esse : hic verò , ut videtur , superstitiobus addictum aliquem quod genus imparem numerum magis faustum & prosperum habebat . Alioquin non video id vulgo observatum . Cæsar qui fossarum latitudinem satis diligenter describit in munitionibus castrorum , alibi denum , alibi duodenum , alibi quindecim , alibi novendecim , rursus alibi viginti pedum facit . Josephus quatuor cubitorum : τάφρος ἔχον περιβάλλεται βάθρο περάπληξ ή ἐνθρόν . Africanus dat septem vel octo pedum latitudinem , quinque pedum altitudinem : γύροθεν ἦ πέτρες φοράτες δεῖ ὅργυειν τείχον τὸ μὲν βάθρο ποδῶν . εἰ τὸ δὲ πλάτον ποδῶν ἔωτα ή ὀκτώ . At Leo latitudinem quinque aut sex pedum , altitudinem septem aut octo , quæ & sequentia , ut & alia non pauca descripsit ex Africano , dissimulato , ut solet , nomine autoris ; in quo tamen excusandus videtur , quod eo in Africanum jure utitur , quo Africanus in alios : Nam hic Æneas Tactico tota capita tantum non ad verbum surripuit , neque dubito , quin aliis alia , quod manifestum foret , si aut prisci illi Tactici supererent , aut eos qui latent etiam nunc in Bibliothecis , omnes nobis videre contigisset . Africani autem numerum saniorem , quam hunc esse suspicor , quia interdum æqualem altitudini latitudinem , sæpe majorem , raro minorem dari observo : illud apparent crescente ignavia militari , munitionum magnitudinem paulatim decrevisse : olim vigente

vigente disciplinâ Romanâ legitimam fossam vix denis pedibus minorem  
 arbitror fuisse, quanta latitudo requiri videtur, ut ne tam facile repleri  
 fossa & scindi vallum possit: at non raro majorem: imò in obsidionibus  
 & imminentे hoste, majori longe opere, dupli sæpe fossâ valloque alif-  
 que munimentorum generibus castra sæpe firmabant: ut in obsidione  
 Alesia fecit Cæsar: cuius filius Octavianus obsidens Perusiam, fossis  
 triginta pedes altitudinis tantundem latitudinis habentibus, castra sua  
 amplexus fuit. Nec immensi laboris res est. Non sua tantum, sed hosti-  
 lia etiam castra intra paucas horas sæpe circummunierunt. Autor Livius  
 in tertia Historiâ, M. Geganius consulem de quartâ vigiliâ signa protu-  
 lisse, ut hostilem Volscorum ad Ardeam munitionem circumplete retur,  
 ceptumque opus atque adeò approperatum fuisse, ut sole orto Volsci firmiori se  
 munimento ab Romanis circumvallatos, quam à se urbem viderent, aliaque  
 simul parte consulem muro Ardeæ brachium injunxit, qua ex oppido sui com-  
 meare possent. Vides celeritatem, post quartam vigiliam coeptum, ante  
 lucem perfectum opus, & vides circuitum haud dubiè longiore, aliena  
 castra & quidem Ardeam obsidione amplexa circumvallarunt. Et ne pu-  
 tes Romanos illos veteres vires ultra fidem immanesque quosdam & ad  
 opus natos præ cæteris gentibus lacertos habuisse; Nervios intuere, in-  
 gentem quidem vim, sexaginta millia, sed tamen hominum Gallorum,  
 hoc est, rudium operis & laboris intolerantium & ne ferramentorum qui-  
 dem copiam habentium. Hi Q. Ciceronis hiberna oppugnantes, gladiis  
 cespitem circumcidendo & manibus sagulisque exhaustiendo curram, fos-  
 sam quindecim & vallum undecim pedum in circuitu XV. millium pas-  
 suum minus tribus horis & quidem hibernis & brevioribus perfecerunt.  
 Ergo ut miles his non sit intructior, neque peritior castra mille sex-  
 centorum passuum, qui est circuitus castrorum Polybii & Hygini, tre-  
 decim millia militum intra horam & dimidiā; viginti verò millia intra  
 horam e jusmodi fossa valloque communire potuerunt. Non loquimur mi-  
 racula. Illis, tribus horis pes adiectâ quintâ: his, intra horam tertia, nî  
 fallor, & quinta decima pars pedis ex illa latitudine & altitudine, quam  
 diximus, fossæ vallique singulis perficienda fint. Quare adsit modo ratio,  
 adsit studium bonarum rerum, omnia faciliora & leviora evadent, quam  
 credant imperiti. De circumvallatione alibi plura dicimus.

Regressus pedibus exterius sexaginta per latitudinem portarum.) An potius? Egressu pedibus exterius sexaginta. ut supra. Introitu prætorii partis  
 mediae. Cornelius Nepos Hannibale. Quo repentino obiecto viso, tantum ter-  
 rorem injectit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus.

*Similiter fossa fiet quod præter brevitatem Titulum est cognominatum.*) statim. Ut *Titulus ad fossas ad vallum*. Scribit Festus, milites ipsos titulos dictos. *Tituli milites appellantur, quasi tutuli, quod patriam tuerentur; unde & Titus prænomen ortum.* Dicebatur & *Titulus suggestus* comæ in formam galeri. Varro. *Tutulati dicti hi, qui in sacris, in capitibus habere solent ut metam, id titulus appellatur, ab eo quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis habent, uti velatum dicunt tutulos.* Item pallium quo vela- bant caput. Fulgentius de prisco sermone. *Numa Pompilius & ipse de pontificalibus scribens, tutulum ait dici pallium, quo sacerdotes caput tutabant, cum ad sacrificium accessissent, sicut & Virgilius ait:*

*Et capita ante aras Phrygio velaunt amictu.*

Simili fortassis ratione propugnaculum hoc ante portas aut fossa ejus ( so- let enim usus partibus sæpe dare nomen, quod toti rei magis conveniret ) à tuendo titulus appellata ; præsertim cùm rotunda ad similitudinem ga- leæ & suggestus in capite ; & quemadmodum hæc caput, sic illa portas castrorum defendant & tueantur. Hyginus simpliciter propter brevitatem, ait , ita appellari. Ita enim videtur scribendum. Quæ propter brevitatem Titulus est cognominata.

*Ballum loco suspectiori extrui debet cespite.*) Vulgaris valli materia, cespites & terra, unde & ab aggestu terræ dictus agger : ut & Græcis χῶμα & χῶσις, ἀνὸς & χωρύειν, quod est, aggestu terræ vel glebarum obruere. Inde & rei rusticæ scriptoribus fossa & terreus agger, militare sepimentum, dicitur. Varro. *Tertium militare sepimentum est fossa & terreus agger.* Sanè , re ita exigente & dante loci natura, struebatur etiam lapidibus vallum vel materia sive concædibus ( σάλιον Græci vocant ) sed frequentissime cespite. Hic vulgaris later militaris faciendo castrorum muro, excindebatur : nec temerè , aut pro libitu cujusque , sed ad certam normam ; formam que ut lateres. Vegetius. *Cespes fit altus semissim, latus pedem, longus pedem semis.* De laterum, quibus Romani utebantur, magnitudine, Vitruvius Lib. II. *Fiunt autem laterum genera tria, unum quod Græcè διδωρον appellatur, id est quo nostri utuntur, longum pede, latum semipede.* Cæteris duo- bus Græcorum ædificia struuntur : ex his unum πεντάδωρον, alterum πετεῖδωρον dicitur. Quem locum descripsit Plinius in XXXV. Sed, ut hodie quidem legitur , oppugnat. Genera eorum, inquit, tria, didoron, quo utimur longum sesquipedem, latum pede. Non dicam vocem, didoron, meritò hic viris doctis suspectam esse , quia nec Vitruvianus nec Plinianus modus hujus lateris quantumvis diversus, significationi satis convenit : hic enim ab omni parte excedit , ille solam latitudinem duorum palmarum habet,

habet, à qua nomen traxisse, non est probabile. Accedit, quod uterque  
 scriptor tetradoron & pentadoron à quinque quoquoversus palmis dedu-  
 cunt: neuter didoron à duobus: præterea in veteribus Lydium vel Ly-  
 dion, non didoron inventissim Salmasius, recipitque eam lectio-  
 nem non à mensurâ, sed à populis Lydiæ dictam. Iam formam alterius,  
 aut utriusque in vitio esse, res ipsa clamat. Philander Plinianam lectionem  
 præfert, quia Vitruvius c. VIII. Lib. II. causam, propter quam in  
 urbe Romana lateritii muri non sint probandi, hanc potissimum adfert,  
 quòd ibi plusquam una contignatione opus, & lege vetitum sit, majores  
 crassitudines, quām sesquipedales constitui: lateritii autem, nisi diplin-  
 thii aut triplinthii fuerint, sexquipedali crassitudine non possint plus  
 quam unam contignationem sustinere: unde conjicit, pedem semis unius  
 lateris mensuram, tres pedes diplinthium, quatuor semis triplinthium  
 esse; probabili quidem conjecturâ, non tamen certâ; quando mensurâ  
 Vitruvianâ paries ex latitudine & longitudine lateris queat construiri. Ego  
 potius crediderim, tam in hac, quām in illâ lectione, vitii aliquid late-  
 re: quia nihil hic de altitudine, quæ qualisunque fuerit, definiri ta-  
 men debuit; neque præternissa est in tetradoro & pentadoro quoquover-  
 sus quatuor vel quinque pedum. Plinthion propriè Mathematicis forma  
 est, cujus pari longitudine & latitudine minor altitudo *dors* cujus major  
 altitudo. Et hodie quidem vulgari lateri, non tantum minor longitudine  
 latitudo, sed etiam minor latitudine altitudo est. Considerent itaque re-  
 rum harum periti, an inde Plinii & Vitruvii discrepantia, quod omissa in  
 altero mensurâ longitudinis, in altero altitudinis; uterque depravatus  
 sit & fuerit: *Longum sesquipedale, latum pede, altum semipede*, con-  
 gruente cum Vegetiano cespite mensurâ. Nec sanè à vero absolum  
 hunc militarem, ad normam illius circumcisum, *ad cujus similitu-*  
*dinem*, ut ait Vegetius, *excidebatur*. *Quod si terra solutior fuerit ut ad si-*  
*militudinem lateris non possit cespes abscondi*. Ac lateris crudi fingendi, for-  
 mandique non imperitos fuisse milites apparuit in obsidione Massiliæ, ubi  
 Cæsariani lateritium murum struxeré. Trebonius aggeris novum genus &  
 inauditum ex lateritiis duobus muris senum pedum crassitudine atque eorum  
 murorum contignationem facere instituit, æquâ ferè latitudine. In circumvalla-  
 tione Græcorum πλινθος & πλινθα non raro invenias.

*Lapide saxo sive cimento..)* Lapide & saxo quadrato etiam in æstivis  
 murus extruebatur interdum. Virgilius.

Præfodiunt alii fossas aut saxa sudesque  
 Subvectant.

Tacitus. *Tunc montibus arduis ut signa clementer accedi poterant in modum valli saxa præstruit.*

Sive cimento.) cæmento. Ita sæpe in antiquis codicibus, aulidi, fragidi, soliciſimus & ſimilis, pro aulædis, tragoedis, ſolœcismus. Vitruvius ſaxum quadratum plerunque diſtinguit à cæmento, Lib. 1. c. 5. Sequitur ordo de lapidicinis explicare, de quibus & quadrata ſaxa & cæmentorum ad ædificia eximuntur copiæ. & rursus. Ubi ſunt ſaxa quadrata ſive ſilex ſive cæmentum. Neque dum ſatis convenit inter interpretes, quæ ſint cæmenta. Hermolaus nihil certi adſfirmat. Cæmentum Vitruvio & Plinio eſſe lapides, quo cum alibi tum Romæ ut antur exciſo monte aliquo aut effoſſo: Sipontinus. Lapides parvos aptos ad ædificandum. Philander. Lapidem rudem, non cæſum, vulgarem eſſe. Salmasius negat veteres cæmentum appellasse, ut vulgo ſibi perſuadeant rudem lapidem, ſed cæſum & politum ad uſum ædium, non tamen quadratum. mox tamen. Quemlibet lapidem è lapidicina cæſum, vel ex alio majore ſaxo deciſum cæmentum dici. & rursus. cæmentum lapidem iſum cæſum è lapidicina & æquatum ad ſtruenda tecta. Non habent quod ſibi exprobrent: in tantâ varietate aliiquid omnes veri dicunt, & tamen ex parte falluntur. Nam Vitruvium attente legenti ſatis liquet, cæmenta eſſe lapides, non quadratos, qui ſive quod ſine delectu & respectu formæ forte temere tantum cædantur, ſive quod cædendo lapide quadrato hinc inde eximantur, decidant & frangantur, cæmenta dicuntur. Reliquuntur hi interdum, ut exciduntur rudes & impoliti; interdum poliuntur & aptantur ædificiis, ſed non ad eandem & certam omnes menſuram, unde cæmentorum nomen retinent. Utrovis genere vallum extrui poſſe docet Vitruvius: non enim omnis fert omnia tellus: utendum eſt eo quod deſerit. Sic de muri materiâ Vitruvius. l. 1. c. 5. De ipſo muro, è qua materia ſtruatur aut perficiatur, ideo non eſt præfiniendum, quod in omnibus locis quas optamus copias, eas non poſſumus habere, ſed ubi ſunt ſaxa quadrata, ſive ſilex, ſive cæmentum, aut coctus later, ſive crudus, his erit utendum. Non enim uti Babilone abundantes liquido bitumine (pro calce & arena) & cocto latere factum habent murum: Sic item poſſunt omnes regiones, ſeu locorum proprietates, habere tantas ejusdem generis utilitates, uti ex his comparationibus ad æternitatē perfectius habeatur ſine vitio murus. Vir clarissimus legit: abundantes liquido bitumine, eo pro calce & arena & cocto latere factum habent murum. Non neceſſariâ emendatione: rō, eo, enim recte ſubaudiri potheſt, ut ſæpe fit apud veteres. rō factum, hic quoque potius retinuerim, quia non ſoliuſ meminit bituminis, ſed & cocti lateris, id eſt, omnis materiæ, ex quâ factus murus. Senſus enim eſt, ex bitumine & latere murum factum:

non bitumen pro calce & harena & cocto latere ; sed pro illis duabus speciebus fuisse. Justinus de Semiramide. *Hæc Babilonium condidit murumque urbi cœlo latere circumdedit , harenæ vice bitumine interstrato.* Salmasius. *harenati vice.* Non enim solum harenæ , sed calcis arenatæ vice interstratum bitumen : Sed ne hæc quidem mutatio necessaria. Alteram enim specierum pro utrâque posuit , ut & Plinius qui bitumen interpositum vice calcis scribit. Plinius de bitumine. *Calcis quoque usum præbuit , ita ferruminatis Babiloniæ muris ; id est , calcis & harenæ usum præbuit.* Ita & Vitruvius Lib. II. c. 4. harenam continere cæmenta dixit. *Si exemptæ (arenae fossiciæ) diutius jaceant ab sole & luna & pruindæ concoctæ resolvuntur , & fiunt terroſæ , ita cum in ſtructuram conjiciuntur non poſſunt continere cæmenta.* Sed ut ad murum caſtoriorum revertamur : parum referre ait , ſaxis an cæmentis agger extruatur. *Quid mirum ? cum ratio temporis & neceſſitates bellicæ ſæpe jubeant qualicunque materiâ aggerem replere aut vallum extruere.* Sic totas arbores , arborum truncoſ , ramorum & virgulorum fasciculos , & quicquid natura loci ſuppeditat , in hunc uſum vertit ſæpe neceſſitas. Legimus quinimo cadaveribus occiſorum vallum extruētum & mortuos ſuperstitiibus factos munimentum. Scriptor bellī Hispaniensis. *Ex boſtium armis pro cespite cadavera collocabantur , ſcuta & pila pro vallo insuper , & gladii & mucrones & capita hominum ordinata.* Hannibal hac ſævitâ dicitur ſuos efferaffe & ab humanitate , quæ effæminatum & molle nescio quid , illis feris videtur habere , ad immanem & ſævam virtutem traduxiffe. Livius. *Hunc natura & moribus immitem ferumque insuper dux ipſe efferavit ponib⁹ & molib⁹ & humānorū corporū ſtruē faciendis.*

*Sufficit latus ped. VIII. altum ped. VI.)* Latum ped. vel ſufficient latitudini pedes octo , altitudini ſex. Hanc quoque partem operis , labente re Romanâ , desidia imminuit. Vegetius enim murum instrui jubet altum tribus pedibus ſupra terram , ubi viſ acrior immineat hostium quatuor pedibus. At Cæſar denum aut duodenum pedum plerumque , Libro. V I. de Bello Gallico , Libro III. de Bello Civili & alibi. Interduum & majori opere muniebant ; ſed ne te deterream , non ſæpe. Quippe Cæſar in obſidione Alexiæ , illa caſtra tantis operibus munita , quibus vim totius Galliæ , & illum postremum libertatis bellicosimæ gentis impetum sustinuit , non vallaverat , niſi vallo duodenum pedum : ſed turres inaedificabant , loricas pinnasque vallo adjiciebant , quarum cum tam crebra in historiis mentio , miror Hyginum hic obliviſci : præfertim cum res ipsa illis armis & tormentis apprimè neceſſaria : turres ut ſupernæ & ab latere aperto vulneraretur hostis : loricas pinnasque , ut ne milles

les in vallo consistens & propugnans, hostilibus telis nudus objiceretur. Nam vallum illud vulgare non erat illis pro loricâ, sed loricam ei inædificabant. Cæsar. *Castra imperat vallo pèdum duodenum muniri, loriculasque pro hac ratione ejus altitudinis inædificari.* Adscendebant enim vallum propugnantium primi. Cæsar. *cum celeriter nostri arma cepissent vallumque adscendissent.* Idem. *Ad arma concurrunt, vallum adscendunt.* Virgilius.

Ferte citi vallum, date tela, scandite muros.

Idem infrà Hyginus vult, cum jubet, *in hostico adscensus valli duplices & frequentes fieri.* Neque enim prohibere potuissent ne compleretur fossa, scinderetur vallum & munitio perrumperetur, nisi fuissent qui insisterent & è loco superiori in hostem pugnarent. Quid igitur prætermisit Hyginus rem tam utilem? An quia illo ævo in vulgari & quotidiana æstivorum munitione, quam nunc docet, nullæ neque turres, neque pinnæ, neque loricæ? & satis videbatur propugnantes è vallo beneficio loci superioris uti? Legimus sanè aliquoties castra absque his munita & castris jam munitis oppugnante hoste demum adjecta, argumentum in castris utique in unius noctis transitum positis non fuisse. In ipsis hibernis Q. Ciceronis Nerviis jam oppugnantibus turres & loricæ demum ædificabantur, auctore Cæsare de Bello Gallico V. Adde quod sub Imperatoribus, major quā ante à tormentorum copia castra defendebat; sed de horum ratione, uti de turrium quæ observavimus, dicere non est hujus brevitatis. Sub Imperatoribus tamen saepe tam humili depresso munitione, castra vindentur cincta, ut lorica quam vallum verius fuerit. Unde & scriptoribus illius ævi, vallum & totum opus castrorum lorica aliquoties appellatur.

*Et lorica perbe sis similiter.*) Scribo. Et lorica parva fit similiter. Si hæc de lorica vallo inædificatâ intelligas, poteris Hyginum hac culpâ absolvere. Sed dubito, an titulo loricam tantum pro vallo esse velit. Loricæ erant interdum vimineæ ex cratibus pluteisque, interdum ex lapide aut terra, munitiuncta ad tegendum pectus objecta, unde & nomen traxit: quod tanquam lorica militis pectus: sic hæc omnium propugnantium defendet. Interdum etiam pro justo vallo sumitur, ut diximus, sive quia pars valli, sive quia vallum eorum lorica, qui post vallum itabant. Florus, munitionem Cæsaris ad Gergoviam *loricam* vocat. Vegetius totum opus, quod turribus, vallo, sudibus confitat, appellat *loriculum*, libro V. vide quæ de lorica Lipsius in Poliorceticis.

*Ante portas ut titulus ad fossas ad ballum*) Hæc sunt inquinatissima. Nobis videbatur: Ante portas ad titulum, ut ad fossam vallum. Loricam enim

enim hanc post vallum & cum vallo describens, ut anteà titulum statim post fossam persuadebat tituli vallum esse: sī de universorum castrorum loricā accipere placuerit, hæc aliter emendanda sunt. veluti: Ante portas, ad titulum, ad fossam, ad vallum.

*Causæ instructionis sanctam esse cognominatum.)* Hæc quoque dubium, an ad solam loricam tituli, an & ad fossas & vallum referenda: nam locus quo dicitur suadet, ut ad proximè præcedentia, constructio verborum ut ad vallum referatur. Et erat sanè sanctum vallum: *Inde si vallum quis transcendisset, aut per murum castra ingressus esset, capite puniebatur: si quis verò fossam transiliisset militiā rejiciebatur,* ut testantur Modelinus & Rufus. Sed idèo sanctum cognominatum esse non dixerim, veri mihi etiam nunc similius videtur, loricam hanc ante portas, *loricam sanctam, dictam,* eique ut fossæ ad quam posita, singulare nomen fuisse. *Causæ instructionis:* potest explicari, causâ instructi operis, ut *instructio balinei* apud Plinium: si quis tamen probabiliora adfert, utraque manu amplectemur.

*Cervoli trunci ramos si ad hos decurritur si soli natura nimia teneritate cespes fragoritur.)* Facilis emendatio. Si soli naturæ nimia teneritate cespes frangitur. De cervorum generibus, forma, usu, post Polybium & veteres Lipsius, aliisque ad necessitudinem rei dixerunt. Illud hic tantum monuerim, non videri militem, ut hæc quidem verba præ se ferunt, semper sudes portasse, quemadmodum antiquâ disciplinâ fiebat, neque semper, sed extra ordinem & ubi cespes deesset ad cervos decurrisse, cum olim ferè vallo inferentur. Etiam Tibulli ad Messalam carmen indicat pro loci ratione & situ cervolis, fossa, vallo castra enunciisse, quando dicit Messalam Tactics peritum apprime scire.

Qua deceat tutam castris præducere fossam:

*Qualiter adversos hosti defigere cervos,  
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,  
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,  
Ut facilesque tuis aditus sit & arduus hosti.*

Ubi videatur cervos defigere, quoties vallo castra non cinguntur, tamen posterioribus temporibus, fossæ & aggeri cervos vel vallos etiam adjectos, passim legimus.

*Neque lapidem mobilem nisi copiosum vallum extrui potest nec fossa fieri ut non ripæ decidant.)* Emenda. Neque lapide mobili nisi copioso, &c. Ut intelligas, ubi non sit ea copia lapidum mobilium, vel ubi nimiâ copiâ opus sit ad extruendum vallum: nisi velis, nisi composo: eo sensu. Ut lapidem mobilem cervolis componi jubeat, ne decidat.

*Quoties cervoli desunt & est locus suspicitor armorum ordinibus castrorum IIII. castra muniunt.)* Lipsius male jungit præcedentibus illa, *quoties cervoli desunt.* Valesius & hic legit: *Agminibus seu armorum ordinibus.* Scribimus ut supra: armorum ordinibus quatuor castra muniuntur, dele-  
ta voce, *castrorum.* Genus munitionis quod in scriptoribus medii & po-  
stremi ævi Romani imperii invenias: In Ammiano aliquoties legimus  
duobus, tribus & quinque scutorum ordinibus: item multiplicato scuto-  
rum ordine castra composita, Libro X X I V . *In valle gramineâ prope ri-  
vum multiplicato scutorum ordine in orbiculatam figuram, metatis tutius ca-  
stris quievimus.* Eo forsitan & Lucanus respexit, cum ait:

Agminaque interius muro breviore recepit,

Densius ut parvâ disponeret arma coronâ.

Et Tacitus historiâ. II. *Sed expeditis & tantum ad prælium egressis, mu-  
nimentum fuere arma & victoria.* Quæ etiam si aliter accipi queant, incli-  
nat tamen animus, ut de hoc genere munitionis intelligam, uti non igno-  
to veteribus Romanis: ita propter infirmitatem raro admodum usurpatum  
utique solo. Nam vallum in periculo cinxisse armis & armatis indubium  
est: Fabius milite Mariano. *Cum alii excubent armati, alii claustra porta-  
rum tueantur, alii vallum, fossaque scutis innixi cingant, cibum ipsum stantes  
capiant, tribunus inter scorta volutabitur & has solas vigilias ager.* Tantum  
armorum & armatorum in hac munitione castrorum, quæ non munie-  
bantur, in excubiis posuerunt, quantum ambitum castrorum semel,  
bis, ter, quater (quot ordines armorum constitui res postularer) ample-  
ctetur. Ex his crebras vigilias ponebant cæteris juxta cubantibus, ut  
simul hostilis tumultus increpisset, armatorum ordinibus castra cincta  
essent: militem enim à scutis suis abstrahi minimè probabile est de nocte,  
cum ordinatos etiam & compositos ordines servare & omnia ex disciplinâ  
obire, arduum est. Neque id sit castra munimento scutorum armare, sed  
militem armis spoliare. Igitur juxta scuta, pilaque sua excubabant, accin-  
eti & in occasionem parati. Cæsar de Bello Gallico VII. *Duas legiones in  
armis excubare jubet: & de Civili. I. Atque ibi sub armis proximâ nocte con-  
quiescit.* Orbiculata hæc castra describit Ammianus. *In valle gramineâ prope  
rivum multiplicato scutorum ordine in orbiculatam figuram, metatis tutius ca-  
stris quievimus.* Sive quod tum etiam castra rotunda more Græcorum fa-  
cerent, sive quod orbis in hoc genere cum munimenti nihil esset, adversus  
nocturnos impetus tutior haberetur. Postiores etiam tribulis sive mu-  
nicipibus castra muniebant, de quibus vide Vegetum & Leonem. Item  
carris, plaustrisque, quod genus carrago appellatur, & re & nomine  
bar-

barbarorum, munitum, quod nec hodie omnino interiit.

*Ut per singulos ordines vigiliæ crebrius ponantur.) Malim. Et per singulos ordines vigiliæ crebrius ponuntur. Cum nullo munito præter arma castra cingerentur, pluribus vigiliis opus erat; quo & accubantes celerius excitarentur, & effet statim manus aliqua resistendo hosti. In Cæsare etiam lego, contra irruptionem hostium dispositos de nocte milites, non certis ut vulgo spaciis intermissis; sed perpetuis vigiliis, stationibusque, ut contingenter inter se, & omnem munitionem explorerent.*

*Et equites alterna vice castra circuire debent.) Olim circuitio nocturna proprium equitum Romanorum munus erat, sed postea circitores singulare genus facti sunt: quare Hyginum de circuitione in equis, hoc est, de excubiis equitum extra castra, adducor potius ut credam accipi debe-re. Statius Thebaidos X.*

Monitu ducis acer agebat  
Amphion equites, noctem, vigilataque castra  
Explorare datus.

Vegetius. *Sciendum est, equites extra castra nocturnas excubias facere debere.*

*Tuende disciplinæ causa unus ordo armorum sufficit & vigiliæ rarius constituuntur.) Solummodo tuendæ disciplinæ causa: unus ordo armorum sufficit, & vigiliæ rarius constituuntur.*

*Aggeribus autem ita fit ballo ut si locus petrosus vel arenosus fuerit.) An? Aggeribus autem tunc fit vallum, si locus petrosus vel arenosus fuerit. Suprà. Viam inter alas tollimus, quæ tunc datur si pedatura permittit. Sensus manifestus est. Docet quando & quo loco genere quoque utendum sit, ad cervolos decurri, si soli naturæ nimia teneritate cespes frangatur, si cervoli desint & sit locus suspectior, armorum ordinibus castra muniri: nunc addit, aggere fieri vallum, si locus petrosus vel arenosus fuerit. Agger accipitur pro aggestu terræ & vallo latiori, denotatque terram, quâ latitudo vel crassitudo valli efficitur. Cæsar. Tantumque ejus valli agger in latitudinem patebat. Igitur in solo petroso & arenoso latitudine aggeris suppleri vult defectum intraestabilis terræ. Vegetius. Quod si terra solutior fuerit, ut ad similitudinem lateris cespes non possit abscondi, tunc opere tumul-tuario fossa perducitur, lata pedes quinque, alta tres, cuius extrinsecus agger excrescit, ut sine metu securus requiescat exercitus. Idem. Persæ ductis fossis castra constituunt, & quia arenosa sunt prope omnia, saccos quos inanes portant, ex pulverulentâ quæ effuditur terra, compleat, eorumque cuncto aggerens extirunt.*

Quod sine dubio aggere facto munitionem castris præbet.) Volebam. Qui non nisi duplici aggere facto, munitionem castris præbet, servari tamen videtur posse scriptura, quod, id est, quia, vel, qui sine dubio aggere facto munitionem castris præbet.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

*Angulus castrorum circinari oportet & quia coxas efficiunt instabiliunt quæ opus propugnationem tutant.) Angulos castrorum circinare oportet, & quia coxas efficiunt instabiliuntque opus propugnatione tutari. Livius. V. Quippe illos biemen sub tectis suis agere egregiis muris situque naturali murum tutantes. XXXIII. Prælia impigre inire & armis magis muros quam se ipsos mænibus tutari: Possis etiam. Circinari oportet, ut quia coxas efficiunt, instabiliuntque opus, propugnatione tuti sint. Sensus perspicuus est. Coxas, mensores appellant, angulos sive flexus & versuras terminorum rigorem non servant. Siculus Flaccus. Ergo convenientia possessionum terminos consecrat, ut ante dixeramus omnibus angulis coxisque positi esse debent. Infirmare munitionem sive instabilire opus dicuntur, quia ubi in acutum desinunt, paucissimos capiunt defensores, & ne illos quidem conjunctos in eodem ordine, nec in eandem partem convergos, sed diversos & alios alio respicientes aliumque locum tuentes. Inde fit, ut hostis adortus castrorum angulos paucis telis possit peti & à fronte tantum, non etiam ab utroque latere, ut qui cæteras castorum partes aggrediuntur: similiter qui proximè angulos oppugnant, ab uno latere tuti sunt. Et de causâ in munitione urbium angulos præcipiunt evitare, murosque per artem obliquos, aut introrsus sinuosos facere, ut non solum junctis manibus propugnatores resistant, sed latera etiam oppugnantium ad ictus patescant. Vitruvius. Collocanda autem sunt oppida non quadrata nec procurrentibus angulis, sed circuitionibus; ut hostis ex pluribus locis conspicatur, in quibus enim anguli procurrunt difficulter defenduntur, quod angulus magis hostem tuetur, quam civem. Vegetius Libro V I. cap. 2. Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum esset expositus, sed sinuosis anfraetibus, jactis fundamentis clausere urbes, crebrioresque turres in ipsis angulis ediderunt: propterea, quia si quis ad murum tali ordinatione constructum vel scalas vel machinas voluerit admoveare, non solum à fronte, sed etiam à lateribus & propè a tergo veluti in sinum circumclusus opprimitur.*

*Circinari debebunt ex angulos cohortium quæque efficiunt latitudines operis pedum sexaginta.) Fortassis. Circinari debebunt ex angulis cohortium & valli, qui efficiunt latitudinem operis pedum sexaginta. Centro positio in angulo valli, sexaginta inde pedes, quæ est latitudo intervalli adaperies: circinum & ab linea exteriori valli circinabis in alteram. Ita accipio illa.*

Uſqu

*Usque quo linea exteriores comprehendenterit quæ efficiunt pars quarta.)* Lego enim: Usque quo lineas exteriores comprehendenterint, quo deficit pars quarta. Pars quarta ferè circulo integro abest, tantum enim intra vallum castrorum: vel, [www.Libtoz.com](http://www.Libtoz.com), quæ efficiunt partem quartam, eodem sensu. Non quidem disertè adfirmat, extra an intra vallum hoc propugnaculum; nos tamen, quia ipsos angulos jubet circinari usque quo lineas exteriores comprehendenterint, in modum turrium in angulis murorum infra castra posuimus, vallumque & fossam circumduximus.

*Similiter clavicula circinatur ex linea interiore valli juncto mediae portæ.)* Et puncto mediæ portæ. Idem vitium aliquoties in Frontini expositione formarum. *Æquali junctorum diaستemate.* & paulo post iterum. *Ex quolibet juncto, qui per caput recta linea transeat.* Ubi fuit, *punctorum, & puncto.* Claviculam hic appellare videtur, totum hoc propugnaculum ante portam in formam cavæ lunæ ductum, cuius fossam *titulum, loricam sanctam,* paulò ante dixit nominari. Cum enim illa sexaginta pedes extra portam fieri jussérunt, ubi & hanc videtur circinare, illa partes hujus suspicor esse. Vegetius de portis urbium. *Ante portam addatur propugnaculum, in cuius ingressu ponitur cataracta, quæ annulis ferreis ac funibus pendet.* Cæsar's ætate eritium & cataractam, claustra portarum in castris invenio. In metu hostili, *fores etiam altiores portis & turres impositas.* Claviculæ hujus mentionem fieri non memini.

*Ad aperto circino ad cardinem porte eâ mediâ præter viæ circinabis in eandem lineam.)* Scribo: Ad cardinem portæ è quâ mediâ præter viam circinabis, &c. ex puncto mediæ portæ circinabis dimidiā hanc lineam portis adjectam, ita ut statim à vallo incipias ducere circulum, nisi quod spaciū viæ relinquere debes.

*Item puncto manenti, adicies latitudinem ad balli.)* Item. puncto manenti adjicies latitudinem valli, & iterum circinabis in eandem lineam. Ante interiorem propugnaculi partem delineavit: nunc adjectâ valli latitudine exteriorem.

*Ut intrantes semper detegli sint & advenientes in recto cursu excludantur.)* Vitruvius. *Excogitandum uti portarum itinera non sint directa, sed oneraria:* namque cum ita factum fuerit, tum dextrum latus accedentibus, quod scuto non erit tectum, proximum erit muro.

*Nam quod attinet ad solitudinem in statuendi metationis.)* Verba præse ferunt: Solitudinem in statuenda metatione. paulò ante. *Spero solitudinem nostram tibi dignè placitaram.* Frontinus. *Et me seu naturalis solitudo, fides sedula non ad diligentiam, verum ad amorem quoque comissæ rei*

instigant. Sollicitudo enim idem quod cura in rebus agendis, unde solent  
 conjungi; ut in Dialogo de claris Oratoribus. Adscribemus locum pul-  
 cherimum, ut adjectiōne unius literae sensum ei suum oblatā hac occa-  
 sione reddamus. Num Ciprus & Marcellus ad quorum exempla me vocas, quid  
 habent in hac præsentī fortū concupiscendum? An quod timent? an quod ti-  
 mentur? quid cum cottidiè aliquid rogentur his, quibus præstant indignantur:  
 (ita enim scribendum, non ut vulgo, bi quibus præstant, nec ut Lipsius,  
 bi quibus non præstant: importunam enim quotidie aliquid rogantium im-  
 pudentiam molestiamque describit, quā invitis & pænē indignantibus ex-  
 torquent beneficia: ostendunt hoc sequentia.) Quod alligati cum adulazione  
 nec dominantibus unquam satis servit videntur, nec nobis satis liberi? quæ hæc  
 summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me verò dulces, ut ait,  
 Virgilius, Musæ remotum à curis & sollicitudinibus & necessitate cottidiè ali-  
 quid contra animum faciendi in illa sacra illosque fontes ferant, &c. Volebam  
 tamen ut diximus. Nunc quod attinet ad soli elektionem. Partem hanc  
 providentia & scientia militaris, qua locus castris idoneus capitur, ve-  
 teres magno habuisse in pretio, atque adeò inter præcipias laudes Impera-  
 torias posuisse, ignorare nemo potest, qui eorum monumenta tractave-  
 rit. Hannibal ille tantus Imperator colloquio cum Scipione Africano,  
 Pyrrho Epirotæ secundum in magnis ducibus locum dedisse fertur, hac  
 præcipue causâ, quod docuerit castra metari, nemo elegantius loca cepirerit,  
 præsidiaque disposuerit. Inter curas & meditamenta quibus Philippemon ab  
 ineunte ætate agitaverat paraveratque bellis animum, hæc non postre-  
 ma dicitur fuisse, quod cum iter quopiam faceret, contemplatus ab omni parte  
 loci naturam (Livii verba agnoscis) cum solus iret secum ipse agitaret ani-  
 mo, cum comites haberet ab iis quereret, si hostis ab ea parte apparuerit, quid  
 si à fronte, quid si ab latere hoc, aut quid si à tergo adoriretur, capiendum con-  
 silii foret, ac inter hæc castris quem locum caperet quantum munimento ample-  
 ëteretur loci, quā oportuna aquatio, quā pabuli lignorumque copia esset, quā  
 proximo die castra movendi tutum maximè iter, quæ forma agminis foret. Ro-  
 mani quidem loca munita non legebant, nisi eadem suæ castrorum formæ  
 essent accommoda: cæterùm in his capiendis non minus diligentes. Id  
 verò periculum erat (inquit Livius Romanos duces Magno Alexandre  
 comparans) ne Alexander solertijs, quam quilibet unus ex iis castris locum  
 caperet, commeatus expediret, ab insidiis præcaveret, &c. Non enim suf-  
 ficeret putabant locum bonum eligere, nisi talis esset, ut alter eo non  
 posset melius inveniri. Itaque & Imperatores tum veteres tum novos bel-  
 licâ laude insignes, ipsos quin imo rei Romanæ dominos, Vespasianos,  
 Tra-

Trajanos, Hadrianos commandant ab hac scientia. De Vespasiano Tacitus. *Vespasianus acer militiae, anteire agmen, locum castris capere, noctu diu- que consilio, ac si res posceret manu hostibus obniti, cibô fortuito, ueste, habitu- que vix à gregario differens.* De Agricola suo. *Militum in agmine modestiam laudare, disjectos coercere, loca castris ipse capere, estuaria ac sylvas ipse præ- tentare & nihil interim apud hostes quietum pati.*

*Primum locum habent quæ ex campum eminentiam lentiper attolluntur.)*  
 Repone: Primum locum habent, quæ ex campo in eminentiam leniter attolluntur: id est, ex plano in collem leniter assurgunt, ut dixit Tacitus. Possis & legere: *clementer, eodem sensu Annalium XIII. Locum- que delegit, cuius pars altera colles erant, clementer assurgentes, accipiendis peditum ordinibus, pars in planitem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas, vel, leviter, autore Cæsare.* Sed nihil necesse est rejicere illud, quod à scripturâ libri minus abit. Ejusmodi erat natura loci hibernorum in inferiori Germaniâ ab Augusto constitutorum, quæ vetera dicebantur. De iis Tacitus. *Pars castrorum in collem leniter assurgens, pars æquo adi- batur. Aliquoties in Cæsare hanc positionem observo; præsertim, ubi res cum hostibus quorum eximia virtutis opinio aut ingens multitudo erat. Bello Belgico talia describit castra. Is collis, inquit, ubi castra posita erant, paululum ex planite editus, tantum adversus in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa occupare poterat, atque ex utraque parte lateris dejectus habebat, & in fronte leviter fastigiatu paulatim ad planitem redi- bat. Non multum diverso nec tamen eodem situ in Nerviis illa, quæ ad flumen Abin ponebat, quando Nervii Romanos aggrediebantur. Loci natura erat hæc quem nostrî castris delegerant. Collis ab hummo æqualiter decli- vis ad flumen Abin vergebatur: ab eo flumine pari acclivitate collis nascebatur. In Unellis Q. Titurius Sabinus simili loco habuit castra, quæ oppugnatum Viridovix venit. Locus enim, ut ait Cæsar, erat editus ac paulatim ab imo acclivis, circiter passuum M. huc magno cursu contenderunt, ut quam minimum spaci ad se colligendos armandoisque Romanis daretur. Papinianus Theb. VII.*

Haud procul inde jugum, tutisque accomoda castris  
 Arva notant, unde urbem etiam turreisque videre est  
 Sidonias: placuit sedes, fidique receptus.  
 Colle per excelsum patulo quem subter aperto  
 Arva sinu, nullique aliis à montibus obstant  
 Despectus.

Cur hæc castra primum locum habeant, in promptu causa est. Ha-  
 bent

bent & planitiei & collum commoditatem, equiti simul peditique apta : dant facilem tuis descensum, majorem impetum, vehementiorem telorum jaectum, ac cætera loci superioris, cum hostes sub murum succedere nequeant, nedium oppugnare, quin inquis locis se subjiciant. Si placet rem in aciem committere : en pro vallo campum, in quo copias explicare & omnem exercitum instruere ; & si quid secius acciderit, relato paululum pede hostem in locum tuum trahere possis : sin displicet pugnæ consilium ; in loco securitas est. Addit & aliam causam Imperator Leo constitutione XI. *Ad splendorem & pompam exercitus venditandam magis valent obliqua & ad altitudinem spectantia castra, majoremque numerum castrorum, quam plana & æqualia loca præ se ferunt.* Si igitur aliqua pompa opus sit, obliqua & declivia loca elegantur, tumque potissimum, cum commeatum idoneum habent ad omnes necessarios usus.

*In qua positione porta decumana eminentissimo loco constituitur, ut regiones castris subjaceant.)* Hunc quoque situm in descriptionibus castrorum, quas jam adduximus, nota. Cæsar de Bello Gallico. II. *Calones qui ab decumanâ portâ ac summo jugo collis nostros viatores flumen transire conspexissent.* Ubi apparet, portam decumanam eminentissimo esse loco. Idem paulò ante dixit, castrorum contra Belgas positorum locum in fronte, hoc est, ad portam prætoriam, leviter fastigiatum, paulatim ad planitem redisse. Et Tacitus in descriptione veterum scribit, *æquissimum eorum locum ad portam prætoriam fuisse.* Decumana igitur summo collis jugo, quod necessario munitio amplectebatur, ne hostis ex loco superiori tela immittere & incurvare posset ; non enim *castra regionibus, sed regiones castris subiacere oportebat :* Dabatur autem pars munitissima decumanæ aversæ ab hoste & infirmissimæ illâ ætate, ut ad quam minimum legionarii militis considerat : illâ verò declivis & paulatim ad planitem rediens portæ prætoriæ ; ut ad procurrendum & erumpendum, tam equiti, quam pediti conveniens & in omnem belli usum idonea.

*Porta prætoria semper hostem sectare debet.)* Lege : Porta prætoria semper hostem spectare debet : Vegetius. *Porta quæ appellatur præatoria, orientem spectare debet, aut illum locum, qui hostes respicit.*

*Secundum locum habent quæ in plano confituantur.)* Castra in campo posita vel illis quæ in colle & monte præfert ex antiquâ disciplinâ Romanorum, qui non eâ curâ, quâ Græci inacessa & naturâ munita loca persequabantur, manu potius muniebant, ita securitati consulentes, ut etiam fiduciam ostentarent, parati plerumque rem ad manus deducere & prælio decertare. Videntur & ideo planitem ante posuisse, quod ad aquandum

dum, pabulandum & educendum exercitum ferè commodior collibus, propter interjectas convalles, sæpe parum tutum exitum habentibus. Alioquin est sanè tutor collis & in periculo melior. Sed eo ipso habet timoris confessionem ~~verum & auger hostianos~~. Cornelius Nepos de Hannibale. *Quamdiu in Italâ fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.* Quod tamen non concederit Liviusr Marcello, in utraque re etiam plus quam Hannibali fiduciæ adscribens, Lib. XXVII. In conspectu Hannibalis loco plano, quum Pænus collem teneret, posuit castra: addidit & aliam fidentis speciem, quod prior in aciem eduxit. Adsentitur huic Frontinus Stratagematum Libro XI. c. 3. Hannibal cum frequentibus præliis à Cl. Marcello superaretur, novissimè sic castra metabatur, ut aut montibus, aut paludibus, aut simili locorum aliquâ oportunitate adjutus aciem eo modo collocaret, ut vincentibus quidem Romanis pænè indemnum recipere posset intra munimenta exercitum; cedentibus autem instandi liberum haberet arbitrium. Autor Polybius, Romanos ubi primum cum elephantis congressorum acies impetu belluarum disjecta fuisset, tantum terrorem injecisse, ut proximo biennio, quamvis sæpe in Africa, sæpe in Selinuntia regione hostes obvios habuerint, nunquam tamen aut manum inire, aut in campo proprius quinque vel sex stadiis castra ponere sint ausi; sed collibus semper & montibus metu elephantorum se tenuerint. Ne Julius quidem Cæsar vanam timoris speciem re exigente tanti fecit, ut castris in campo positis verum potius periculum adiret: immo bello Africano cum primo in campo posuisset castra, posteaquam Scipio eum cum universis copiis subsequi coepit, atque ab ejus castris millia passuum sex confedit, castra ex campo in collem ac tutiora loca collocare non dubitavit, scribente Hirtio. Unde & quidam veterum, metationem in campo omnino postponunt illi, quæ in colle, inter quos Appianus, qui L.I V. de Bellis Civilibus, castra Bruti castris Antonii comparans, tum aliis nominibus, tum hoc etiam illa præfert, quod in colle, cum hæc in plano essent posita: quamvis fateatur Antonium illâ suâ audaciâ hostes obstupecfuisse.

*Tertium quæ in colle.) Frequens & hæc castrorum positio. Cæsar. Cæsar proximo in colle castra ponit. Idem. Pompejus quia castra in colle habebat, ad infirmas radices montis aciem instruebat, semper, ut videbatur, spectans, si iniquis locis Cæsar se subjeceret. & passim in Græcis, Latinisque historiis, castra ἐπὶ λόφοις, posita.*

*Quartum quæ in monte.) Tuta hæc quidem, sed propter metus suspicio-nem, difficiliorem frumentationem, aquationem & pabulationem, nec*

non equitatus incommoda, tam ad pugnam quam victum, interdum non optima. Fabio cunctatori collapsam temeritate rem Romanam restituenter in primis placuere. Nota vox Hannibal. *Tandem eam nubem, quæ federet in jugis montium sollicitatam procella imbre dedit.* Amavere multæ nationes præsertim si facilis descensus, ἀνέωνυχάν ὅρες υφ' ᾧ οἱ πατικαῖοι λῦ εἰς τὸ πεδίον.

*Quintum quæ in locum necessarium, unde & necessaria castra dicuntur.)* In loco necessario. Cæsar: *Cæsar loca maximè necessaria complexus, noctu præmunit.* Idem: *Tum verò, neque ad explorandum idoneum locum castris, neque ad progrediendum data facultate consistunt, necessario procul ab aqua & natura iniquo loco castra ponunt.* Ita enim fortassis legendum, ubi vulgo consistunt necessarii, sensu tamen non inepto. Ut & de Bello Gallico VII. Erat è septentrione collis, quenam quia propter magnitudinem circuitus opere circumplexi non potuerunt nostri, necessario pænè iniquo loco & leniter declivi castra fecerunt. Hinc locorum necessitas. Vegetius. *Interdum semirotunda, prout loci qualitas vel necessitas postularerit, castra facienda sunt.* Siculus Flaccus. *Ex ipsorum locorum necessitate & fossarum positione colligi debet, quæ sint finales.*

*Præcipue observari debet via, quæ lateribus castrorum supersit.)* Puto velle: Ne qua via lateribus castrorum supersit, per quam in castra possint irrumpere. Africanus. τὸ δὲ ἀπληκτὸν μὴ ἐγγύς ἐστιν ὅρες οὐδὲς η̄ ἔχοντος διόδου αφ' ὧν ἵστις οἱ πολέμιοι ἀθρόως ἐπελθόντες κατεργάσονται τὸ σπατόπεδον.

*Cætera quoquaque latere flumen sive fontem habere debet in qualicunque positione.)* Scribe: cæterum. Legimus passim super amnem castra posita. Livius. *Quum tria millia ferme abesset à Tripoli (Scejam vocant) super Pennum amnem posuit castra.* Virgilius:

Æneadæ duri murorum in parte sinistrâ

Opposuere aciem, nam dextra cingitur amni.

Leo tamen absente hoste, minus probare videtur hanc positionem, quod equi ad crebro bibendum adsuescant: quasi necessario crebrius, quam fas est, bibant.

*Sive fontem.)* Qui ab Imperatoribus exigunt scientiam omnium rerum, quæ in Castrensi vitâ usui sunt, noscere eos volunt, quod solum fontes habeat.

Fontibus ut dulces erumpat terra liquores.

Ne cum in locis aridioribus bellandum est, aquæ penuria conficiatur exercitus. Hujusmodi scientia Moyse populum Hebræum, & quidem ductu

ductu asinorum agrestium ab certo exitio servasse, primumque sibi ad potentiam iter struxisse, autumat Tacitus Libro Historiarum I V. Lubet adscribere locum non nugasissimæ sententiae causâ (quid enim vanius?) sed quod corruptus est & perperam intelligitur. Cæteris per lacrymas torpentibus Moysen unum exulum monuisse, ne quam deorum hominumve opem expectarent ab utrisque deserti, sed sibimet, ut duci crederent, primo cuius auxilio præsentes miserias pepulissent. Hæc sic accipiuntur à viris doctis, quasi dicat Tacitus: Sualissime Moysen Judeæis, ut sibi propter prodigia in Ægypto edita & pulsas suo auxilio miserias, tanquam duci cœlesti crederent, seque seuerentur, quod ne per somnium quidem cogitavit. Regem enim Bocchorum scribit purgandi regni sui causâ, conquisitos collectosque Judæos tanquam diis in visos in alienas terras avehi iussisse. Nulla ibi Moysis, nulla miraculorum, nulla auxiliij mentio: Rebus depositis & conclamatis, reliquo vastis in locis populo, Moysen simpliciter unum exulum appellat: huic primum facinus adscribit, quod cæteros per lacrymas torpentes alloquo erexerit & oratione. At qui potuit talis persuadere sibi, ut duci cœlesti crederent, nullo adhuc insigni facto tantæ rei fidem faciente? Qui potuit jaçtare suo auxilio miserias & quidem præsentes tum pulsas, cum in maxima rerum omnium calamitate lacrymis torpentes animum desponderent. Non potuit certè: nec illud Taciti est, sed sciolii alicujus veræ Moysis historiæ gnari; ad cuius fidem Tacitum corrupit. Scribo. Ne quem deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti: adessent sibimet: ut duci cœlesti crederent, primo cuius auxilio præsentes miserias pepulissent. Est enim hæc obliqua Moysis, populum rebus extremis & desperatis excitantis adhortantisque oratio; cui generi audaces ejusmodi & abruptæ sententiae convenient. Dì vos, inquit, & homines, ut videtis deseruerunt: quid ultra inanibus lacrymis & nihil profuturis precationibus eos frustra fatigatis? Vosmet ipsi audiatis; vobis ipsi adfatis, oportet. An expectatis de cœlo ducem? Dii propter vos non descendant, ille vobis instar cœlestis ducis sit, quicunque præsens hoc malum est depulsurus. Duo enim suaderet. Primum, ut agant ipsi, adsint sibimet, quo propitios & volentes habeant Deos. Crebræ sunt in historiis tales adhortationes, eorum præsertim, qui in rebus arduis animos ad contemptum religionum receptarum conati sunt traducere, qualis hic describitur Moyses. Ita Flaminius apud Livium, quacunque adire audirique potest, adhortatur suos, stare ac pugnare jubet: Nec enim inde votis aut imploratione Deum, sed vi ac virtute evadendum esse. Apud eundem Manlius Capitolinus. Dì prohibebunt hæc, sed nunquam propter me de cœlo

*cælo descendant; vobis dent mentem oportet ut prohibeatis.* Et ille Deum contemtor ad dextram & arma sua.

Dextra mihi Deus & telum, quod missile libro,  
www.libtool.com.cn  
Nunc adfint.

Vectius Messus simili modo ad Volscos suos. *Quid hic stantibus spei est?* *an Deum aliquem protecturum vos rapturunque inde putatis?* Ferro via facienda est. Præterea suadet, ut se votis obstringant, illi ut duci cœlo misso fidem habeant, illum sequantur, qui in præsentia illis adfuturus & ex hac miseria eos liberaturus sit. De futuro enim omnino accipienda sunt illa. *Ut duci cœlesti crederent, primo cuius auxilio præsentes miseras pepulissent.* Ut in conjuratione contra Neronem. *Ut quisque audientiae habuisset, accurreret trucidaretque.* Notum autem non tantum votis se obligasse, sed etiam eos, qui consilio aut virtute è magnis periculis alios liberaffsent ab illis, quos liberaffsent non tantum ut duces cœlestes, sed instar Deorum propemodum in omni vitâ fuisse cultos.

Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram

Sæpe tener nostris ob ovilibus imbuet agnus.

Ille meos errare boves, &c.

Unde medicorum illa divinitas. De Philippo medico magni Alexandri Curtius. Nec avidius ipsum regem quam Philippum intuebatur exercitus; pro se quisque dextram ejus amplexi grates habebant, velut præsenti Deo. Hanc esse mentem Taciti probant illa, quibus dicitur Moyses ad novas & contrarias omnibus gentibus religiones eos traduxisse, atque adeò ipsum asinum, quo monstrante sitem depulerant, penetrati consecravisse: probant & sequentia quæ ostendunt omnium ignaros fortuitum iter incepisse. Assensere inquit, & omnium ignari fortuitum iter incipiunt: Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat, jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moyses conjecturâ herbidi soli largas aquarum venas aperit, id levamen. Hac itaque fortunâ & arte Moylen miserias populi levando primum in pulso & extorri populo fidem invenisse vult, deinde pulsis cultoribus institutisque novis facrorum ritibus & ceremoniis eum sibi confirmavisse: quoties diutius in uno loco commorandum esset, hoc quoque observatum fuisse, ut aër salubris esset & veteres testantur & quilibet facilè judicare potest. Scribit Vitruvius, Romanos priusquam stativa ponerent pecoribus immolatis, quæ iis in locis pascerentur, inspexisse jecinora: si essent livida & vitiosa prima, alia immolasse dubitantes utrum morbo an pabuli vitio læsa essent: Cum pluribus experti essent & pro-

& probassent solidam & integrum jecinorum naturam & aqua & pabulo ibi constituisse munitiones : si autem vitiosa invenirent indicio , transtulisse judicantes & in humanis corporibus nascentem iisdem in locis aquæ cibique copiam pestilentem futuram . Leo jubet evitare loca condensa , cœnosa , paludosa aut stagnis abundantia , halitum enim parum salubrem emittere odoresque graves gignendis morbis . Vetus & Vegetius in pestilenti regione juxta morbosas paludes , aridis & sine opacitate arborum campis aut collibus , præsertim sine tentoriis æstate commorari . Itaque si autumnali aut æstivo tempore diutius iisdem in locis commorandum sit , frequenti mutatione castrorum vult subveniri , quod ex contagione aquarum & odoris ipsius fæditate , vitiatis haustibus & aëre corrupto perniciössimus nascatur morbus .

*Castrorum iniqua loca quæ à prioribus Nobiriae appellantur .*) Bene monuit doctissimus Scriverius legendum esse , Novercæ . Novercæ enim & canabulæ , à mensoribus appellantur loca iniqua . Frontinus . Eorum delimitatio est per rationem arcuum , riparum , canabularum vel novercarum . Ex libris Magonis & Vegolæ . Item variatio fluminum , rivorum cursus , canabulæ , vel novercæ regulis construitur . Et passim in libris mensorum .

*Ne mons castris immineat per quem supervenire hostis aut prospicere possit quid in castris agatur .*) Addit Vegetius ne ex superioribus locis missa ad eum tela perveniant . Leo . Illa autem loca imprimis fugito , quæ aliquid prope celsus vel eminentius habent , ne illud hostes confertim præoccupantes , multa ex eo mala inferant . Barbarum est isthuc , procul à prudentiâ Romanâ . Hirtius . Castra eorum , ut barbarorum fert consuetudo , relicta locis superioribus , ad ripam fluminis esse demissa . Frontinus . M. Porcius Cato , qui tum tribunus militum à populo factus in exercitu erat , dejectis jugis Callidromi montis Ætolis qui præsidio tenebantur super imminentem (ita reætè emendat Stewechius , cum antea legeretur , eminentem , ) castris regiis collem à tergo subitus apparuit .

*Ne silva celatura hostes adjaceat neve fossa valles .*) Ne silva celatura hostes adjaceat neve fossæ vel valles . Leo Constitutione X I . ἀντίστοιχοι ὁχυρώματα τὸ έχθρων ή ὑπερ μηδενὶς αποληπτέον τὸ σπάτεν . Unde legimus totiens castra in aperto posita ubi nullus insidiis hostium locus . Livius . I . Et castris in aperto positis aliquotiens exercitus Latinus communis cum Romanis signa contulerat . Sic copiæ in aperto dicuntur instrui . Cæsar de Bello Gallico . Copias omnes loco edito atque aperta instruxerunt . Sic pugna in aperto , id est , puro & patenti campo , ubi sine ullo insidiarum metu vera virtute res geri posset . Ut dicit Livius in X X V . Tacitus de vita

Agricolæ. Agricola tres Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones & manus adducerent, quod & ipsis veteritate militiae exercitatum, & hostibus inhabile, parva scuta & enormes gladios gerentibus. Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum & in aperto pugnam non tolerabant. Ubi Lipsius velit, in operto: haud dubie male, quia in campo in jugum assurgente pugnabatur. Melius qui legit, in arcto, sensu probo, si eo verba ducerent. Livius. III. Dum corporibus applicantur, armaque armis jungunt, in arctum compulsi, quum vix motendis armis spatiis satis esset. Idem. XXVIII. Quod in arcto pugna Romano aptior, quam Hispano militi futura erat. Nobis hunc locum legentibus in mentem veniebat, mutata unicâ literâ. In aperta pugnam. In propiore enim pugna & armorum complexu partes nudas & apertas corporis quærebant, fodiebantque, in has pugnabant; cui rei Britannorum gladii prælongi sine mucronibus inhabiles. Tacitus. Densarent ictus, ora mucronibus quærerent, latos barbarorum artus, nuda ora foderent. Virgilius Æneid. XI.

Tum summa ipsius ab haftâ

Defringit ferrum, partelque rimatur apertas.

Præcesserat autem.

Dextra complectitur hostem.

Idem Libro X.

Huic gladio perque ærea scuta,

Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum.

Ubi Servius. Haurit, modò ferit significat, non nudum latus, sed quod aperuerat & putatur ὑστερον περιτερον: Quidam Italicam elocutionem putant, cum enim à latere quis aliquem adortus gladio occidit, hausit illum, dicunt. Ursinus malit. ærea futa. Ut Papinianus.

Latus omne sub armis

Ferrea futa tegunt.

Fateor equidem latus apertum non esse, quod scuto tegitur, sed Virgilius, ut solent poëtæ, in heroibus suis hæc in miraculum composuisse videatur, ut ostenderet, Æneam latus tectum transadigendo aperuisse. Pugnare in latera, in frontem, in tergum, obvia passim apud Latinos, multaque significantiora sunt, quam contra aliquem pugnare, cum denotent hanc partem præcipue peti, in hanc pugnari. Non multum diverso, quamvis non plane eodem sensu dicunt, ferre signa in hostem & inferre hosti signa. Sic quoque Tacitum accipio, cum dicit: ferre libertatem in præsentia: loco in quo hærent viri celeberrimi. De vita Agricolæ. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, & nisi felicitas in socordiam vertisset,

tisset, exuere jugum potuere: nos integri & indomiti & libertatem non in præsentia latiri, prima statim congressione ostendamus, quos sibi Caledonia viros se posuerit. Præsentia Tacito dici res præsentes, præsentem rerum statum, notius est, quam ut probari necesse sit. Annalium I. Cæteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti tuta & præsentia quam vetera & periculosa mallent. Et sæpe alibi. Qui igitur in servitute sunt, iis servitus præsentia sunt, iis qui in libertate, libertas. Qui præsentem statum mutare & in aliud convertere conantur, illi eam formam cuius autores sunt, ferunt in præsentia. Atque ita, qui servientes in libertatem vindicat: ille dicitur libertatem in præsentia ferre, id est, introducere in præsentem statum, inferre rebus præsentibus & contra præsentes res. Sic apud Poëtam, Æneas dicitur intulisse deos suos Latio.

Dum condederet Albam,

Inferretque deos Latio.

Hoc est quod Galgacus dicit, Brigantes, Voadicea duce conatos esse & perfidere potuisse: quamvis, inquit, ea Brigantum esset conditio, ut sub jugo viverent, castrisque & coloniâ Romanâ velut sedibus servitutis continerentur, adeo ut in libertatem aliter vindicari non possent, nisi exsurerent contra præsentem rerum statum & libertatem in eum ferrent: tamen rem tantam & tam arduam præstare potuissent, nisi suâ ipsorum socordiâ fortunam corrupissent: quanto magis nos integri & nunquam antea subacti, qui non contra præsenter statum exsurgimus, sed eum armis tuemur, hoc poterimus efficere, dum sit virtus & animus verè virilis. Sed nos à proposito divertimus. Pugnam in aperta, ut diximus, volebamus loco superiori legere. Dubito tamen an defendi possit vulgata, cum apertum certamen aliquando de propiori pugnâ videatur accipi, qui in eo genere plerumque vir virum legit, pes pede teritur & res ad manus adducitur. Livius IX. In aperto certamine virium spem habebat. XXXVIII. Etsi iniquo loco, prælio tamen justo, acie aperta, collatis signis dimicandum erat. Hoc certè volunt, ut infidili non sit locus, & ideo loca arboribus tecta aut fossis invia, cauti duces vitabant, nisi prius aperirentur. Tacitus historiâ secundâ. Contator natura & cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placebant, compleri fossas, aporiri campum, pandi aciem jubebat, sat is cito incipi vicoriam ratus, ubi provisum foret ne vincerentur.

Per quos obrui castris occulte possint.) Si cui retinere placet τὸ obrui, omnino scribendum sit: Per quas obrui castra occulte possint. Livius.

IVI.

III. Quæ si in unum conveniant, vix deorum opibus, quin obruatur Romana res, sifeti posse. Sed nobis omnino verum videtur. Per quas obrepit castris occulte possit. Nam illud magnæ vis, turbinis & ruinæ: hoc furtorum belli, quibus aptæ sylvæ, fossæ & valles. Sic adrepere animis, est clam & occulte sese ingerere. Lepidus apud Tacitum Annal. III. Studia illi ut plena recordiæ, ita inania & fluxæ sunt, nec quicquam grave aut serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis sed muliercularum adrepit. Frontinus in hac re dixit, per obreptionem aggredi, Lib. II. c. 5. Ventidius Parthos in loca iniqua deductos aggressus per obreptionem adeo debellarunt, ut destituto Labieno (ita scribo, vulgo destituti) provinciæ excederent. Volaterranus legit: Neve fossæ seu valles per quas obruti castris occumbere possint.

Ne vicini fluminis torrentis subitâ tempestate castra in unda intereant.) Repone: Inundata intereant. Vegetius. Ne subitis tempestatibus campus, in quo manendum est, soleat inundari. Idem. Considerandum est, ne torrentibus inundari consueverit campus.

Meminisse oportet in hostico adscensus valli duplices & frequentes facere.) Gradus fieri vult, quo vallum altius (qualia in hostico) facilius adscendi possit & descendi. Varro. Qua simplici scandione scandebant in lectum non altum scabellum, in altiore scannum. Duplicata scandio gradus dicitur, quod graditur ab inferiori in superiorem.

Et tormentis tribunalia extruere.) Aggeres & suggestus cespitem, in quibus tormenta collocabant, tribunalia appellat, quia in similitudinem tribunalis errecti & ut tribunal ex cespite exstructi, an quod & inde tormenta jus, ut ita loquar, dicebant hosti? Eiusmodi aggeres supra cæteram munitionem aut circumfitas partes eminentes, videntur vulgo in castris tribunalia dicta, ut quæ tormentis aut signis extruebantur. Ita accipio Tacitum in seditione Pannonica. Una tres aquilas & signa cohortium locant, simul congerunt cespites, extruunt tribunal quo magis conspicua sedes foret.. Properantibus Blæsus advenit increpabatque ac retinebat singulos. Ubi putat vir eximius Blæsum ob tribunal cespitem adeo inclamare, quia capitale prorsus facinus & tribunalis extructio ascensiisque signum proprium imperatoris. Sed Tacitus non dicit tribunal hoc à seditionis extructum, ut pro tribunali esse luci seditionis (necdum enim ducem elegerant) sed quo signorum una constitutorum magis conspicua sedes esset. Signa autem de more in tribunali utique Imperatoris non fuisset posita, vel hic locus evincit, nam si ibi una jam ante fuissent pro insolito non referretur, quod in unum locum congesta. Quare aggerem in quo signa ponere

non

destinaverant, tribunal appellat Tacitus ex more castrensi. Blæsus autem non propter unum tribunal erectum, sed propter omnia hæc quæ invitis ducibus seditiosè faciebat, inclamat & obfistit furentibus.

*Circum portas in coxis in loco tyrium.*) Scribe: Circum portas in coxis, in loco tyronum. Nihil enim probabilius ex hoc ultimo vocabulo elicio, juber tribus præcipue locis vallum tormentis instruere circum portas, in angulis & ea parte, quæ tyronibus data est tuenda: quo enim minus fiduciæ in milite reponebant, eo turribus, tormentis & reliquo machinarum munitionumque ingenio castra magis firmabant.

*Maxime instruendum erit vallum tormentis ab eo latere quo Novercas ivitari non potuerunt.*) Lege: Ab eo latere quo Novercae evitari non potuerunt. Præcepit paulò ante Novercas quoad ejus fieri potuerit evitare, quod si loci necessitas id non permittat, maximè iniuitati huic frequentia tormentorum subvenire jubar.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

A D.

POLYBII SCRIPTUM  
DE  
CASTRIS  
NOTE.



Nōs ὑπάρχοντ<sup>Θ</sup>. παρ̄ αὐτοῖς θεωρίματ<sup>Θ</sup>.  
ἀπλέ<sup>ς</sup> τὰς παρεμβολὰς ὡ<sup>ς</sup> ξεῶνται πρὸς  
πάντα καιρὸν καὶ πόσον.) Est autem una apud  
illos & simplex circa castram etationes ob-  
servatio, qua omni tempore & loco utun-  
tur.) In acie instruendā, nec non po-  
nendis castris veteres Romani, quoad  
ejus fieri poterat, unam semper eandem  
que servabant rationem: Sed in primis  
in his. Causa præcipua, quod existima-  
rent ordinem in castris, velut animam  
rationemque in corpore humano esse,  
cujus maxima semper cura esse debeat: ordinem autem servari non posse,  
nisi omnibus & singulis nota essent munera sua; nec nota esse, nisi certa  
& definita, utique non varia, nec admodum difficultia. Ideò ait Poly-  
bius, Romanos contrariam Græcis instituisse viam, quod facilitati stude-  
rent. Ἡ δὲ δοκεῖτ<sup>Θ</sup> Ρωμαῖοι καταδιώγνητες ἢ ἐν τοῖς ἐύχερεσιν ἢ ἐν αντίστοι ὁδῷ  
πορεύεσθαι τοῖς Εὐκήσιοι καὶ τέτο τὸ μέρ<sup>Θ</sup>. & paulo post. Ρωμαῖοι δὲ ἢ περὶ  
τὰς παρεμβολὰς παλαιπαριαν καὶ τὸ στόλον τὰ παρεπόμενα τοῖς υπομένειν ἀροῦνται  
χάρειν τῆς ἐυχερείας καὶ τῆς γνώσμον καὶ μιᾶν ἔχειν καὶ τὰ αὐτὴν αἰτεῖ παρεμβόλιν.

T 2

Nam

Nam quæ quotidie fieri ex disciplina militari erat ea , non oportebat esse incerta nec multæ computationis : quare eam formam instituebant , in qua nihil novum esset , præter locum , nihil arduum & laboriosum , **præter operulm laborem** , quem quotidiano usu & apta distributione emol- liebant & facilem sibi reddebat.

Τέ κατὰ τὰς πορείας ἡ σραπόπεδίας ἡ ἀθλητικής χαιρομος ἡ δυνάμεων .) Modum & rationem disponendi copias in agmine metandis castris & acie in- struenda.) Quamvis & agminis & aciei rationem promittat, & illam quoque deinde exequatur ; non tantum metationem castrorum : hanc tamen partem potissimum docere voluisse satis ostendit, tum quod eam aggressi- rus hæc præfatur : tum quod non aliam plenius tractat , & in fine differ- tationis tractasse se profitetur. Τὰ μὲν ἐν ὀλοχερέσει μέρη τῆς περὶ τὰ σραπόπεδα ἡ εὐεργείας ἡ μάλιστα περὶ τὰς παρεμβολὰς ταῦτ' ἐσίν.

Εἴ τοι δὲ τὸ γένος αὐτῶν τῆς σραπόπεδίας ποιῶνδε .) Est autem castrametatio eo- rum huiusmodi. Putat Patritius Polybium ordinem naturalem , quem paulò ante in præfatione & partitione hujus digressionis observaverit, hic ne- glexisse : prius enim tempore & natura esse iter , posteriorem castrorum collocationem : itaque de agmine prius agere debuisse. Sed non cogita- vit Romanos eo in loco , quo ad edictum consulis convenienter , statim castra posuisse : dixit id paulò ante Polybius. Τούτων δὲ ἐντεξεπῶν γρο- μένων ἀθλαβόντες οἱ χιλιάρχοι τὸν Ρωμαῖον ὅμηρον τὸν συμμάχον πατ- σραπόπεδουσαν . Sequitur autem Polybius in hoc scripto ordinem Ro- manorum. Primum delectum habet , delectos sacramento rogat & sta- tim edicit diem ad conveniendum. Deinde eos ( ipsi interim faciebant ) armat. Ubi convenerunt , cæteris , quæ supersunt agenda , ordinatis , ca- stra ponit , & quæ ad castra pertinent , ordine docet. Rectè igitur & ex more Romanorum castra prius posuit , quam movit.

Τέ κελεύθετος αἰεὶ τόπου .) Qui longo usu castrorum ponendorum veteres , ex ipso aspectu & contemplatione loci , facile de magnitudine & capaci- tate ejus judicabant , & si quid forte dubitarent , jaclit sagittæ spatium dimetiebantur , scribente Julio Africano.

Τὸν ἐπιπτειότατον εἰς σύναψιν ἀμφα ἡ ἀθλητικίαν .) Similem in urbe ob- sessa locum Prætorem , qui summæ rei præfest , cum comitibus tenere vult Aeneas. Τον μὲν σεχτηὸν τον δὲ λεγέμενον τοῖς μετ' αὐτῷ πετάχτῳ δεῖ φένει τὰ ἀρχεῖα τοῖς ἀρχεῖον , ἔαν δύχυροντες μετέχῃ εἰσὶ μη , ἀσφατειληφέ- ναι τόπον τὸ πόλεως ἐρυμνότατόντες ἡ ἐπὶ πλεῖστον αὐτῷ ἀντέ τὸ πόλεως ὄρώμενον .

Η τοιούτην σκηνὴν .) Prætorium sive ducis tabernaculum. Festus : Initio Prætores erant , qui nunc consules , & ii bella administrabant , quorum taber-

tabernaculum quoque dicebatur prætorium. Sic & apud Græcos τὸ σπατίγμον & ἡ τοῦ σπατηγοῦ σημνὴ sæpe pro re eadē. Propriè tamen illud laxius sumitur, tam apud Græcos quam Romanos, & denotat τὸ ἐμβαδὸν, sive omnem eam pedaturam, quæ Imperatori cum contubernalibus & impedimentis adsignatur. Ita Dionysius Libro IX. *Prætorium* distinguit à tabernaculo ducis : Τοῦ γὰρ ἑτέρου τῆς ὑπάτων Γαίς Μακεδονίου κεραυνὸς εἰς τὸ σεχτήγμον ἐμπεσὼν πλύτε σημνῶ διέσπασε, καὶ τοῦ ἑσίαν αὐτέτεψε καὶ τὸ πολεμιστέων ὅπλων τὸ μὲν ἐσπιλώσε, τὰ δὲ εἰς τέλος ἥφαντον. Sic quoque Livius sumit, cum in prætorio describit sermones inter se ferentium circulos. In principiis prætorioque ubi sermones inter se ferentium circulos vidisset : Cum dicitur *Prætorium dimitti*, interdum intelligitur omnis illa turba, quæ circa prætorium, interdum solum concilium, ut Libro XXI. Delige centenos viros ex omni pedite atque equite, cum quibus ad me vigilia prima venias, nunc corpora curare tempus est. Ita prætorium missum est. Ita recte ex libris restituit hunc locum magnus Lipsius, cum antea legeretur *præconium missum* est, quod omnino rejiciendum, quamvis non ea de causa, quæ illum movit : Explicant, inquit, *præcones circummissos*, qui edicerent corpora curare. Ego vero non admitto in Romana aut Punica militia *præcones*, et si Græcos habuisse probè scio. Idem rursus adfirmat Dialogo XIII. V. de militiâ, explicans Josephi locum, in quo dicitur egressuros è castris milites κῆρυξ ter interrogasse, an parati ad bellum essent, mos, ait, quem non alibi ego legi, sed nec temere de *præcone in Romanis castris* : Sed et si κῆρυξ illi est, tamen licet intelligere & vertere accensum aut curionem. Quæ nollem excidisse, cum in Livio toties *præconis* in exercitu Romano fiat mentio, Libro VI. Ni *præcones* per urbem dimissi, ponti arma & parci inermi iussissent. Libro XXVII. *Præconi imperat*, ut lictorem lege agere juberet. Et XXVIII. *Exercitus*, qui coronâ concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit : *præconis* audita vox citantis nomina damnatorum in concilio. Sed hæc obiter. In restitutione loci, cum *prætorium* mitti vel dimitti recte dicatur, & sensus hic longe melior sit, omnino ei librisque adsentendum est. Laxiori etiam significatione sumi videtur, cum imperator in *prætorio* tendere dicitur. In *prætorio* tetenderunt Atrius & Umbrius, &c. Confunduntur autem hæc, ut pleraque similia, variè tam à Græcis quam Latinis, & interdum ἡ τὸ σπατηγοῦ σημνὴ omnēm pedaturam prætorii & contra σεχτήγμον solum interdum tabernaculum designat: ita & infra Polybio συννοοῖται est tota ratio metationis, ut veros sensus magis quam verba scriptorum attendenti non potest esse obscurum.

Τὸ δὲ ἐμβαδὸν γίνεσθαι πτεργίσθερον.) Suidas scribit, πλέθρον esse sexa-

ginta octo cubitorum vel centum pedum, sextam stadii partem, con-  
gruens cum Polybio. Jugerum vertunt, cui tamen mensores dant du-  
centos quadraginta pedes longitudinis, & latitudinis centum viginti :  
Versum Varro [www.lib.utol.com.cn](http://www.lib.utol.com.cn) dicit centum pedes quoquo versus quadratum esse.

Τούτες δὲ οἱ χρήματα. ) Lascaris, Lipsius, Casaubonus, tum hic tum alibi  
hanc vocem fere vertunt *figuram* : & *schema* Rethores Latinos vulgo *figu-  
ram* reddere, *figuramque de specie & formâ*, ut *figura corporis* & similia  
recte dici notum est. In re tamen mensoriâ, quod Græci χῆμα non *figu-  
ram*, sed *formam* appellant, ferè ubique Columella, Frontinus, Aggenus,  
Hyginus & quicquid est mensorum Latinorum. *Formam* enim definiunt,  
quæ sub aliquo vel aliquibus finibus continetur, & quinque formarum de-  
scribunt genera. Ac in hac ipsa re castrensi pedaturæ, quam copiis adsi-  
gnat, *figuram* vel *speciem* Hyginus semper quoque *formam* dixit. Sic ita-  
que *schema* quoties de castris vel acie vel re mensoria agitur rectius con-  
vertemus.

Τιθέασι δὴ τὰς πόλεων οὐκετίδας ὅπῃ μιάν εὐθέας απόστολος. ) Statuunt horum  
tabernacula omnia ad unam lineam rectam. Scamnum tribunorum ad prin-  
cipia eo ponit loco, quo Hyginus scamnum legatorum. Legatis non tan-  
tum scamnum non adsignat per transversa castra, sed planè locum nullum,  
quamvis tum vulgo in castris fuisse dubium non sit, & iis deinde excubias  
attribuat suas. Lipsius juxta prætorium collocat in foro parte oppositâ  
quæstorio, in illa forma, quâ prætorium inter principia & portam præto-  
riam situm est, eâ de causâ, quod ibi satis spatii est. Vide tamen ibi, an ipso  
in scamno tribunorum rectius iis locus adsignetur? nam cum scamnum  
hoc à mediâ viâ, quæ est inter legionarios & socios ad viam decumanam in  
medium prætorium percurrentem, sit pedum quadragecentorum viginti  
quinque: ex eâ pedaturâ, poterunt occupare sex tribunorum tabernacula,  
singula quinquaginta pedum, trecentos: adjice denos pedes intervallum  
his interjectum, vel duodenos; efficies sexaginta, vel duos & septuaginta;  
erunt trecenti sexaginta vel septuaginta duo: supererunt sexaginta quin-  
que vel quinquaginta tres pedes pedatura legati. Sed uti in hac positione  
prætorii de loco legatorum non contenderim; ita in illâ alterâ Hyginia-  
nâ ad principia & proxime prætorium fuisse non ambigo. Dignissimi  
enim principum ducumque proximi Imperatori tendebant, quod &  
Spartani olim observarunt, quorum instituto Polemarchi & tres ex Pa-  
ribus in castris regis contubernales. Xenophon. Συσκηνοῦσι δὲ αὐτὸς οἱ πολέ-  
μαρχοι ὅπεις δει συνόντες μᾶλλον ἢ κοινοθελῶσιν ἢν π δεώνται: συσκηνεῖσι δὲ  
ἢ ἄλλοι τέσσι ἄνδρες τοιοί οἱ Ομοίωτες.

Πρὸς τὸν ἔκτον ἐπιφάνειαν.) *Extrorsum spectantia.* Exterior aspectus omnia castrorum latera recte dicuntur, cum principia & quæ circa prætorium, interiora castra sint. De velitibus infra. Τὸν δὲ ἔκτον ἐπιφάνειαν οἱ ρεσόφοροι πληγοῦσι. Nec unius alicujus lateris, sed omnium laterum exteriorum custodia demandabatur velitibus. Ac hac ratione extrorsum spectare dici debet, vel qui ad vallum tendit, vel qui proximum vallum respicit: introrsus vero, qui interiora & latus castrorum remotius, à proximo aversus. Atqui in metatione exercitus consularis, à tentoriis tribunorum nulla pars longius abest, quam porta decumana, quam respiciunt. Introrsus igitur, non extrorsus spectant: Quare putabam Polybium scripsisse, πέδης τὸν ἔντον ὅπιφάνειαν. Video tamen tergum castrorum, (de vero tergo vel porta decumana loquor) & alibi τὸν ἔκτον ἐφάνειαν dici, Libro X. de castris Scipionis ad Carthaginem novam. Καὶ τελείωτον τῷ μὲν τὸν ἔκτον ὅπιφάνειαν τῆς στρατιωτείας τάφον ἡ χάρεσκα διωλοῦν ἐξ θαλάττης εἰς θάλασσαν. Quod Livius vertit tergum. *Castra ab regione urbis quæ in septentrionem versa est posita his ab tergo (nam frons naturâ tutu erat) vallum objectum.* Ubi in scriptis non comparet τὸ frons, adiectum à Rhenano fallor, quia Polybius eam partem, quæ in urbem spectabat, nullo munimento dicit circumdatam. Κατὰ δὲ τὴν προστασίαν τὸν πόλιν αὐτῶν ὕδεν: quam partem postea τὸν ἔκτον ὅπιφάνειαν vocat. Et dicitur quidem rectè *frons castrorum* in obsidione pars, quæ in urbem spectat, quamvis interdum & pars contraria, quia anceps est munitio & sæpe tam hac quam illa respicit hostem: sed vox., *frons*, abest libris & de fronte universa proprie verum non est natura munitam fuisse, quippe pars, quæ urbem continentis jungens mediisque castris opposita maximè frontis nomen merebatur, non erat natura tutu; quamvis & hæc, sed alia de causa vallo non clauderetur. *Unde inquit, Livius quum tam parvi operis munitio esset, non objecit vallum imperator Romanus, seu fiduciām hosti superbè ostentans, sive ut subeunti sæpe ad mœnia urbis recursus pateret: in manuscriptis est, nam natura tutu erant.* unde faciebam: *Nam latera tutu erant: Partes enim, quibus hinc stagnum, hinc prominens ab altera parte mare pro munimento erat, etiam si dicantur à Polybio introrsus urbem versus spectare: tamen re ipsa lateribus quam fronti castrorum similiores.* Livius XXXII. *Muri pars adhuc integra utraque tutu præstabat latera.* Sed vide an possis servare vulgatam: *bis ab tergo (nam natura tutu erant intellige castra) vallum objectum.* Polybius quo hæc desumta: Αὐτὴν γὰρ οὐ τὸν φύσις ικανὸν ἀσφάλειαν αἴτιον παρεπεμψε. Libri quidam habent: *nullum vallum*, quasi fuerit: *Nisi à tergo nullum vallum*

*vallum objectum*: Polybius, *duplex*, vel *duplum vallum*. Sed ut revertamur ad propositum, illud latus, quod urbi obseffæ propius, *interior*; quod ab ea remotius, *exterior aspectus* merito vocatur. Nescio an eodem jure in castris ~~wbwb libet ad omnem~~ *exteriorem* ὅπλων appellare possimus, quia non tantum in obcidionibus, sed etiam, quoties duo consulares exercitus conjunguntur, hæc pars sit *interior* & media castrorum. Hæc certe causa accipienda est, aut scribendum, τινὶ έντος ὁπλών.

H' στι εἴσω καὶ παλέοθω ἢ παθόπαιξ ἡμῖν αἰεὶ οὐ παντὸς χήρων καὶ θεῶν. ) Meritò monet hanc partem, quā decumæ cohortes tendunt, totius formæ frontem imaginari lectorem debere, ac se ita semper dictūrum, cum in castris duarum legionum, à quarum positione pleræque partes nomina acceperunt, non frons sed tergum sit. Ab decumis enim ordinibus cognominata est proxima porta, *decumana*, quæ ab hoste aversa ponitur. Evidem in castris duorum consularium exercituum, quia frontibus conjungebantur, duarum legionum cohortes decimas ad tergum, duas in fronte necesse est confidisse, commutatamque decumanarum portarum alteram in prætoriam: nam sicuti *decumana*, quæ ab hoste aversa, sic *prætoriam*, quæ hostem spectabat, vocitabant in qualicunque ordinatione, tamque in hostili quam Romana. Putat Lipsius tergum castrorum *frontem* & contra frontem *tergum* à Polybio appellari, quod omnia illic spectent & intendant. Quod qui venerit in mentem viro doctissimo nescio, nam in forma Polybianâ illâ ipsâ, quam nobis exhibet in libris de militia, cohortes omnes legionariæ sociæque præter decimas ad portam decumanam tendentes, vias intercurrentes & latera castrorum respiciunt. Probabilius Savilius Polybium docendi causa conversis nominibus *frontem* appellare, quod est tergum & contra *tergum* quæ est frons castrorum: Sed causam addit in primis probabilem, quod in dictatione metationis à prætorio procedat versus decumanam; quasi non eadē ratione ab altera prætorii & scamni tribunorum parte ad portam prætoriam procedat. Sed Polybii præcipua in hoc opusculo cura est, ut tensionem legionum Romanarum doceat, cætera neglegentius exsequitur: itaque à puncto medii prætorii orsus ad eam castrorum partem, quam illæ tenent progreditur, ibique frontem fingit, eò justius, quia in exemplo duarum, metationem etiam quatuor legionum docet, in quarum castris altera harum fit revera frons castrorum, ut diximus.

Αὐτοῖς δὲ αἰτιώσω μὴ λογεῖν αἱ τὰς χιλιάρχων συνανταί. ) Intervallo viginti pedum ut probabiliter conjicit Patritius, si quidem in pedatura quadrin-

gento-

gentroum pedum à via decumana ad illam, quæ socios à legionibus dividit, sex tribuni sint collocandi : occupabunt enim tribunorum tentoria trecentos quinque, intervalla centum pedes : quod si & hic legatos loces aut frontem prætorii liberam esse vels, illa, quam tetigimus supra, dispositio, similior vero sit.

(Α' πμιτεγέντων ἢ πάλιν ἐκατὸν ποδῶν εἰς τὸ πρόσθεν.) Via principalis, cui dat latitudinem centum pedum, πλατείαν infra vocat : οὐ γὰρ διατελεῖν εὐ ταῖς καθημερεῖαις οἱ πλατεῖαι τοῦ Προμαίων εὐ ταύτῃ ποιήνται τῇ πλατείᾳ. Principiorum hæc pars erat, nam quamvis principia locus, quo principes ordinis tendunt, venit tamen & locus tribunalis & aquilarum in hoc nomen & ipsa via principalis. Αρχέα etiam Græci vocant, ut curias, eundem ferè, quem in castris principia usum præstantes eundemque sæpe locum tenentes, quando ad similitudinem urbis bene ordinatae castra componebantur. De Persarum hac in re more Xenophon, παιδεῖας 1. Εἴσιν αὐτοῖς ἐλευθέραι αὐγοφέραι καλεμένη. ἐνθα τάπερ βασίλεια ἢ τὰ ἀλλα αρχέα πεποίηται. Ubi forum liberum viæ principali, βασίλεια prætorio, τὰ ἀλλα αρχέα totis in castris principiis respondere videntur.

Διχοτομίσαντες η περιφερέμενην εὐθεῖαν δυὸς πόντως διατάξαις ὥρθας τῇ γερμανῇ.) Hic est ille locus, in quo Gromam in tetrante ponit Hyginus, ut quatuor castrorum portæ in conspectu rigoris stellam efficiant. Hinc totam metationem orditur. Illud interest, quod in hac compositione, qua prætorium ab altera parte viæ principalis erigitur, primum huic adsignat locum, deinde tribunis & viæ principali: ab hoc puncto legiones demum collocare incipit: sed sive à medio prætorio ad punctum hoc, sive ab hoc puncto ad punctum medii prætorii dimensus ducentos quinquaginta pedes progrediare, eodem recidit; utroque modo quatuor castrorum portæ hic stellam efficiunt.

(Τοὺς ἵππας ἀντίσεις ἔστωσι. ἐκατέρες δὲ σεργιπόδες παρεμβάλλουσι.) Equites tam veteribus quam novis in castris in medio collocabantur, quod ne Leonis quidem ævo, quo tantum in equite robur, obsolevit. Leo. Τὰς δὲ παλαιὰς ἔστιν γένηται καρφὸς ἐιστελθεῖν, εὐ τῷ μέσῳ δὲ φοράτις ἀπλενθεῖν η μὴ εὐ τὸ ἄκρεις. Et justa quidem de causâ. Cum in castris minimi usus, & ipsis munimentis vix satis tuti, nisi alio virorum munimento defendantur, aut relictis equis pedestrem ipsi pugnam capessant. Xenophon scribit equitum imprimis causa à barbaris munitionem castrorum institutam; non quod castra bene tutarentur, sed quod absque munimento in hostico confidentes nunquam satis tuti essent, παιδεῖας. 3. Et Assyrii quidem cum iis quos secum habebant, quum jam exercitus propius accessissent, fossa castra circummu-

cumminiebant, quod barbari reges hodieque faciunt. (Et quidem facillime propter ingentem hominum multitudinem:) Sciunt enim copias equestris praesertim barbarorum, qui equos ad præsepiam compeditos tenent, de nocte tumultuosas esse & difficultis iuras, operosum esse de nocte, si quis aggrediatur, solvere equos, frenare, insternare, inducere loricas ac planè fieri non posse, ut per castra vebantur, quibus de causis cum alii, tum illi castra munimento circumdant; simul existimant in sua locis munitis confidentium potestate esse, si velint, prælio abstinere.

(Πεντήκοντα διέχοντας πόδας ἀπάλλων.) Hæc est latitudo viarum vicinalium a via principali ad tergum castrorum percurrentium, in qua latitudine hoc imprimis spectari videtur, ut copiæ dextrâ sinistrâque cujusque viæ tendentes, simul ut manipuli alii commode a retenturâ ad prætenturam possint transire. Cæterum in metatione Polybiana quinquaginta pedes hemistrigium, centum striga esse: eandem certè rationem videntur obtinere quam triginta & sexaginta in castris, ut ibi dicimus, Hygini. Illic triginta viæ sagularis & quintanæ latitudo, hic quinquaginta. Ille strigæ perpetuo adsignat sexaginta: hic areis quibus singuli manipuli tendunt centum: qui minimum in his castris, accipiunt quinquaginta, ut tribuni, triarii: nulla copia minus semistrigio in ipsis: pleraque denique ista ratio ne utrobique componuntur.

(Εἰ δὲ οὐ τὸν τῆς πεζῶν συνοποίαν αἴσθεταις;) Συνοποίαe proprie est confectio tabernaculorum: συνοποῖος, is qui conficit, ut in Historia Sacra D. Paulus & Aquila dicuntur συνοποῖοι πλεύχη. Sed Polybio idem est quod συνοπηγια aut ut verius dicam, περιεμβολὴ & ratio metationis tota, quam in equite & pedite similem esse dicit, accipere enim utrosque quadratum æquilaterum pedum centum per centum, & in vias viciales conversos tendere. In Hygini castris eadem etiam strigarum & hemistrigiorum latitudo equiti & pediti eadem ratio tensionis. Turma alæ milliariae eandem pedaturam ad pedem accipit, quam centuria legionis: sed ista turma quadraginta equites habet, Polybiana triginta. Ista centuria octoginta homines; Polybianus manipulus centum viginti. Hygianus itaque eques duplam pedaturam accipit; Polybianus quadruplam: tanto laxius vetus eques Romanus novo illo & ignobili equite tendebat. Ac docet hic quidem Polybius, quam pedaturam accipient, & quo respiciant. At, quod æque necessarium ad rectè intelligendam metationis rationem, quo modo hanc pedaturam expleant, quot quibusque ordinibus confideant, quæ strigæ, quæ hemistrigii latitudo, quot tabernaculis tendat manipulus; quæ singulorum forma tabernaculorum; quanto intervallo distent, quot tegant homines, adeo non docet, ut ne vestigia quidem

dem satis certa reliquerit, quibus hæc persequeremur: nam si vel numerum ordinum, quibus tendunt, vel contuberniorum in manipulo, vel contubernialium in contubernio, vel denique unius tabernaculi pedatram descriptissent, haberemus in hoc labyrintho filum, quo cæca vestigia regeremus. Nunc cum nihil horum attigerit, quid nobis reliquit præter conjecturam, quæ sua cuique libera esse potest? Illud satis constat, non fortè temerè, aut pro libitu passim in hac area tendere, sed certo ordine. Lucilius:

*Hic ubi confessum pelleisque ut in ordine tentæ.*

Livius: *Descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum itinerum intervallis.* Ordines autem, quibus tendunt, eodem quo vias vicinales excurrere obscurum non est: ait enim *respicere eos vias & longitudinis modum juxta ipsam viam definitam habere.* Patrius quamvis nihil certi adfirmet, atque adeo dubitet, uno an pluribus tabernaculis tendat manipulus; in formâ tamen castrorum suâ, quatuor dat cuique manipulo, in quorum fronte ad viam centuriones locat in hunc modum □○○○. Lipsius duodecim papilioes tetendisse manipulum vult, quorum singuli acceperint undecim homines vel decem cum Decano ex præscripto Vegetii, quem numerum pro ipsâ areâ non esse ineptum, ut terni & terni steterint ordine quaterno: ipsos autem centuriones in capite cujusque manipuli ad exitum sitos, ut Polybius palam scriperit, reliquos ad sitos probabile esse, ut ætas aut dignitas cuiusque esset. Sed profecto non bene posuit calculum, si undecim homines hac ratione vult esse in contubernio: duodecim enim tabernacula non capient centum viginti, sed centum triginta duos homines. Ac ne demitis quidem de hoc numero duobus tabernaculis, quæ centurionibus tribuas, numerus conveniet, reliquis enim decem, centum undecim homines tantum capientur. Credo igitur velle virum doctissimum decem homines in eodem contubernio esse: ita duodecim tentoria tegant justissime centum viginti milites: ad horum exitum supra hunc numerum duo sint centurionum tabernacula. Area ipsa quadrata pedum centum per centum commodè dividitur in sedecim minores XXV pedum per XXV. quorum si duodecim militi adsignaveris, reliqui erunt quatuor, vel duas duplices, duobus centurionibus in hunc modum.



□ □ □ □  
□ □ □ □  
□ □ □ □  
□ □ □ □ Ex quinque his & viginti pedibus, cum pars jumentis, pars armis, pars semitis danda sit, vix laxius Hyginianis ista poterunt disponi;

ni : nisi quod inter singula tentoria aliquanto plus spacii ; nam si papi-  
lioni decem , jumentis novem , viæ sex pedes dederis , habebis viginti  
quinque : supereft , ut ad latus cujusque tentorii arma fuerint posita , non  
post illud ; quibus tredecimi pedes erunt , id est , septem supra modum  
Hyginianum ; sed istâ ratione ab illâ quoque parte , semitæ non nihil  
fuerit . Quod si manipulum uno ordine & omnes ad vias intercurrentes  
tendere velis , haud paulo grandiora contubernia & tabernacula in lati-  
tudine areæ ( latitudinem appello à viâ ad aream contiguam ) longiora  
oportet facias , qualis est ferè domuum species usu non improbata . Erunt  
fortassis etiam , quibus ab Hyginiano modo non abhorrere videatur ,  
manipulum duobus ordinibus collocari : ordini quinquaginta pedes  
latitudinis adsignari , ut Hyginus triginta . Ita dimidiatus manipulus sub  
uno centurione , uno ordine tendere poterit . Da enim duodecim pedes  
aut paulo plus tentoriis , quæ capiant decem homines , sex tentoria miles  
accipiet , & duorum spaciū relinquetur centurioni , ut apud Hyginum .  
Possit hunc modum probabilem facere , quod dimidiatus manipulus jam  
olim ordo dictus , quid ? nisi quod uno ordine tenderent in castris . Nam  
in acie hoc sensu , quo ordo pro una serie accipitur , neque ordo neque  
manipulus uno ordine instruitur , sed pluribus . Si in hoc vocabulo unum  
corpus intelligas , in manipulum quidem quadraret integrum , non autem  
in dimidiatum ; manipulatim enim ordinabantur . A locatione igitur  
in castris dimidiatus manipulus ordo dici videtur . Illud quidem dixerim  
unum ex his tribus generibus recipiendum , quando triariis dimidium  
numerum habentibus , dimidiā pedataram adsignat , unde conjicimus  
nec tribus nec quinque ordinibus tendere , quod ista pedatura dimidium  
non capiat ordinum . Sed quid hæremus in his , ubi viam non præiverunt  
antiqui ?

Toῦτο δὲ βλέπει μὴ εἰς τὰς διόδους .) Casaubonus vertit ; eaque ad in-  
terjectas vias spectans : Recte , sed ambiguè . Spectare enim ad viam inter-  
dum est proxime viam tendere vel esse , interdum eo respicere , ut dixi-  
mus ad Hyginum . Itaque ad ambiguitatem evitandam malim cum La-  
scari , respiciens vias vicinales vel intercurrentes . Anxiè hoc quidem Poly-  
bius in hac metatione legionum ubique docet , quo quisque manipulus  
respiciat , nec fine causa : Cum veram metationis rationem ignoremus ,  
nisi sciamus , quo obversi ordines , quo educantur , quo concurrant . Sed  
non minus necessarium fuissest adjicere de ordinibus & ratione tensionis ,  
quæ omnino omisit . Respiciunt autem proximas vias omnes manipuli  
turmæque , & quidem eodem , etiamsi pluribus ordinibus tendant ejus-  
dem .

dem manipuli milites : at qui interiectas vias non habent , averfi tendunt . Non multum diversa , nec tamen omnino eadem Hygini ratio : non enim cohortes vel manipuli pluribus ordinibus collocati , sed singuli ordines , ut quidem videtur diverli sibi tergum præbent & ab utraque parte in vias vicinarias spectant .

Τὸν λόγον ἡ τῶν μήνεων ἡ τῶν βαθέων περιστέφεται .) Quod interpretatur doctissimus interpres . Quoties plenioribus legionibus utuntur & longitudinis & latitudinis modum æqua proportione adaugent . Isto itaque modo quoties centuria septuaginta homines habet , ut unius papilionis pedatura sit adjicienda centuriæ , duorum manipulo , aut quotiens octoginta , ut quatuor tabernacula sint adjicienda non tantum longitudini , puta in qua tabernacula constituuntur , tantum soli adjiciendum , quantum ista occupant . Sed etiam latitudini inanis soli tantundem , & tantum occupabit centuria septuaginta vel octoginta hominum , quantum centum hominum . Quæcum pravæ ὀμοιώσεις ex imperitia metandi sint , non possum mihi persuadere hanc esse Polybii mentem . Adducor magis ut credam , οὐ λόγον non hic esse vertendum æqua proportione , ut vertit Casaubonus : alibi enim aliud significat : Interdum , ex animi sententia , ut in legionario L. III. Ρ'ομαῖοι πολέμουν οὐ λόγον πεχαρηκένα τοῖς Αχαιοῖς τὸ οὐ πάχλιον ὥσπερ εἴρης , ὅταν ἡ περιστέφεται πάντα τὰ τὴν αγωνιστέμενα . Quo sensu & hic velim accipi : pro ut res & ratio , pro ut numerus militum exigit . Postea de sociorum equitum pedatura latitudinem solam περιστέφεντες λόγον adaugeri διόπει τὸ βάθος ἀνέχοντες τέτοιοι περιστέφεντες λόγον εἰς τοῖς σερποπεδευποίοις χίραστοι πειρῶνται οὐ τὸ μῆκος ἐξιστεῦν τοῖς τὴν Ρ'ομαῖον σερποπέδοις . Idcirco etiam in formis metationis horum latitudini pro ut ratio & numerus militum exigit adjicientes longitudinem Romanis legionibus adæquare conantur . τὸ οὐ autem disjunctive , quod ajunt , hic potius accipi velim , quam copulative . Sic enim usurpant interdum Græci , & inter eos aliquoties Aristoteles , quemadmodum & Latini & omnes fere nationes , ut notant & Grammatici & Jurisconsulti . Ita apud Poëtam :

*Præcipitare jubent subjectisque urere flammis.*

Ubi Servius . *Que , copulativa conjunctio est , aut disjunctiva , quomodo ergo per , aut , adjunxit , cum non utrumque , sed alterutrum fieri poterat , quod suadebatur ?* Quæ tam parva dictu res cum planè diversum à vulgari & consueta sententiam adferat ambiguitatis & obscuritatis interdum tantæ causæ est vix viri docti sese extricent , præsertim aliis ambiguitatis causis concurrentibus . Cujus rei luculentum exemplum habemus in loco

quodam Manilii, in quo explicando viri in literis incomparabiles frusta desudant, is est Libro I. ubi agit de mutatione Meridianorum.

*Quando aliis aliud medium est, volat hora per orbem.*

~~WYAT LIBRI I. PRIMIS EXCOLLIT PHÆBUS AB UNDIS,~~

*Illi sexta manet, quos tum premit aureus orbis.*

*Rursus ad Hesperios, sexta est, ubi cedit in umbras.*

*Nos primam ac summam sextam numeramus utramque*

*Et gelidum extremo lumen sentimus ab orbe.*

Ad quæ Josephus Scaliger. Esto Incotorinis oriri solem Moluccensibus. Sexta manet, nam tum illis erit meridies, quia meridianum eorum premet aurea solis rota: rursus ad Habassenos sexta est qui Hesperii & occidentaliores sunt illis quando Moluccensibus cedet in undas. Nos primam ac summam.) Nos qui in Canariis sumus eandem horam primam diei numeramus, quam illi sextam. Primam ac summam dixit, quia summa hora noctis id est duodecima confecta init prima diei: sic Attici ἡ ρώναν dicunt. Hæc Scaliger. Post quem Salmasius. Sequitur apud Manilium locus insignis aliquot versibus expressus; quibus exponit, quomodo mutantur meridiani atque ex eorum mutatione, quomodo volitet hora per orbem. Eum locum eo Lubentius afferam, quod nec à Scaligero intellectus, nec quisquam, puto, illo cessante hodie intelligit: in his explicandis speciem, ut loquuntur Jurisconsulti, prorsus alienam ponit Scaliger & commentitiam. Scribebat Manilius in climate Romæ, si ab illo meridiano, cui Roma subest nonaginta gradus numeres, Orientem versus, devenies ad eum meridianum cui subjacet India intra Gangen. Quum igitur Indis illis meridies est & sol supra verticem, tum Romanis in ortu hoc est, quod dicit. Atque ubi se &c. Quando Sol, inquit, oritur nobis Romanis, sic enim plane intelligendum, tum illis sexta hora est, hoc est, meridies, quorum meridianum premit Sol. Ac hæc quidem recte; at quæ sequuntur ostendunt, hoc tantum vidisse Salmasium, quod nihil hic vidit Scaliger. Sic enim scribit: Sequens versus ita interpungi debet, qui vulgo pessime distinctus est.

*Rursus ad Hesperios, sexta est ubi, cedit in umbras.*

Pessime, inquam, vulgo legitur, Rursus ad Hesperios sexta est, ubi cedit in umbras. Ut non mirum sit, si nihil boni ex ea interpunctione potuit vir summis exculpere. Ubi, inquit, nobis Sol oritur, tum Indis meridies est: at ubi nobis sexta est hora, rursus illis sol in umbras cedit & Hesperios petit, id est occidit. Hesperii enim sunt ubicunque sol occidit. Egregia certe ex levicula interpunctione emendatio. Ubi sol nobis oritur illis qui eum habent supra verticem meridies stat. Ubi nobis sexta est rursus illis sol occidit. Nihil verius. Sic quidem

quidem ille. Ego vero non video quamobrem hæc distinctio recipienda ; video cur rejicienda sit , cum in vulgata distinctione vera Manilii mens sit. Dixit antea sole Romæ oriente. Atque ubi se primis extollit Phœbus ab undis. Meridiem esse apud alios puta , Indos , uno quadrante circuli Orientaliores : rursus eadem ratione occidente Romæ sole apud Hesperios uno quadrante circuli Occidentaliores esse meridiem.

*Rursus ad Hesperios sexta est , ubi cedit in umbras.*

Pergit Salmasius nihil felicius. Quod sequitur id ostendit & unicè confirmat. Nos primam ac summam sextam numeramus utramque. Nihil istic Scaliger vidit , ut ex ejus interpretatione apparet , &c. Nihil alienius à mente Manilii quam hæc est expositio. Ait igitur autor ex illis , quæ dixit consequi , ut tam prima quam suprema diei hora pro meridianorum diversitate sexta debeat numerari. Et enim quum sol oritur Romanis , prima hæc illis diei hora est , at Indis tum sexta est vel meridies. Rursus quando Romani meridiem habent & sextam numerant , tum Indis occidit söl & summa est illis diei hora , sic utraque hæc hora prima inquam & suprema pro meridianorum diversitate sexta numeratur. Sed facile est intelligere serio attendenti , non esse hanc Manilii mentem : non enim dicit prima & suprema ab aliis sexta numeratur , sed nos Romani numeramus : cum tamen antea dixisset sole apud Romanos oriente , apud alias sextam esse.

*Illis sexta manet , quos tum premit aureus orbis.*

At profecto non bis quotidie sextam numerant Romani , nec sexta eis est , cum oritur sol nec cum occidit. Vera sententia est. Oriente apud nos sole , apud Indos meridies est , occidente apud nos sole , apud Hesperios meridies est , vel sexta diei hora : nos neutram harum sextarum sextam , fed alteram primam , alteram summam numeramus , primam quâ sol exortitur , summam quâ occidit. Neutrâ harum sextarum elatus supra nos sol est , sed utraque ab extremo orbe , illâ ab oriente , hac ab occidente nos respicit gelido lumine : hoc est quod dixit.

*Nos primam ac summam sextam numeramus utramque ,*

*Et gelidum extremo lumen sentimus ab orbe.*

Sextam utramque primam ac summam numeramus , id est duarum harum sextarum Indorum & Hesperiorum , alteram primam , alteram summam , numeramus. Ita Livius : *Nisi quod utriusque populi fortuna & extollere & minuere animos poterat , hoc est , alteris extollere , alteris minuere.* Idem Libro X X I I I . Cum sex imperatoribus quorum quatuor consules , duo dictator ac magister equitum fuerint , intellige duo , quodrum alter dictator , alter magister equitum fuerit. Sed nos nimium quantum à proposito divertimus ,

mus, & veremur jam p̄ne, ne indignentur homines magna professi, qui minutias has quasi infra majestatem suam ad pueros superbi & contemnentes solent amandare, & cum ipsi nihil admodum intelligent in literis, tam felici tamen infanta sunt, ut nihil, quod sapientem scire oporteat, se putent ignorare. Sed ad rem. Polybium hic putamus velle, ut plenioribus legionibus vel longitudo vel latitudo vel etiam utraque, prout ratio & res exigit, augeantur. Non enim semper æquam proportionem iis datam probant præcedentia. Εχει τὸ μὲν μῆκος ἀλογοθέου τὸ πλῆρε τὸ διδόνεται γάρ ἐκατὸν ποδῶν αἰς δ' ὅπερι τὸ πολὺ τὸ βάθος τὸν πειρῶντα ποιεῖν τὰλανταὶ συμμάχων. Probat & hoc, quod triariis dimidium tantum latitudinis adsignat, quia dimidium numerum habent.

(Γενομένης δὲ τὸ τὴν πατέων παρεμβολῆς καὶ μέσους τὰς τοῦ χλιδέρχων σκηνὰς.) Ex hoc loco colligi videtur posse, tum solos tribunos in hoc scanno tendere (non alium enim quam hunc locum occuparent legati) tum tribunorum media tentoria, non nisi quinquaginta pedum intervallo disiecta esse. Quamvis Polybius in istis satis neglegens, interdum tabernacula & tabernaculorum locum vocat, quæ est tota pedatura.

(Ημίου πιεντες τὸ βάθος τὸ μῆκος.) Ex hoc loco, siquidem triarii eadem ratione, quæ cæteri manipuli, tendunt, efficiendum videtur, quod diximus, triarios vel uno vel duobus ordinibus pedaturam pedum quinquaginta complevisse, & proinde cæteros manipulos vel uno longiori vel duobus vel quatuor papilionum ordinibus: neque enim aliter dimidio numero dimidium pedaturæ rectè adsignari videtur.

(Διὰ τὸ βάθος Διχοεξ.) Quum impar s̄pē sit numerus hominum, longitudo tamen eadem manet propter latitudinis variationem. Longitudo quidem pedaturæ manipuli, ut plurimum centum pedum est, non tamen semper: (plenioribus enim legionibus & huic adjicitur) sed semper æqualis est: hoc est, eandem longitudinem, quam accipiunt hastati, eandem & principes & triarii & equites & socii: quam primus manipulus, eam & cæteri: nam eadem longitudine totam metationem esse oportet à viâ principali ad tergum castrorum. Latitudo autem pedaturæ ita mutari potest, ut tamen unius generis manipulos eadem maneant, quo ne alii latiorem aliis pedaturam accipient & viæ intercurrentes rigorem servare & à principiis ad decumanum latus rectâ possint percurrere, puta, triarius primus dimidiā vel etiam dimidio minorem latitudinem accipiat, eadem & cæteris triariis dabitur. Quare, si qua diversitas in numero singulorum generum, quæ non tantum in principio inter triarios, & cæteros milites, sed etiam belli casibus inter hastatos &

& principes nasci potest, ei contractâ arearum latitudine subveniri potest. Sed si centuriæ vel manipuli aliis ejusdem generis minores fiant, ei malo non sic occurritur: vel æquari centurias oportet, traductâ parte militum ex majoribus ad minores, vel minoribus eandem quam grandioribus pedaturam adsignari.

Πρὸς λογικὰ τὰς πελοποννησιαὶς ομαῖας ἐπιφέρουτες σχηματισθεῖσαι. ) Observatur hoc in castris tam novis quam veteribus Romanorum, ut copiae ad vallum tendentes, quacunque castrorum parte vallum respiciant, quo hoste ad oriente egredientes tentoriis suis, expeditius ad vallum tuendum accurrere queant. Ita socrorum pedites ab utroque castrorum latere, ita extraordinarii ad portam extraordinariam conversi tendunt. Ita per omnem castrorum ambitum apud Hyginum cohortes legionariæ.

Απότελεσθαισῶν δὲ τοιασῶν πάντες δύοδων.) In hac compositione castrorum quā prætorium eā in parte ponitur, quæ Hygino est prætentura, quinque viæ vicinales à principiis ad decumos ordines percurrent. Sed cum prætorium in medio duarum legionum erigitur, tunc vias hasce vel quatuor vel sex esse probabile est, vel nulla ad prætorium via vel duæ, singulæ singulis lateribus nascentur, ut prætorium medium partem obtineat & utriusque lateris metatio sit similis.

Καθ' ἐναέρινον δὲ ομαῖαν τὰς περιόδους αὐτοῦ ἐπιστέρας δὲ μέρες συνναὸς οἱ Ταξιαρχοὶ λαμβάνεσσιν. ) Prima hinc & inde vel ab utraque parte tentoria centuriones, ait, occupare. Sed quid vocet utramque partem, non admodum perspicuum est. An dextra & sinistra, puta prioris centuriæ primum hastatum ad principia secundæ centuriæ juxta secundum hastatum? An à fronte alter est ad viam, alter à tergo proxime pedaturam contigui & aversi manipuli? An vero hinc inde in duabus areis oppositis ad viam vult tendere centuriones? Præterea in eodem ordine, quo milites, an extra ordinem? Deinde an eadem pedatura an ampliori? Nihil horum nos docet Polybius in istis parvis sanè dictū, sed ad instituendam recte metationem cum maxime scitu necessariis nimis neglegens. Divisâ areâ in sedecim areolas pedum viginti quinque per viginti quinque poterunt centuriones, ut in stipendiis & donativis, hic quoque duplum accipere, duplum, inquam, ejus quod cætera contubernia, quod & in Hygianâ metatione videtur fieri: ac istâ ratione vel in fronte ad viam vel ad latus unum arearum ordinem vel hinc inde dimidium occupare. Disposito in duos ordines tabernaculorum manipulo amplitudo areæ facile permittit utrovis modo vel eodem ordine vel alio centurioni pedaturam adsignari. Sed his immorari non est propositum, non quod tanti

non sit, sed quod Polybius nec illius ætatis quisquam nobis autor sit. Leo præfектum in medio turmæ collocat.

*H' καλέσοι πεντάλιον, Διὰ τὸ μῆδα τὰ πεντάλια τάγματα παρίκεν.)* Lascaris & Lipsius legebant, *Διὰ τὸ μῆδα τὰ πέντε τάγματα.* Quod ille vertit: *Quod post quinque ordines traducitur. Hic: Quod quinque illos ordines secat & pervadit.* Dividit hæc via medias legiones, ita, ut hinc inde quinque cuiusque generis habeat manipulos. Probabilius tamen non inde, sed à quinque ordinibus nomen fortitam, ut decumana à decumis ordinibus, principalis à principibus ordinibus, quod & Hyginus confirmat, cum ait: *Quinctanam appellari causa copiarum.* Rectius itaque cum Casaubono legemus, *μῆδα τὰ πεντάλια τάγματα.*

*Οἱ μὲν εἰς ἀμερὶγνη γίνεται τόπος ὁ ἐπερθετὴ τῷ ταμίᾳ καὶ τοῖς ἄμα τέτω χορηγίαις.)* Forum rerum utensilium & quæstoriorum non semper hac castrorum parte, sed interdum aliâ: ad portam decumanam in exercitu consulari: in duplicibus castris ab altera parte prætorii forum, ab altera quæstoriorum. Quoties major sauciorum copia accepta, scribente Polybio infra, etiam vacua circa prætorium locâ compleentes: *τὸ ταμίειον συναγαγόντες εἰς αὐτὸν τὸ καπεπίχοντα περὶ τὸ ξείνια πόνον.* Plerunque autem conjuncta aut parvo dirimente intervallo collocantur. Causa quod quæstori peculiaris cura rerum ad viatum necessariarum & in hoc forum inspectio. Fallitur autem Lipsius, quod opinatur, hoc illud esse forum quod conventibus & legationibus audiendis servierit, quod *Gnomam* dicit Suidas appellari, in medio enim principiorum *Groma.*

*Οἱ τὰ πεπλέκτων ἵππους ἀπόλεκτοι.)* Lipsius: *Extraordinariorum equitum ablecti.* Casaubonus: *Selecti ex equitibus extraordinariis.* Sed illud hac utique significatione Latinum non arbitror. *Selectos recte vertas, quia ἀπόλεκτοι,* quamvis interdum idem quod ἀπλεκτοί, tamen non raro, qui accurriori cura & secundo quodam delectu ex electorum corpore selectus est. Sic apolecti sanctius concilium quod ex delectis constabat viris, ut Livius interpretatur apud Ætolos. Livius. *Concilium quidem universæ gentis Ætoli post dimissos Romanos non habuerunt, per apolectos autem (ita vocant sanctius concilium, quod ex delectis constat viris) id agabant, quomodo res in Gracia novarentur.* Sic Latini dicunt *selectos judices, selecta que corpora patres,* apud Ovidium. *Delectos itaque vel selectos recte appellabimus.* Fuit hæc turma & cohors quædam delecta consulū, ex quo fonte equites prætoriani & singulares deinde originem videntur traxisse.

Καὶ πνὲς τὸ ἐθελοντικὸν σπάτευομένων. τῷ τὸ ὑπάτων χάρειν.) Evocatos intelligit. Hi enim ex beneficiariis Imperatorum & in gratiam consulum speque præmiorum & ordinum militabant. Cæsar. *E*vocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis superiorum exercituum ad eum convenerant. Idem: *M*ulti undique ex veteribus Pompeji exercitibus sive præmiorum atque ordinum evocantur. Apud Hyginum primipilares & evocati in pedatura cohortis prætoriæ accipiunt locum dextra sinistraque prætorii: proxime prætoriorum tendunt comites Imperatoris.

*E*ξης δὲ τὰς διδόθαι πλάτους μὴ ποδῶν ἐκατὸν.) Viam hanc centum pedum in hac compositione castrorum, qua prætorium inter vias principales & hanc medium usum etiam quinctanæ præbuisse resque in ejus parte venales & similia fuisse, quæ stitorum & forum ad situm facile persuadent. Hanc autem esse, quam quinctanam Hyginus appellat, ad posticum prætorii positam, ut putat vir doctissimus, neminem arbitraturum certus sum, qui Hygini castra propius inspexerit, nostrasque ad eum notas. Prætorium illud ab altera viæ principalis parte, postica pars ejus ad veram illam viam quinctanam à quintis ordinibus ita dictam posita est. Huic autem viæ in Hyginianis castris respondere videtur, pars illa sagularis, quæ super quatuor cohortes legionarias in fronte castrorum ad vallum prætendentes, per transversa castra percurrit: quamvis enim Hyginus disertè non dicat transire hac viam sagularem: distinguit tamen has cohortes à cohortibus eâ castrorum parte intra viam sagularem tendentibus, ex quo appetet viam intermedium esse.

*Διδόθαι πλάτους πεντήγετος ποδῶν.)* Hæc est via in castris Hyginianis & simplicibus prætoriæ, cui Hyginus quantum viæ principali tribuit pedes sexaginta: At hic tantum quinquaginta, sive quod lata illa transversa via tantum spacii occupat, ut satis sit ad educandas ad intervallum copias sive quod combinata consulum castra respicit, in quibus hinc non ad portam prætoriam, sed ad alterius consulis castra transitus est.

Πάντων δὲ τὸ τεττάρων σεπτηδέων.) Omnes Polybii interpretes hæc ita accipiunt, quasi rem novam hic doceat, de qua antea non sit locutus, præcedentia ad unam duarum legionum vel consulairem exercitum referentes, quod ut clarius exprimeret Casaubonus vocem δι' interpretatus est, at. Ego vero non dubito progredi Polybium in re eadem explicandâ, tantum quod cum antea omnia eodem modo collocarit, nunc differentiam adjiciat, quæ est in compositione duarum & quatuor legionum. Quare convertemus: *Cum igitur quatuor legiones.* Ita supra. *Αὐτοὶ δέ εἴτων*

ἢ ἡ τὸ συμάχων ὅμοι τοῖς Ρωμαίοις. Item. Τέττων δὲ διγρεπῶν γενομένων.  
 Συναπίσσως τῷ τὰς τὴν ἐπιλέκτων ἑκατέρας τὸ σεχτοπέδες παρεμβολὰς, ἃς  
 ἐπισχύλῳ εἰς τὸ ὄπιον βλέπουσσες θητόνειαν.) Salmasius in exercitationibus  
 Plinianis scribit gravissime lapsos viros maximos, qui veluti ex descri-  
 ptione Polybii prætoriorum locent haud longè à portâ prætoriâ inter tribuno-  
 rum & aliorum ducum tentoria medium. Ad ipsam verò portam prætoriam  
 extraordinariis pedaturam adsignent. Nihil tam ex Alcibiētēs contrarium  
 Polybiana metatione. Extraordinarii ad portam decumanam tendebant, quæ  
 opposita prætoriæ ad tergum castrorum. Statim. Duo terga castrorum cohæ-  
 rebant ad portam decumanam ubi extraordinarii tendebant, duo castra sic  
 juncta si divideres omnibus iisdem manentibus, prætoria consulum in utrisque  
 castris ad portam decumanam deprehenderentur. Sed profecto ipse labitur  
 gravissimè ejusque erroris reus est, cuius priores insimulat. Cohæsisse  
 duplia castra ea parte, qua extraordinarii tendebant, Polybii hic locus  
 in dubium vocare non sinit, & inter omnes convenit. Illud quæritur,  
 pars hæc ad portam prætoriam, an ad decumanam fuerit? Pro hac  
 sententia stat Salmasius, pro illa cæteri omnes, qui ad Polybium scri-  
 psere. Causam, quæ illum movit, non equidem adducit, ut decebat  
 in re, in quâ à sententia tot tantorumque virorum discedit, sed quan-  
 tum conjicio, non alia fuit, quam quod Polybius partem hanc *tergum*  
*castrorum* nominat: Ad tergum autem castrorum & erat & à Latinis  
 esse dicebatur porta decumana. Sed Polybius, ut supra monuimus, do-  
 cendi causa frontem appellat, quod est tergum, & contra tergum, quæ  
 est frons. Et ideo aliquoties dicit has partes ita se semper nominare,  
 minimè necessaria monitiuncula, nédum repetitione, nisi à vulgari &  
 consueta appellatione recederet. Cum de latitudine & longitudine ca-  
 strorum loquitur, non interpretatur: nihil enim abit à consuetudine  
 loquendi. At frontis & tergi cum meminit, describit, quæ illa pars  
 sit, quam hoc nomine appellaturus sit. Nam extraordinarios alioquin  
 non ad verum castrorum tergum, hoc est, decumanam in simplicibus  
 castris (de iis enim disputamus: nam in duplicibus in medio) con-  
 sedisse evincat vel nomen portæ extraordinariæ ab extraordinariis haud  
 dubiè juxta tendentibus, ut decumana à cohortibus decimis, ductum.  
 Si enim locus extraordinariorum ad portam decumanam, hanc & por-  
 tam extraordinariam eandem esse oporteret: at hæ non tantum di-  
 versæ, sed etiam adversæ sunt. Livius X L. M. Valerium erumpere ex-  
 traordinaria porta jussit: ad dexteram principalem hastatos legionis primæ  
 instruxit: tertia legio adversus sinistram principalem. Q Fulvius Flaccus  
 cum

*cum dextera ala ad quæstoriā portam positus.* Idem firmat dispositio Polybiana in qua extraordinarii non juxta cohortes decimas , sed contrariâ castrorum parte ad vallum tendunt. Quod si velimus extraordinarios ad portam decumanam collocari , statuendum sit cohortes decimas legionis ad portam extraordinariam vel prætoriam sedere , quod minimè admittendum , cum in illis castris omnia antiquo more disponantur , principes castrorum ad principia , quinti ordines ad quintanam , Porta præatoria in prætorii , quæstoria in quæstoriī rigore , unde hæc traxerunt nomina. Quare extraordinarios eadem ratione ad portam extraordinariam vel prætoriam , decimas cohortes ad decumanam tenebisse certum est.

Τὸ δὲ χωεῖον διωλάσιον ἐπέδειν, τὸ δὲ περίμετρον ἡμιόλιον.) Spatum prioris duplum , circuitus sesqui alter. Siquidem inter extraordinarios utriusque exercitus spatum illud , quod est ad vallum , cum pedatura ipsius valli bis fuerit relictum inane , hoc est quadrungenti quinquaginta , vel utique supra quadrungentos pedes erit , præcise verum erit de tota castrorum pedatura ejusque circuitu exteriori. At si nimium videtur minusque necessarium in mediis castris tantum inanis soli , de interioribus castris eorumque podismo & perimetro hæc accipi poterunt , nisi potius Polybius minutias istas non consecutatus est.

Οὐδὲν ἔτερον δεῖ νοεῖν τῷ δύο σπατεῖας.) Alterius exercitus consularis pedaturam non explevit , quia eadem utriusque ratio. Ita & Hyginus partem dimidiā castrorum tantum disponit , quod percepta ea de toto constet.

Οὐταν μὲν ἐν συμβαίνῃ τὰς ὑπάτους ἀμφοτέρους ὅμης σρατοπεδεῖεν.) Hæc repetitio satis probat , quod supra diximus de eadem hic compositione , qua superius , loqui. Ac omnes quidem Polybii interpretes , qui que de castris Polybianis scripsierunt , omnia , quæ in hoc opusculo dixit , de castrametatione duarum legionum intelligunt : nec sine magnis causis , cum tot loca nos eo trahant. Ac primum consules quotannis quatuor legiones ait scribere , sed fere legionibus suis edicere separatim locum ad conveniendum. Τάτῃ δ' ὡς ἐπίπαν ἐκάτεροι χωεῖς τὸν τέπον τῶν αὐτῶν σρατοπέδων . ἐκατέρω γάρ δίδοται τὸ μέρος τῶν συμμάχων ἢ δύο τῶν Ρωμαϊκῶν σρατοπέδων : videtur autem vulgarem rationem metationis hic docere. Præterea castrorum , quæ descripsit , universa forma fit quadrata æqui-latera. Τὸ μὲν σύμπαν χῆρα γίνεται τὸ σρατοπεδεῖας τετράγωνον ισότιμον . Quæ manifestum est de duarum legionum castris dici : quatuor enim legionum castra non quadrata , sed oblonga sunt. Et

statim post hæc , quamvis jam non nisi duabus legionibus pedaturam adsignaverit , ex dictis jam facile esse colligere totorum castrorum magnitudinem . Ad hoc motis infra castris non nisi duarum legionum cum locis agmen defertibit . Ac ne quis putet de aliis illic copiis , de aliis hic loqui , castra ibi eadem omnino , qua hic , ratione , nec alio loco forum , prætorium & quæstorium ponit . Est & inde palam simplicitia castra respicere , quod in præducenda fossa muniendisque castris duo latera sociis , duo Romanis , utriusque legioni unum attribuat . At Salmasius in exercitationibus Plinianis in alia est sententia , dicens id eos fefellisse , quod Polybius non simplicium castrorum , sed combinatorum metationem tota ea narratione describat , ut ipse disertim profiteatur , quod mirari se tantos viros non advertisse . Igitur quum ambo consules bina castra in unum jungerent , & quatuor legiones intra unius valli ambitum concluderent , eam metandi rationem locum habuisse , ex binis castris veluti una facta , duo terga castrorum cohæsse ad portam decumanam , ubi extraordinarii tenderent : Amborum consulum prætoria haud longe inde in medio tribunorum & aliorum ducum utriusque exercitus . Sic factum , ut duo prætoria consulum simul metantium in medio ferme sic adunatorum geminorum castrorum reperiuntur . Duo castra sic juncta si divideres omnibus iisdem manentibus , prætoria consulum in utrisque castris ad portam decumanam deprehendi ubi pedatura extraordinariorum . Nam ad portam posticam , ubi portæ decumanæ , contingebant sese duo castra , cum essent juncta : Deinde probat hoc & præcedenti loco Polybium clarè & planè fateri ; quæcumque de castrametatione in anterioribus scripsit , accipienda esse de junctis castris , atque adeo nihil apertius esse , quam prætorium in medio castrorum locari solitum , quum simplicia essent castra . Sed decumanam fuisse ad quam extraordinarii tenderent , supra refutavimus . Ad duplia castra referre hic Polybium , quæ superius dixit , serio attendenti non ambiguum videtur . Οὐδὲν ἔτερον , inquit , δέ τι νοῦν πάλιν δύο σπαρτίας κατὰ τὸν ἀριθμόν παρεμβεῖ ληχνισθεῖται . Et rursus in hoc loco , ut supra citavimus . Quid igitur dicemus ? quomodo componemus hanc pugnam non tam doctissimorum virorum quam ipsius secum Polybii ? Non aliter quam statuendo , Polybium hoc agentem in hac digressione , ut unâ descriptione nos doceret & duarum & quatuor legionum compositionem : duarum tantum dedisse , eâ ratione , qua in duplicibus castris semper disponerentur , ita ut duplicata forma haberemus quatuor legionum castra . Hanc autem formam , tum ut unâ descriptione res perageretur , prætulisse , tum quod & in simplicibus castris , ita aliquando prætorium & quæstorium collocarentur . Hoc enim

enim indicare arbitror illa: ἔτως ἀεὶ χρῶνται ταῦς σεχτοπέδειας, semper eo modo intellige, quem ostendi, solent metari, cum contra in simplicibus non semper ita collocarentur, imo vulgo alio, ut jam dicit, sed tamen aliquando etiam hoc modo. Nam & Cæsarem lego prætorium in castris unius legionis, non in medio, sed ad littus posuisse. *Tabernaculum*, inquit scriptor belli Africani, secundum littus ipsum constituit, ut prope flum verberaret, hoc eo consilio fecit, ne quis moræ quicquam fore speraret, & ut omnes in dies horasque parati essent. Sive quod in castris in unius noctis transitum positis non semper justo loco constitueretur prætorium, sive quod ex insueto castrorum ordine colligere potuerunt non diurnam fore mansionem: Africanus & Leo tantum vetant mediâ viâ collocari prætorium, non admodum laborantes à qua parte viæ. Africanus. Τὸν δὲ σεχτήγον εἰς ἵν μέρος δεῖ ἀστηρεύειν οὐ μὴ εἰ τῷ μέσῳ τοῦ ὁδοῦ ἵνα τῷ πάροδον κωλύει, οὐ ποτὲ τῇ διεγκόμενῳ σχλήνη, &c.

O<sup>ο</sup>ταῦ δὲ χωεὶς.) Quoties vero separata habent castra. Et verba & sententia verborum satis perspicua, si per interpres liceret. Hi enim persuasum habentes Polybium supra omnia docuisse, quæ ad metationem unius consularis exercitus pertinent, fingunt hic formam nescio quam, qua & conjuncta & separata castra habent consules, cum palam sit de uno consulari exercitu loqui.

Τινὲς δὲ ἀρχεῖν οὐ τὸ παμεῖον οὐ τὸ σεχτήγον μέσον πθέασι, οὐ δυοῖν σεχτοπέδων.) In hoc loco interpretando, propter eam, quam diximus, opinionem, hallucinati sunt omnes, vertunt enim: *Forum & quæstoriū & prætorium in medio utriusque exercitus collocant*. Nec tamen probabilem extricant sensum. Patritius postquam diu multumque frustra se fatigavit, multum hunc locum absurditatis dicit habere: cuius sententiam amplexus Lipsius quamvis dissimulet. *Videtur*, inquit, *videtur* (nam satis hæc ambigua) quod ad legiones omnia tunc fuisse eadem, duntaxat prætorium, quæstoriū & forum tunc admota ad vallum, & sic communionem inter consules fuisse, singulis tamen castris vallo suo discretis, nam hoc nisi fuisse, jam non esset metatio, & castra diversa: hoc autem fieri potuit, vel in oblonga illa figura jam dicta, saltem, ut extraordinarii amoverentur & ad latus locarentur, vel in figura alia, ut castra velut geminarentur, sed dupli vallo discreta. Prætorium autem & adjuncta ad latus utrumque circa portas principales. Ita ex Polybio, et si raro in libris, qui hodie, consules sic junctis castris vallo tamen divisos fuisse legas. Hæc ille, quibus ego addo non raro, sed plene nusquam apud veteres inve-

inveniri , sed patrum nostrorum memoria in cerebro interpretum Polybii natum altumque hoc commentum plenum absurditatis & periculi. Quid enim absurdius , quam duo prætoria ut conjungantur extra castra protrudi? duos confutes tanquam milites , qui parum prospere pugnassent , extra vallum à suis abstrahi , & quodammodo hostibus exponi? Sed illa , quam diximus , opinio produxit hoc monstrum , fecitque , ut verba per se clara alio detorquerentur. Vedit hoc & , quo dignior laude , primus omnium vidit Salmasius , monuitque Polybium hic de simplicibus castris loqui , sed tamen ne sic quidem hunc locum recte interpretatus est: *Forum vero & quæstорium, prætoriumque in medio ponunt* : nec addit , quod caput est ; quorum in medio : velle videtur in medio castrorum , indicant id verba sequentia. *Quid apertius quam prætorium in medio castrorum locari vulgo solitum, quum simplicia erant castra?* At Polybius sic intelligi non potest , sive rem sive verba spectes. Forum enim & quæstорium & prætorium inquit in medio poni , at hæc omnia in medio castrorum non ponebantur. Nec verba ipsa μέσον πλέασιν ή δυον σεχτοπέδων verti possunt , in medio castrorum , nisi velis cum interpretibus : *In medio duorum castrorum vel utriusque exercitus* : quo illorum sententia maximè confirmetur. Vertendum erat omnino : *In medio duarum legionum.* Polybium enim voce istâ hoc loco legionem designare , sole meridiano clarius apparet ex præcedentibus , ubi de differentiâ metationis duplicitum & simplicium castrorum agere incipit. Πάντων ἡ τὰ πεζάρων σεχτοπέδων ή τὰ πόλεων αὐτοτέρων εἰς ἑνα χάρεσια συναθροισθέντων. Quæ recte de qua quatuor legionibus acceperunt , quo magis miror , adeo illis facinatos fuisse oculos , ut illa de duabus accipi debere non viderint. Repetit deinde eandem rem aliis verbis , ne longior periodus , in qua dicitur , & qua parte castrorum duplia castra cohærent , & quam efficiant formam , obscurum faciat , quod illi propositum hic est , ostendere nempe discrepantium metationis unius & duorum consularium exercituum : Οὐταν μὴν ἐν συμβαίνη τὰς πόλεις αὐτοτέρως ὅμεις σεχτοπέδενεν. Quoties igitur contingit utrosque consules una metari , vel juncta castra habere , εἴτε αἱ τριῶν πόλεων σεχτοπέδαις. Hoc modo semper solent metari , vel semper hoc modo illa disponuntur. Addit jam quo differant simplicia castra. Οὐταν ἡ χωρὶς. Quoties vero seorsum , scilicet metantur vel separata habent castra. Quid tum? Forum & quæstорium & prætorium , μέσον πλέασιν ή δυον σεχτοπέδων. Plerumque autem veteri republica unum consulem duabus legionibus rem gessisse notum est. Polybius libro 3. η τὰς μὲν πλείστας αἴγανας δι' εἰδος πόλεων ή δύο σεχτοπέδων η οι πεζάρων σεχτοπέδαις

πρωθετος πληθες τη συμμαχων κεινων. Ηαc erant simplicia castra : ut in duplicitibus quatuor, sic in simplicibus duæ legiones : utque in illis prætoria & quæstoria bina eâ parte, quâ conjungebantur castra, id est, in medio quatuor legionum : ita in his prætorium & quæstorum in medio duarum legionum. Illud in utrisque non procul à media parte totorum castrorum ad principia : quæstorum verò in rigore portæ decumanæ à tergo prætorii, inter quæ medium forum. Ac hunc in consulari exercitu & quotidianâ metatione verum harum partium locum esse multa probant : ita quæstorum ad portam decumanam in castris Atilii consulis locat Livius. *Ab tergo, inquit, castrorum porta decumanana impetus factus : itaque captum quæstorum quæstorque ibi L. Opinius Parusa occisus.* Adde, quod ipsa porta quæstoria cognominata : unde, nisi à quæstorio proximo ? Livius XXIII. *Alius tumultus ab aversâ castrorum parte est exortus : in portam quæstorianam irruperant Galli.* Similiter quintanam forum rerum utensilium esse, & Festus & vox ipsa inde ad hastam translata satis adstruunt, sitam verò, quo diximus loco, nemo negare potest, nisi qui Polybium & veteres palam impugnet. Quæ sanè talia esse ipse Lipsius fatetur, *ut nihil iis sine calunnia obtendere possit. Descendit autem illuc, ut olim & veteri ævo quæstorum fuerit è regione decumanæ via media quintana : ante Polybii tamen ævum mutarit & visum transferri quæstorum in prætorii latus, ut vicinus.* Quæ ego non laborabo refellere, ut nulla veterum autoritate fulta; immo ut illis ipsis autoritatibus, quas adducit, satis refutata. Quis enim disertius dixit Hygino, quæstorum etiam illa ætate fuisse supra prætorium in rigore portæ decumanæ ? Quis magis illi contrarius quam ille, quem pro se citat Livius in XLI ? *Prætorio dejecto, directis, quæ ibi fuerant, ad quæstorum, forum, quintanamque hostes per venerunt : ibi quam omnium rerum paratam expositamque copiam & stratos lectos in quæstorio invenerunt, regulus accubans epulari cepit.* A prætorio ad quintanam, ab hac ad quæstorum itur, & plane eodem ordine, quo in castris Hyginianis hæc sunt disposita, ut inter duas legiones media esse dubium non sit. Nam & alii veterum, prætorium non in prætenturâ, ut isti, sed, ut Hyginus, in medio castrorum locant. Virgilius de prætorio in castris Æneæ, in quo concilium habebat Ascanius cum principibus exercitus.

*Ductores primi tenerum & delecta juventus.*

*Consilium summis regni de rebus habebant :*

*Quid facerent, quisve Æneæ jam nuncius esset :*

*Stant longis adnixi bastis & scuta tenentes,*

*Castrorum & campi medio.*

Servius : *In medio campi spacio : qui campus castrorum medius fuit, quia in mediis castris Principes sunt.* Josephus scribit Principum tabernacula in medio castrorum esse, inter quæ *μεσαινετον*, maxime medium prætorium. At enim hac ratione, siquidem cætera eodem, quo antea modo disponantur, prætentura jam in illis duplicibus castris satis vacua & inanis, magis magisque nudabitur : vellem equidem Polybius clarius & minus neglegenter hæc docuisse, scrupuloſque similes exemissem : sed tamen cum nationibus in prætenturâ paulo ante dederit locum, his utrimque ubi forum & quæstorium fuit, receptis jam non admodum multum supererit, præter viam prætoriam, quam in ipsis castris latiorem, centum minimum pedum esse non ambigo. Quid si valetudinarium, veterinarium & fabrica, quæ hic omnino intacta reliquit, & Hyginus in hac parte locat, adjicienda? Quid si suum legatis, scamnum æquè ac Tribunis? Occupabitur pleraque pars prætenturæ, quam Polybius perfunditorie admodum describit, etiam in illa duorum exercituum compositione, quasi satis habens, metationem legionum Romanarum ostendisse. Sed & in eo à Polybii mente positio hæc Prætorii inter duas legiones abire videtur, quod tota castra non quadrata æquilatera, sed ducentis minimum pedibus latiora quam longiora fiant. Sed cum longitudinem prætenturæ parum accurate definiverit, nec satis ostenderit, an cum intervallo quod est ad portam prætoriam, an verò absque eo castra hæc dimidiata vel simplicia quadrata sint, ne hoc quidem pro certo affirmari potest: Si enim absque intervallo ea jam est castrorum forma, interposito prætorio & adjecto intervallo, habebis iterum justum quadratum: urique enim ducenti dabuntur pedes, huic in longitudine, illi in latitudine castrorum; quamquam hanc formam non semper ad pedem observari ostendit ipse Polybius: quoties enim major fuerit sociorum multitudo, ad pedaturam eorum utrimque lateribus strigam jubet adjicere, quo castrorum latitudo paulum exrescat necesse est.

Πάντας ἐλέγηροι ὅμοι καὶ δελέγοι ὄφεισοι καθ' ἓνα ποιεύμενοι τὸ ὄφεισμὸν.) Transit Polybius à metatione ad jusjurandum, quod castris positis dicebant. Meminit supra alterius Sacramenti, in quod peracto delectu adacti, jurabant se ducibus fore dicto. audientes strenueque & pro viribus effetueros, quæ jusserint. Apud alios autem rerum Romanarum scriptores, aliorum aut certè non per omnia eorundem Sacramentorum mentio fit, unde melius plerisque visum de Sacramentis militaribus uno loco agere. Ac non pauca veterum testimonia huc facientia collegerunt pridem viri docti & antiquitatis Romanæ gnari; in primis autem Carolus Siganus,

Barna-

Barnabas Brissonius & Justus Lipsius, ad quorum te erudita scripta mittere, nos quidem malebamus, quam supervacaneā repetitione eorum, quæ bene ab ipsis dicta sunt, mihi tibique tædio esse. Sed quum illi partim nuda loca citare satis ~~habuerint nullis~~ nec distinctionibus eorum, quæ confusè dicuntur, nec interpretatione eorum quæ obscurè, adjectâ; partim veterum mentem parum assequi videantur, nobis hanc materiam belli tractantibus partem hanc silentio præterire non licuit: quia autem hæc & quæ deinceps dicturi sumus ex pluribus scriptoribus & longè lateque sparsis antiquitatis reliquiis colligenda sunt, ea tibi non in morem notarum, sed in certa capita digesta tradere consilium fuit. Verum priusquam à castrorum metatione discedamus, castra tum Polybiana, tum Hyginiana tironum causa, hic in forma placuit subjicere.

## C A P U T I.

www.libtool.com.cn

D E

## S A C R A M E N T I S.



Acramentum à sacro dicitur, autore Varrone. Sacrabatur enim aliquid, in civili illo Sacramento pecunia ad Pontificem deposita: at in hoc militari ipsi milites, sic leges sacratae, ut scribit Festus dicebantur, quibus sanctum erat, ut si quis adversus eas fecisset, sacer alicui deorum esset cum familiā pecuniaque. Ejusmodi leges ad cogendum exercitum Äqui, Volsci, Ligures olim habuere; de illis Livius in IV. Lege sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiae erat, delecta habitu, utrumque validi exercitus profecti in Algidum convenere. Meminit & Livius legis sacratae militaris apud Romanos C. Marcio, Q. Servilio Coss. latæ. Ne cuius militis scripti nomen nisi ipso volente deleretur: *Sacra jura apud Virgilium Äneid. 2.*

*Fas mibi Grajorum sacrata resolvere jura,  
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,  
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.*

Quod Servius interpretatur, ut non incidat in Sacramenti poenam: militare Sacramento τὸ ιερὸν ὄχον, Dionysius appellat libro VIII. Καὶ περιέστητες θῆται σπαστογιατοις τοῖς πεταγμένοις τὸ ιερὸν ὄχον ἀμυνοσαν καὶ τὰς οπωρίας κατεγέφοντο. Merito: tum vocem Latinam, Sacramentum respiciens, tum rem ipsam insignis sanctimoniaz à qua militia sacrata & milites sacrati. Livius. *Cæsa ac fortuita pro solenni ac sacrata militia sit.* Vegetius. *Milites jurare solent & ideo militiae sacrati dicuntur.* Maximinus apud Julium Capitolinum milites suos ita alloquitur: *Sacrati, commilitones imo etiam mei consecranei.* Dionysius libro VI. *Τῶν γάρ ιερῶν ἐπ ταῦτα*

ταυμάτων κύριοι ἦν τοῖς σπειρώμησι ὅροις κατειχθίουν ή ἐδεῖς διπλέ-  
πθαι τὸ στρεμέιν υἱούς. Ad quæ Lipsius : *sacras legiones se nec intelligere nec  
retinere, transponere magis Græcam vocem & legere πῶν ierōn οὐμείων &  
signis addere, quæ ~~were~~ dicitur & habita sacra*. At nulla erat turbandi hunc lo-  
cum causa ; eadem ratione quâ à Sacramento Latini militiam, militesque  
sacratos, Dionysius propter τὸ ierōn ὅρον legiones sacras dixit. Sic ierōn  
λόχοι Athenæo, Hesychio, aliis, sacra cohors Thebanorum, quæ ab Epami-  
nonda, vel ut alii volunt Gorgidâ instituta. Idem Dionysius τὸ σπειρώμην  
ὅρον τὸν καράπισον ὅρον vocat, quod inviolatè sancteque haberetur, ma-  
ximeque omnium servaretur : ὡμοος τὸ θητικωέιον τὸ πομάδοις η καράπισον  
ὅρον : nam ut alibi scribit, ὁ γραμμοπῆς ὅρος ὃν απέντων μάλιστα ἐμπε-  
δῶσι φωμαῖσι. Maximino apud Herodianum libro VIII. dicitur, ὁ σπειρώ-  
μην ὅρος τὸ πομάδων δρχῆς σεμνὸν μυστήριον. *Grave mysterium Romani  
principatus.* Ac Sacramentum militare tam necessarium veteres existimasse,  
ut non crederent jure pugnare in hostem posse, nisi qui eo obligatus es-  
set, ex Cicerone notum est libro I. de Officiis, ubi scribit dimissa à Pompi-  
lio legione in quâ Catonis Censorii filius militaverat, Catonem ad Pom-  
pilium scripsisse, *ut si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obliga-  
ret militiae Sacramento;* quia priore amissō jure pugnare cum hoste non posset.  
*Ejusdem M. Catonis sensis esse epistolam ad M. Filium,* in qua scripsiterit se au-  
disse eum missum factum à consule cum in Macedoniâ Persico bello miles esset,  
monere in ea, ut caret ne prælium ineat; non enim ei jus esse, qui miles non  
sit, pugnare cum hoste. Cujus rei causam inquirit Plutarchus in quæstionibus Romanis. An, inquit, quod solam necessitatem homini hominis oc-  
cidendi jus dare oportet & qui sine lege & extra ordinem occidit, homi-  
cida est? Ideo Chrysantam laudavit Cyrus, quod cum in eo esset, ut interficeret hostem, jamque ensem fustulisset; simul ac receptui cani audivit,  
repressit manum & cæde sibi interdictum ratus, hominem dimisit: An  
verò quod qui cum hoste manum conserere vult, sine lege esse non debet,  
nec impunē ferre, si quid per ignaviam peccaverit; non enim tantum  
fortiter faciendo prospicit, quantum noceat male pugnando fugiendoque:  
Dimissus autem miles, legibus militaribus non tenetur; at qui Sacramen-  
to se obligavit, Imperatori legibusque se subjecit. Ac nihil vetat utram-  
que recipi causam. Altera justitiâ, altera prudentiâ Romanorum digna  
est. Cum enim bellum non hominum interficiendorum: sed justitiæ &  
juris, quod per leges non licuit, per arma obtinendi gratiâ suscipi debeat,  
æquum est illud, sic quoque geri, ut in omni actu appareat juris & legum  
reverentia, ut videant ipsi, qui ut hostes occiduntur, parci sibi ut homini-

bus, occidi se ab invitis & gementibus, nec nisi sub certâ lege, quatenus finis belli & necessitas publica exigunt. Quando autem & quatenus hæc pugnam cædemque requirant; non est cuiuslibet è vulgo; sed ejus iudicium, <sup>wilibum ha</sup> imperii bellique administrandi permissa est. Hujus itaque legibus bonus miles ante omnia adstringi debet. Præterea cum usu compertum sit, non tantum ferociam & virtutem ad summam victoriæ conferre, quantum disciplinam quæ obsequio continet: ad hoc rem militarem plus quam humanâ vi & diuinâ quadam fortunâ opus habere nemo ignoret; Meritò milites, priusquam eorum dextris fideique tanta res committeretur, sanctissimis Sacramentis & disciplinæ obligare & ipsis deis consecrare videntur voluisse. Tria autem apud veteres Romanos comperior fuisse Sacra menta militaria & rebus quas complectebantur & formis jurisjurandi diversa & distincta, quæ in legitima militia omnes milites, sed diversis diebus & temporibus adigebantur.

Primum in ipso delectu cum nomina darent, antiquitus dixisse docent nos veteres quando delectum habere, citare & Sacramento rogare, nomina dare & Sacramento dicere pro re pæne eadem sumunt. Dionysius libro XI. *Licet enim tribunis obsecere consilibus vi ad militare Sacramentum adigantur tribuni eos eripiunt & impediunt ne ulla de imperium detrectantibus sumatur pena.* Livius. *Dicitor omnes juniores nullo detrectante militiam Sacramento adegit.* Idem L. IV. *Hoc decreto consul armatus cum paucis appellantibus tribunum collum torisset, metu cæteri Sacramento dixere.* Idem L. XXX. II. *Obsecros in agros Sacramento rogatos arma capere & sequi jubebat:* Libro II. *Quum retinendi jus creditori non esset concursus in forum ut Sacramento dicerent fieri.* Juniores militiam detrectantes primo statim delectu citati, ad nomen non respondebant & si consul lictorem mitteret appellabant tribunos: non autem nominibus jam datis post delectum demum (quo tempore Polybius scribit Sacramento dixisse) Sacramentum detrectabant: Prius igitur & in ipso delectu ubi citati nomina dedissent, singuli Sacramento antiquitus dixerunt. Dionysius disertè in delectu ad militare Sacramentum citari, Lib. VI. *Xερόν ὁπίστατες ἐν ᾧ η παταχαφέω τῷ σπάλιωτῶν ἔμελον ποιεῖσθ. οὐδὲ γένη τοῦτον αὐτοῖς οἱ δημοσιοὶ καλέμενοι ποιάσις θέττι τ. εργάσιαν δρόκον, εἰκέλα τὸ αὐτὸν ἐκάτερον εἶχε γνώμων.* Servius item ad VIII. *Æneidos ostendit singulos rogatos.* Apud majores nostros tria erant militiae genera in bellis gerendis. Nam aut legitima erat militia aut conjuratio aut evocatio. Legitima erat militia, qua singuli jurabant pro republica se esse facluros, nec discedere nisi completis stipendis, id est militiae temporibus & Sacramento vocabatur. Ut Æne. II.

Fas mibi Grajorum sacrata resolvere jura. Aut certè si esset tumultus, id est bellum Italicum vel Gallicum in quibus ex periculi vicinitate erat timor multitus, quia singulos interrogare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum ibat ad Capitolum & exinde proférens duo signa unum roscum, quod pedites evocabat, & unum cæruleum quod erat equitum: Et qui convenissent simul jurabant & dicebatur ista militia conjuratio. Sacramentum opponit conjurationi, quod illo singuli rogarentur, singuli jurarent. Hac verò neque singuli rogarentur & omnes simul conjurarent, factum & posterioribus temporibus interdum, ut nominatim citati prisco illo more Sacramentum adigerentur. Livius de seditionis Scipionis militibus ad Sueronem. Citati milites nominatim apud tribunos militum in verba Scipionis jurant. Apud eundem Gracchus Lib. 24. Citatosque singulos jurejurando adigam, nisi quis morbus causa erit non aliter quam stantes cibum potumque quo ad stipendia facerent capturos. Rogabant Sacramento illi qui præfecti delectui, qui erant veteri republica loco consulum plerunque tribuni militares, hi per præconem, ut testatur Appianus citabant nominatim: apud hos (ira loquuntur) dicebatur Sacramentum, Cæsar Bello Civili II. Ne primam Sacramenti quod apud Domitium atque apud se quæstoren dixissent memoriam deponerent. Livius. Citati nominatim milites apud tribunos militum in verba P. Scipionis jurant. Apud tribunos militum, sed in verba summi duçis. In verba jurare dicebantur, non ejus qui verba præibat (quamvis id etiam antiquitus factum ab illis, in quorum verba jurabant phrasis ostendit) fed ejus cuius nomine præibantur, qui summo imperio erat præfuturus, cui obedientiam promittebant, cuius nomen in Sacramento nominabantur, unde & in nomen jurare dicunt Tacitus, Suetonius, Ammianus. Addebat Meſala Valerius renovandum per annos Sacramentum in nomen Tiberii. Ammianus de Juliani militibus. Jussisse universi in ejus nomen jurare solemniter gladiis cervicibus suis admotis sub execrationibus diris, verbis juravere conceptis omnes pro eo casus quo ad vitam profuderint, si id necessitas exegerit perlatiros. Herodianus sic aliquoties ad verbum, Libro II. de Pertinace, εἰς τὸ ἐκεῖνον ὄνομα τὰς σωῆτρις ὅρευσσε ὄμδοντες καὶ δύοντες δαφνηφορεῦντες πᾶς ὁ δῆμος, καὶ τὸ σπαῖδωπον. Eadem locutione utitur alibi, quæ non multum abit à Baptismi formulâ, Baptisare in nomen, εἰς τὸ ὄνομα, Phrasis enim hæc Hebraica cum alibi aliud significet, ferè tamen imperium ejus involvit in cuius nomen transfiguratur. Esaiæ IV. Mulieres petunt ut invocetur nomen viri super eas: Hoc est, ut sub imperio viri sint & ab eo trahant nomen. Significat autem non tam in nomine, id est jussu Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti baptisare, quam

quam Deo consecrare & devovere. Ac præcedunt Baptismum in Ecclesia interrogationes & responsiones, quibus velut Sacramento rogantur & Sacramento dicunt & in verba ejus jurant, in cuius nomen deinde baptificantur. οὐτενικός καρδίας, ἔξεσιν, inquiebat Philippus Æthiope postulante Baptismum: Respondebit ille, πιστεύω τὸ γένος τῆς θεᾶς εἶναι τὸ Ἰησοῦν Χριστόν. Habet & hoc Baptismus cum militari Sacramento commune, quod in eo sicuti in delectu militiæ nomen datur. Propter quam similitudinem, affinitatemque, Sacramenti vocabulum à Latinis patribus & ab Ecclesiâ receptum fuit. Tertullianus ad Martyres: *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, iam tunc, cum in Sacramenti verba respondimus.* Arriano etiam in Epictetum placuit hæc similitudo: Jubet enim nos in Dei verba jurare, quemadmodum milites jurant in verba Cæsaris: ipsius verba: Τῷ Θεῷ ἐδει. η̄ ἡμῶν ὄμνυειν ὅρκον εἰον σχετιῶται τῷ πατούσαι. Αλλά ἐκεῖνοι μὴ τὸ μηδοφορεῖαν λαυτάνοντες ὄμνυσσον πάντων προπημόσιν τῶν οὐ παίσαι σωτηρίαν. Josephus δὲ ἐσπασίαν τὸ ιήμερον ὀργνύειν. Idem eodem nî fallor libro, εἰς αὐτὸν ὥρχωσεν. Sic & scriptores Novi Testamenti quod alibi dicunt baptisare in nomen alicujus, alibi in aliquem: D. Paulus ad Romanos VI. Η̄ ἀγρόειπε; οὐ ποτὲ εἰς εἰσαγόμενον εἰς Χριστὸν Ἰησόν, εἰς τὸ θάνατον αὐτοὺς εἰσαγόμενον; I. ad Corinth. X. Πάντες εἰς τὸ Μωϋσῆν εἰσαπίστουσιν. Tertullianus Sacramentum militare & simul Baptismum respiciens, utroque dicit *in Dominum responderi. Credisse humanum Sacramentum divino superinduci licere & in aliud Dominum respondere post Christum.* Vulgo autem veteri republicâ in verba duorum consulum, qui delectum haberent & summo cum imperio apud legiones essent: Habente delectum dictatore in verba etiam consulum adactos legas apud Livium II. *Quanquam per dictatorem delectus habitus esset, tamen quia in Consulum verba jurassent, Sacramento teneri militem rati per causam renovati ab Equis belli, educi ex urbe legiones jussere:* Causa fuit, quod plures legiones scriberet, quarum quasdam etiam tum consulibus regendas daturus erat: Fortasse & illa, quod se di Etatura abeunte novo delectu opus esse non voluit. Apud eundem in tertio L. Quintius Cincinnatus. *Nobis vero, inquit, nihil delectu opus est. quum quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba juraverint, conventuros se jussu consulis nec injussu abituros. Edicimus itaque omnes, qui in verba jurasti crastinâ die armati ad lacum Regillum adfis. Hæc antiqui Sacramenti formula. Conventuros se jussu consulis nec injussu abituros.* Polybius in ipso Sacramento non meminit diei; sed pollea dicit jurasse ad diem conventuros. Παρεχθρομένης δὲ τῆς ἡμέρας εἰς τὸν ὥμοσσαν αἴθριον θηναμα. Dubitari itaque non debet, an vera hæc fuerit

fuerit formula; dubitari potest an integra: exceptiones certè adjectas ex Gellio vel potius Cincio de re militari apud Gellium liquet Lib. XVI. C. 4. *Militibus autem scriptis dies præfiniebatur quo die adessent, & ut citanti consuli responderent.* (Sed hæc a Gellio præpostero ordine citantur: Primo loco dicit quæ postremo, postremo quæ primo fiebant: Primum recitavit jusjurandum quod tempore ultimum; in castris enim dicebatur: addit militibus scriptis diem dictum ad conveniendum: nunc agit de jurejurando in quod adigebantur, vel in ipso delectu vel utique statim post delectum, priusquam dies præfiniretur quo adessent: *Conveniendos se jussu consulum* jurabant non adjecta die; quia volebant eos convenire quoties & quando necessum videretur, ut apparuit paulo ante ex oratione Cincinnati, qui milites jam dimissos vi hujus Sacramenti iterum convocavit & ad Lacum Regillum adesse jussit: Rectius autem in Gellio hic legeris: *Et ut citanti consuli responderant, quia sequitur, Deinde, &c.* Sensus est, cum ad nomen respondissent & nomen dedissent, tum jusjurandum adactos.) *Deinde, inquit, ita concipiebatur jusjurandum ut adessent, his additis exceptionibus, nisi barumce quæ causa erit, funus familiare, feriae denicales, quæ non ejus rei causa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus santicus, auspiciumve quod sine piaculo præterire non liceat, Sacrificiumve anniversarium, quod rectè fieri non posset, nisi ipsus eo die ibi sit, vis hostisve, status condictusve dies cum hoste, si cui eorum barumce quæ causa erit, tum se postridie quam per eas causas licuisset, eo die venturum, adjuturumque eum qui cum pagum, vicum, oppidumve delegerit.* Polybius in hac re excusationem nullam scribit admitti præter auspicia & ea quæ sunt impossibilia, id est suapte natura excipiuntur: Libro VI. Παραγίνονται δὲ πάντες ἀλγήσιτως οἱ καταγεγένετοι ὡς ἀν μηδεμιᾶς ἀλλης συγχωρεύμενοι περιφέρεσθαι εἰς οὐρανὸν ὅριον τὰ δὲ παντάτων. Sed neglegentius opinor, ut cætera Sacramenti has quoque exceptiones attigit. Plures complectitur & haud dubie veras Cincii formula, quarum pleraque pertinent ad sacrorum religiones, pietatem erga Deos, &c., quæ proxima semper habita, erga suos talia, sacrificium anniversarium, auspicium, feriae denicales, funus familiare, quorum cum nihil sine impia fraude neglegi credebatur posse, provideri placuit, ne his suscipiendis militaris disciplina & Sacramenti religio violaretur. Tanta cura fuit, ne quis etiam privatum neglectu aliquo religionum militiam auspicaretur. Jam vis hostisve, morbus santicus inter illa sunt, quæ præstare nemo possit. Unum militum & simul peregrinorum commodis datum, si forte status condictus cum hoste dies intercederet.

Atque hæc omnia non aliter excusabant, quam si is, cui hæc causa eman-  
sionis postridie quam per eas causas licuisset, adesset. Causæ autem an ju-  
stæ essent etiam posteriori militia, solebat diligenter examinari. Arrius.  
Menander Digestis de re militari: *Examinantur autem causæ semper eman-  
sionis, cur & ubi fuerit & quid egerit & datur venia valetudini, affectioni pa-  
rentum & affinium & si servum fugientem persecutus est, vel si qua bujusmodi  
causa. Item: Qui commeatus spatiū excessit, emanoris vel desertoris loco haben-  
dus: babetur tamen ratio dierum, quibus reversus est, item temporis naviga-  
tionis vel itineris, & si se probet valetudine impeditum, vel à latronibus de-  
tentum similiꝝ casu moram passum, dum non tardius à loco profectum se probet,  
quam ut occurrere posset, intra commeatum restituendus est: hæc de commea-  
tu ille, eo tempore quo jurandum hoc pridem desierat. Altera pars:  
Nec injussu abituros, nullam exceptionem admisit, quando desertionis nulla  
satis justa causa. Præterea Polybius peracto demum deleſtu milites jure-  
jurando adigit, simplici & generali obedientiæ: Επιτελεθέντος ἡ τὰ  
χραφῆς τὸ πεσειηρήμόν τεόπον αθροίσαντες τὰς ἐπιτελεθέντες οἱ τρεσούντες  
τῶν χιλιάρχων καθ' ἕκαστον σερπόπεδον ἢ λαβόντες ἐν ταῖς πάντων ἔνα τὸ ἐπιτη-  
δεῖσθαι τὸ ἔξοχοντα ἢ μιᾶς πειδαρχίστιν ἢ ποιήσοντα τὸ τρεσατήριόν τοῦ ἢ  
ἀρχόντων τῷ δύναμιν. Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ὀγκύστοι καθ' ἔνα τρεσοπορευόμενοι  
τετὸν δηλώντες, ὅπις ποιησοντο πάντα, καθάπερ ὁ πεῶτας. Diversum.  
hoc ab illo priori dixeris Sacramentum. Illud enim in ipso deleſtu jura-  
visse ostendimus; hoc deleſtu jam habito liquet dictum: Illo spondent  
conventuros jussu consulū nec injussu abituros, hoc generaliter fore  
omnino, ut pareant Imperio ducum: illud singuli nominatim citati adi-  
guntur, hic unum præjurantem cæteri sequuntur idem in se quisque ju-  
rantes. Sed Polybius in deleſtu citat tantum milites, Sacramenti men-  
tionem nullam omnino facit: nec hic Sacramenti verba singula perse-  
quitur (liquet id ex eo loco, quo dicit, jurasse ad diem conventuros, cuius  
rei tamen hic non meminit) sed rem ipsam summatim complectitur obe-  
dientiæ vocabulo, cuius non postrema pars est convenire jussu ducum  
nec injussu abire. Probabile itaque est, Polybii hoc jurandum forma  
quidem & tempore quo dicebatur aliud atque illud antiquum esse: cæte-  
rum re ipsa idem, ac primum etiam quod illa ætate milites jurabant.  
Quod mihi fit verisimilius, cum apud Livium & Frontinum legam Bello  
Punico secundo, in forma Sacramenti à more majorum paululum rece-  
sum esse. Livius. *Milites tum primum, quod nunquam antea factum, jureju-  
rando adacti à tribunis militum, jussu consulū conventuros, neque injussu abi-  
turos. Ad eum diem nihil præter Sacramentum fuerat, &c.* Frontinus. L.  
Paulo*

Paulo (ita hic scribendum est, vulgo legitur, *L. Flacco*: Lucius enim Æmilius Paulus cum C. Terentio Varrone consul fuit, anno Cannensi clade noto, in quem annum hæc refert Livius) *L. Paulo & C. Varrone* *Coff. milites primo jure jurando fas illorum, ante enim Sacramento tantummodo à tribunis rogabantur.* In quibus explicandis admodum laborat vir summus, libro de militia Romana, I. Dialogo de Sacramento. *Quid ais, inquit, Livi? nunquam antea factum: tu aliter docuisti & dedi jam totidem verba, sed discriminat ipse, et si non sine ambage & nodo. Nam subdit ad eum diem, &c.* Dicit hic duo nec *vinclum* æque validum fuisse, nec eadem verba. Non *vinclum*, quia *Sacramentum* & *velut fædus spontaneum quoddam inter ipsos erat, nec tribuni adigebant: non verba, quia formula tota diversa, nec quicquam ibi de sequela ducum aut signorum.* Ita hic quidem *Livius*. Sed quis cum Dionysio conciliet, qui palam de ducibus & signis habet. *Quin habet etiam Livius ipse, ut dedi supra.* At, inquires, non jurarunt? Cur igitur idem *Livius* sic locutus. Omnes qui in verba jurastis. Item: in verba sua juratos centuriavit. Atque hæc olim & diu ante Punica. *Præfatus sum intricatè hæc scripta, nec ego plenè & ad meum votum extrico.* Hæc *Lipsius*. Causa cur non extricet est, quod *Sacramentum à jurejurando & conjuratione non distinguat: adacti quidem jam olim in verba consulum milites Romani, sed Sacramento non legitimo jurejurando: Sacramentum vim jurisjurandi habebat, & qui Sacramento dixerant, jurati rectè dicebantur.* Sed *Sacramenti* non eadem & legitimi jurisjurandi forma: *Sacramento* rogabant qui delectui præerant, dicebant, qui rogabantur: In civili quoq; *Sacramento* rogabant & spondebant. *Festus. Sacramentum æs significat, quod pœnæ nomine penditur sive eo qui interrogatur sive contenditur.* In hoc militari jam diximus & passim legitur. *Frontinus* supra. *Ante à tribunis tantum Sacramento rogabantur.* Rogare autem & dicere relata esse, notum est, rogare sententiam & dicere sententiam, rogare *Sacramento* & dicere *Sacramento*. At *jurejurando* rogare non dicunt Latini, sed *jurejurando adigere*, vel *jusjurandum adigere*, *exigere*, *deferre*, *dare inter se*: nam formula verborum conceptorum quæ præibatis, qui *jusjurandum* adigebat, non habebat vim interrogandi, ut malè putant, sed dictandi. Apud *Plautum Rudentem*. *L. Præi verbis, quid vis id quod domi est, nunquam illi supplicabo.* *G. Tenearam hanc.* *L. Teneo.* *G. dejurato mibi argentum daturum.* *L. Fiat, &c.* Idem ex milite glorioſo scenâ ultimâ liquet. Eadem ratione intelligenda quoties præitum solemnis illa formula: *Ex tui animi sententiâ, ut apud Livium.* XLIII. *Ex tui animi sententia, tu ex edicto C. Claudi Tib. Sempronii censorum in provinciam Macedoniam redi-*

bis, quod sine dolo malo facere poteris. Praeuntis enim verba hæc sunt, quæ in secunda persona non concipiebantur, quo interrogarent eum, quem adigebant iusjurandum: sic enim etiam concipiebatur, cum nullæ interrogandi causa, ut apud Petronium. *Ex tui animi sententia, ut tu Triphæma neque injuriam tibi factam à Gytone quereris, &c.* Quæ erat tabula foederis forma: sed ne ille qui verba præbat in sua persona verba concipiens religione aliquâ verborum alligaretur; tanta enim erat jurisrandi apud veteres sanctitas, ut quamvis proprie non obligaret nisi ex animi sententia affirmaretur, tamen ipsa quoque verba, quæ testem advoarent Deum, non temerè de se pronuntiarent. Videre id etiam est in loco paulo ante ex Plauto citato, ubi cum Gripus in suâ personâ quædam prævivisset, mox tamen ubi ad execrationem pervenit mutat persona.

*L. Venus Cyrenensis, testem te testor mibi,*

*Si vidulum illum, quem ego in navi perdidì,*

*Cum auro atque argento salvum investigavero,*

*Isque in potestatem meam pervenerit.*

*Tum ego huic Gripe dico, inquit & me tangito.*

*L. Tum ego huic Gripe dico, Venus, ut tu exaudias,*

*Talentum argenti magnum continuò dabo.*

*G. Si fraudassis, dicio uii te in quæstu tuo*

*Venus eradicet caput atque ætatem tuam,*

*Tecum hoc habeto tamen, ubi juraveris.*

Jusjurandum quod præjuratione fiebat in prima personâ concipiebatur. Idem enim jurabat qui præbat verba concepta: at in quod alias tantum adigebant in secunda persona. Legitimum itaque iusjurandum, eo diversum à Sacramento, quod illud interrogatione, hac adæctione fiebat & conceptis verbis quæ præbantur. Sacramento præterea singuli antiquitus rogabantur. At hoc iusjurandum Polybianum præjuratione fiebat. Uno præjurante cæteri idem in se jurabant: eo potissimum conjuratiōnem à Sacramento distinguit Servius loco quem supra citavimus. Festus. *Præjurationes facere dicuntur, qui ante alias conceptis verbis jurant, post quos in eadem verba jurantes tantummodo dicant. Idem in me.* Præjurationis exemplum in Livio, loco quem supra citavimus. *Victor, Fabi, revertar ex acie. Si fallat forem patrem Gradivumque & alios iratos invocat Deos.* Idem deinceps in se quisque jurat. In quo etiam habes formulam invocatiōnis in jurejurando militari, patrium enim iusjurandum dixisse, autor Dionysius, & addit arrecto ense, lib. IX. *Kai τὸ ξιφός ἀνατένεις ωμός τὸ πτυχωρίοντε Πομαῖοις ήγεπίσην ὄγκον.* Est & formula execrationis apud

Livium

Livium XXII. praeunte verba P. Scipione. *Si sciens fallo ex animi mei sententia, tum me Jupiter OPT. MAX. domum familiamque meam pessimo letho afficiat. Ubi seque, domum & familiam, quemadmodum lege sacrata, execrationibus devovet, si fallat eadem.* Causam hujus mutationis, quā milites, qui antea Sacramento tantum rogabantur, jurejurando adigere instituerunt eandem, quam Servius supra allegat, conjurationis in tumultu Gallico fuisse arbitror. Quum enim in illo gravi bello in Italia dimicaretur & Hannibal ad portas esset, rationem delectus instituisse videtur, quæ & facilis & expedita esset, nec longa singulorum interrogatione tribunos moraretur. Fortassis etiam in illo publico periculo accuratiorem formulam fecerunt, additis nominatim omnibus exceptionibus justisque causis emansionis. Nam illæ quas utriusque Sacramento adjectas scribit Gellius longiores sunt, quam quæ in delectu quoties Sacramento rogarent, id est ad singulorum nomina à tribunis recitarentur, & quamvis antiquæ sint, illos tamen barbatos barbaros illam ultimam antiquitatem minimè mihi redolere videntur. His demis jusjurandum hoc & prisca Sacramentum eodem vinculo militem adstrinxisse eandemque rem continuisse, Livius disertè nos docet. *Milites tum primum, inquit, jurejurando adacti à tribunis militum, jussu consulum conventuros nec injussu abituros.* At prisca republica non diu post exactos reges jam dixerat *jurasse milites in verba consulum, conventuros jussu consulum nec-injussu abituros.* Hoc itaque interest, quod in rem eandem olim Sacramento postea jurejurando legitimo adacti sunt. Quod olim in ipso delectu, postea delectu finito juraverunt. Posterioribus temporibus adactam Sacramenti formulam & accuratiorem factam à vero non abhorret. Illud tamen quod Polybius dicit, jurasse fore se ducibus dicto audientes & strenuam fortemque operam daturos, jam olim in Sacramento fuisse facile mihi persuadeo: quum obsequium & parendi necessitas primum & maximum vinculum sit, quo res & disciplina militaris continetur. Apud Luvianum Bello Punico secundo Volones à triumviris jurejurando adiguntur, *strenuam fortemque operam daturos quoad Pæni in Italia essent.* Vegetius scribit, *Jurare milites omnia se strenue facturos quæ præceperit imperator, nunquam deserturos nec mortem recusaturos pro republica Romana:* quæ ex prisca aliquo scriptore hausta esse probabile est, adeo congruunt cum iis, quæ in antiquo Sacramento fuisse tradunt: omnia strenue facturos, quæ præceperit Imperator, Polybianum jusjurandum est: non deserturos Luvianum, hoc verò ultimum de republica insertum fuisse, veteres etiam testantur, nec uno Dionysii loco, quod putat Lipsius, nititur. Apud Dio-

nyssium lib. IX. Appius plebi exprobat perjurium quod arma quæ se pro patriæ defensione jurassent sumtuos in ipsam vertissent. Idem lib.X. Scribit jurasse. Α' κολαθόσιν τοῖς ὑπατοῖς ἐφ' ἐς ἀν καλῶντα πολέμους καὶ μῆτε αἵματος liboοι ποιεῖται αὖτο πεῖξαι μηθεν ἐναντίον τὰ δύμα ω Sed & Servius ad 2. & 8. Æneid. *Sacramento rogati qui post electionem in rem-publicam jurant*: & ibidem paulo ante. Miles legibus Sacramentorum rogabatur, ut exiens ad bellum juraret se nihil contra rempublicam facturum. Atque hæc tam necessaria primo illo antiquo & propriè dicto Sacramento jam olim jurasse tum autorum horum testimonia, tum res ipsa evincit: nihil enim horum omitti videtur potuisse: non illud obedientiæ vinculum, quo & se adfuturos ad diem, neque deserturos & quæcunque jussifer Imperator strenuè facturos pollicentur, quia sine illa nulla sit militia: non illud fidei & pietatis in patriam Sacrementum; quia sine hoc virtus hæc omnis ingens scelus sit. Nec sanè dubium esse potest anxiā veterum in istis solitudinē ponderanti, quin uti disciplinam militarem & illam simplicem obedientiam advocatis in testimonium deis fanciverunt, ita simul providerint, nequid impiè in patriam, nequid sceleratè per causam religionis & jurisjurandi perpetraretur. Voluerunt jus ratumque esse, quod militiae imperaretur, dum summum jus summaque lex esset patriæ salus. Voluerunt militem per omnia esse in ducum potestate: ita tamen, ut & duces essent in potestate senatus Populiq; Romani. Parere non delibera-re militem de imperiis: attamen non sic omnem sensum communem ejerare, ut specie dicto audientium nefaria facinora suscipere cogeretur. Atque hoc quidem priscâ republicâ, illis antiquis moribus, cum non nisi pius & sanctum esset, quod Sacrementum dicebatur: nec minus sancte & religiose custodiebatur, quam dictum erat. Neque dum enim didic-rant interpretari & ad libidinem suam detorquere jusjurandum; mores suos ad id accommodabant. At posteaquam descilentes ab illâ priscâ vir-tute vertere in patriam arma & fortis ad sanguinem civilem facti sunt aut neglexerunt palam & contempserunt aut impiè in causam traxerunt jusjurandum: imò impia etiam Sacraenta dixerunt. Tale certè scribit Lucanus Cæsari civilia arma moventi dictum esse, præeunte verba Lælio Præmipilo.

Nec civis meus est, in quem tua classica Cæsar  
Audiero. Per signa decem felicia castris,  
Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos;  
Pectore si fratris gladium, juguloque parentis  
Condere me jubeas, plenæque in viscera partu

*Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.  
 Si spoliare deos, ignemque immittere templis,  
 Numina miscebit castrensis flamma Monetæ :  
 Castra super Tusci si ponere Tibridis undas,  
 Hesperios audax veniam metator in agros.  
 Tu quo scunque voles in planum effundere muros,  
 His aries aëtus disperget saxa lacertis :  
 Illa licet penitus tolli quam juss'eris urbem,  
 Roma sit.*

Verba quidem hæc licentia poëtica effundat Lucanus. Sed rem ipsam quod attinet, per bella civilia nulla civium patriæque ratione habitâ, non aliter in omne facinus ruerunt, quàm si impio Sacramento obstricti fuissent. Sub Imperatoribus jurandum militum adeo nullam exceptionem patiebatur; ut Tertullianus dicat patrem & matrem & omnem proximum ejus. Arrianus scribit jurasse se omnibus præposituros salutem Cæsaris: à quo non abit illud Caligulæ & fororibus ejus dictum. Neque me liberosque meos cariores habeo quam Cajum & sorores eius. Renovari quotannis solitum ex Plinii ad Trajanum epistolis liquet. Sed nos ad melioris reipublicæ tempora revertamur.

Secundum jusjurandum apud Livium in XXII. habemus, loco cuius partem jam adduximus. *Milites tum primum, quod nunquam antea factum, jurejurando adacti à tribunis militum, jussu consulum conventuros neque injussu abituros. Ad eum diem nihil præter Sacramentum fuerat, & ubi decuriatum & centuriatum convenissent sua voluntate, ipsi inter se equites decuriati, pedites centuriati conjurabant, se fugæ & formidinis ergo non abituros, neq; ex ordine recessuros, nisi teli sumendi aut petendi aut hostis feriendi aut civis servandi causa: id ex voluntario inter ipsos fædere à tribunis ad legitimi jurisjurandi adactiōnem translatum.* Ejusdem meminit Frontinus l.IV. Stratagematum, C. I. L. Paulo & C. Varrone consulibus milites primo jurejurando facti sunt, ante enim Sacramento tantummodo à tribunis rogabantur: cæterum ipsi inter se conjurabant, se fugæ & formidinis causa non abituros, neq; ex ordine recessuros, nisi teli petendi, feriendi hostis aut civis servandi causa. Diversum hoc à primo tempore, quia illud in ipso delectu & antequam decuriarentur & centuriarentur dicebatur. Liv. de Camillo. *Justitioque indictio delectum juniorum babuit, ita ut seniores quoque quibus aliquid roboris supereisset in verba sua juratos centuriaret.* Juratos, demum dicit, centuriaſſe. At hoc dicebatur non in ipso delectu, sed cum decuriatum & centuriatum convenisset, id est, alio die: tres enim dies dictos autor Polybius; primo dabant nomina,

na, secundo decuriabant & centuriabantur, tertio castra ponebant : secundo itaque die hoc secundum Sacramentum jurabant & quidem jam decuriati & centuriati, ut palam scribit Livius & res ipsa clamat, neque enim verisimile est jurasse se ex ordine non recessuros, nisi postquam ordinati inque cohortes, manipulos, centurias essent digesti : diversum & genere, illud enim à tribunis rogati dicebant : hoc nemine adigente inter ipsos. Illud Sacramentum erat : hoc conjuratio & voluntarium fœdus. Diversum denique materia, illo obsequium Imperatoribus, hoc virtutem in hostem pollicebantur, duo autem speciatim jurabant : *Primum se fugæ & formidinis causâ non abituros.* Renovata interdum cum in aciem educeretur hæc conjuratio, ut jam non jurarent se fuga non abituros, sed viatores reversuros ex acie. Livius 11. *Centurio erat M. Flavoejus inter primores pugnæ flagitator. Viator, inquit, Fabi revertar ex acie. Si fallat Jovem patrem Gradivumque aliosque iratos invocat deos. Idem deinceps omnis exercitus in se quisque jurat.* In quo & invocationis in jurejurando & præjurationis exemplum. Ante pugnam Pharsalicam simile iusjurandum dixit Labiénuſ, quem fecuti primores caſtrorum : *Se nisi viator rem in caſtra non reversuros.* Adjiciebatur in illa solemnī conjuratione : *se ex ordine non recessuros.* Dignum & hoc prudentia Romana ; cum enim in ordinibus servandis omnis spes viatoria, omnis salus, non vulgari studio huic rei providebant, sed quemadmodum quotidiana campi meditatione discebant, tam recedentes, quam in hostem euntēs, tam decurrentes, quam ambulantes ordines servare. Ita jurejurando inter se dato efficiebant, ne quis ordines deserere auderet. Nec soli usurparunt Romanī, sed etiam Græci. Lycurgus oratione adversus Leocratem scribit Atheniensibus esse iusjurandum, quo jurent omnes cives poste aquam in Lexiarchicas tabulas relati & ephebi facti sint, *se neque arma dedecarturos, neque ordinem deserturos, sed patriam defensuros melioremque tradituros.* Idem fecerunt & Lacedæmonii unde & λόχος vel potius quarta pars ejus ἐνοματία dicta fuit. Hesychius. ἐνωματία τοξις τὰς Δλεῖσθαις οὐφαγίων ἐνόματος. Suidas. Ενωματία τοξις πι σφραγιστὴ ἀνδρῶν ἐπὶ καρδιᾷ Λακεδαιμονίοις ἐιρητε δὲ εἰπούμενοι αὐτὸς μηδείσθαι τὴν τοξινήν. Videtur & in hoc Sacramento de signis adjectum aliquid, neque enim credibile est signorum mentionem alio quam in hoc factam, cum centuriati decuriatique signa accepissent, eaque præsentia velut testes Sacramenti invocare possent. Certè Dionysius testatur loco citato eos jurasse, μήπε απολύθειν τὰ σημεῖα; alii ramen eo nos potius ducunt, ut credamus per signa militaria tanquam bellorum numina jurasse.

Per

*Per signa decem felicia castris,*

*Perque tuos juro quocunque ex hoste triumphos.*

Tertullianus Apologeticus : *Religio tota castrensis signa veneratur, signa jurat dñs omnibus p̄̄ponit.* Signa quidēm p̄̄cipue religioni & deferere nefas fuisse & nos alibi dicimus & notius est, quam ut probari necesse sit. Exceptiones sub quibus jurabant ex ordine non recessuros erant, ut diximus : *Nisi teli petendi, hostis feriendi & civis servandi causā.* Hanc conjurationem sive voluntarium inter milites feedus bello Punico secundo ad legitimam jurisjurandi adactionem etiam translatam fuisse, docuit nos supra Livius. An in unum diem cum priori collatum, non addit. Inclinat potius animus, ut credam etiam deinceps alio die dictum, quia alio die centuriatum & decuriatum conveniebant. Conversum autem in legitimum jusjurandum videtur, ut majori vinculo militem adstringeret : quamvis enim conjuratione æquè ac jurejurando iratos invocarent deos, si fidem fallerent : jurejurando tamen apud magistratum dicto super divinam vindictam etiam humana poena solet adjungi, quam illo tempore, quo aliquoties fugerant Romani, intendi è Republica erat.

Tertium jusjurandum de quo Polybius, ab primo & secundo in eo diversum, quod non soli milites, sed omnes tam liberi quam servi dicerent ; meritò sane : cum ab servis plus hic quam ingenuis periculi, quorum velut proprium probrum habebatur furtum, unde & in venditione servorum promitti solebat, fures non esse. Eo etiam diversum, quod castris positis demum dicebatur, ut Polybius autor est. Μετὰ δὲ τὸ σπουδαιότερον, &c. Cincius tamen apud Gellium scribit, dictum non in castris, sed cum dilectus fieret & milites scriberentur : apud Gellium sic legitur : *In libro ejusdem Cincii de re militari quinto, ita scriptum est. Cum dilectus antiquitus fieret & milites scriberentur, jusjurandum eos tribunus militaris adigebat in verba hæc.* Sed verba hæc, quicquid sonent, Cincii non esse reor : Cincius enim qui circa Bellum Punicum secundum vixit, de hoc jurejurando, ut de re antiquâ & jam desitâ loqui non potuit, cum non tantum illo ævo, sed & post illud Polybii ætate in usu fuerit, præsertim in jurejurando nominans illud consulum par, quod post Bellum Punicum demum fuit, cum in Asiam trajectum bellumque cum Antiocho gestum : solet autem Gellius ad meliorem connectionem verborum & intellectum rerum quædam de suo addere, priusquam ad ipsa autorum quæ citat, veniat verba ; ut in principio hujus capititis appareret & statim post hanc formulam, quæ quamvis connecti videantur, Gellii tamen sunt, nec minus de vero, ut videtur, aberrant. Gellii itaque error est, qui hujus jurisjurandi tem-

pus parum accuratè observans , secundum pro primo accepit. Cincii Alimenti nihil hic præter ipsum jusjurandum , quod tale est. In magistratu C. Lælii C. F. Consulis , L. Cornelii P. F. Consulis in exercitu decemque millia passuum prope furtum non facies , dolo malo solus neque cum pluribus pluris nummi argentei in dies singulos extraque hastam , hastile , ligna , pomum , pabulum , utrem , follem , faculam , si quid ibi inveneris sustuleris ve quod tuum non erit , quod pluris nummi argentei erit , uti tu ad C. Lælium C. F. Consulē , L.ve Cornelium P. F. Consulem sive quem ad utrum eorum jus erit proferes aut profitebere in triduo proximo , quidquid inveneris sustuleris ve sine dolo malo , aut domino suo , cujum id esse censēbis reddes , uti , quod rectum factum esse voles.

Quum nullum frequentius nec potentius in vitâ humanâ malum sit avaritiâ , quæ in fraudulentam alieni subductionem effundi & furtis societatem solet turbare , ubi verò virium acceperit incrementum palam in tyrannidem & violentam oppressionem erumpere ; meritò Legislatores providerunt , ut hoc tantum mali , in ortu suo id est in furtis ( neque enim prius deprehendi potest ) jugularetur. Qui verò sanctiore vitæ professione suos à vulgaribus vitiis avocare voluerunt inter cætera etiam hanc injustitiam religioso Sacramento jusserunt ejerare. Scribit Josephus Effenos priusquam in communionem victus & interiorem vitæ societatem ab aliis reciperentur inter cætera jurasse. Προβάλλεσθαι χειρας κλοπῆς ἢ φυχλῶν αὐτοῖς κέρδης φυλάξειν. De primis Christianis Plinius : Sacramento se non in scelus aliquod obstringere , sed ne furtā , ne latrocinia , ne adulteria committerent , ne fidem fallerent , ne depositum appellati negarent. Habet in hac parte , quod jactet Romana militia : quasi æmula eorum quas sanctius vitæ institutum à vulgo hominum fecernit , furtā execrationibus à castris relegat , & dicit hoc suum moribus bonis Sacramentum. Et sunt sanè graves causæ , præter hanc ; cum enim in castris nihil obsignatum & clausum omniaque in tentoriis deposita & velut communī fidei commendata , interest disciplinæ , ut dolus malus & alieni fraudulenta contrectatio procul hinc arceantur. Præterea à raptus & prædæ nimia cupiditate militem retinere voluerunt hac lege , cum jubebant omnia ad Imperatorem deferre , nec quicquam ex præda avertere. Hanc enim etiam mentem hujus jurisjurandi esse testatur Polybius lib. X. Περὶ δὲ τῆς μηδένας νοσφίσεως μηδὲν τὴν τὸ διαρπαγῆς σκλαβητρεῖ τὸν ὄρην ὁμονόοσι πάντες διαθέσθωσι πρῶτον εἰς τὸ παρεμβολὴν ἐξίνα μέλλοντες εἰς τὴν πολεμίαν. Consideremus ipsam , sed paucis jurisjurandi formulam , non ut in militari jure obtusiorem , sed ad Jurisconsultorum præ-

præscriptum accuratam. In exercitu deemque millia passuum prope. Vides, quod diximus etiam prædandi extra castra licentiæ frenos injectos, cum justi itineris spacio in circuitu Sacramentum obligaret. Decem enim millium spacium, ut jultum iter constitutionibus Augusti & Hadriani armati instruictique omnibus telis pedites militari gradu ire ac redire jubebantur in castra, ita ut aliquam itineris partem cursu alaci conficerent. Quod si longius excusiones juberentur facere, aut à castris progressi propter itineris longitudinem in tantum hoc jurejurando solutividetur fuisse, ut non omnia quæ invenissent aut sustulissent ad Imperatorem proferre aut profiteri cogerentur. Noto & alibi in legibus militibus decem millia passuum definita: sic militibus, qui ex Cannensi clade aufugerant, ignominiaæ causa vetitum fuit: ne hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent, furtum non facies dolo malo: cum furustum, ut definiunt Jurisconsulti sit contrectatio fraudulenta lucri faciendi causâ, vel ipsius rei vel usus ejus possessionisve: non equidem sine affectu furandi & dolo malo committi posse, iidem consentiunt, unde & impubrem tum demum ajunt furtum facere posse, si jam doli capax est: Placuit tamen antiquis hic de dolo malo adjicere, quia quædam rei alienæ contrectatio induit furti speciem & si actum exteriorem spectes, nihil differt. Pluris nummi argentei in dies singulos: intellige nummi septuaginta, qui est minimus nummorum argenteorum & καθ' ἔξοχην nummus solet appellari. Extraque hastam hastile: hastæ vocabulo tela omnia complectitur, sive pilum, sive verutum, sive hasta, sive quod aliud fuerit. Hasta enim inter tela latius quam cætera patet, significat enim & hastam equestrem & hastam triariorum & hastam velitarem & sarissam Macedonicam. Interdum autem omnia omnino missilia: ut hic, ubi mens magis quam verba spectari debent. Ita cum lege duodecim tabularum permisum est occidere furem, qui cum telo fuerit, Jurisconsulti teli nomine intelligunt & ferrum & fustem & lapidem & omne quod nocendi causâ habetur. Hæc autem exceptio hastæ & hastilis inter ea, quæ sublata profiteri necesse non erat, ita minime accipienda est, quasi in castris tela commilitonum tollere aut surripere licuisset, grave id crimen erat; & posteriori etiam militiæ sub Imperatoribus severè vindicabatur: nam pellebatur minimum gradu militiæ, qui arma aliena surripuisse, autore Modestino. Sed intelligenda hæc de telo in hostem emisse aut hostili, aut sine certo domino invento, quod erat occupantis: unde etiam teli petendi causâ licebat ordine excedere. Sæpe autem legimus discurrisse ad colligenda tela inter duas acies aut alibi sparsa. *Ligna, pamum, pabulum*: cum lignatum pabulatumque exirent, nec ligna

nec pabulum detulerunt ad Quæstores Imperatoremve : converterunt in eos usus , quos disciplina aut sua necessitas exigebat . Pomum quoque excepitur . Hinc inter notabilia continentia exercitus Romani exempla refertur , quod Marcus Scaurus tradidit memoriae , pomiferam arborem quam in pede castrorum complexa fuerat metatio , postero die abeunte exercitu intactis frugibus reliquit : Id si poma quoque carpere & in usus suos convertere vetitum fuisset , pro miro non referretur : alii libri pro pomo *Napum* habent , nec absurdum sit , ut poma , eximi quoque illâ stricta lege id genus . *Utrems* : duo utrium genera in Romano exercitu , alterum quo transirent flumina , alterum quo aquam & similia portarent . *Follem* : id est saccum vel peram : *Glossarium* vetus , πηγα , mantica , follis , Livius . *Eques folliculis in castra frumentum vehebat* . Vegetius . *Decem folles id est decem sacci* . Si quid ibi inveneris sustulerisve quod tuum non erit : vides quod diximus , ne has quidem exceptiones licentiam dedisse , ut similia surriperent commilitonibus , tantum ne cogerentur profiteri si quid forte invenissent aut sustulissent . Quod & confirmat Polybius , qui rem ipsam breviter describens , jusjurandum tale esse ait . Μηδὲν ἐν παραγόλησι κλέψει ἀλλὰ κανὸν ἔνη τοτὶ ἀνοίστου ἐπὶ τῆς χλιάρχους . Gellius . Quam castè autem & quam religiosè à prudentissimis viris quid esset furum definitum sit , prætereundum non puto , ne quis eum solum furem esse putet , qui occultè tollit aut clam subripit . Verba sunt Sabini ex libro Juris civilis secundo . Qui alienam rem attricaravit cum id se in invito domino facere judicare deberet , furti tenetur . Item alio capite : qui alienum jacens lucri faciendi causa suscepit , furti obstringitur sive scit cuius sit sive nec sit . Quæ verba & in Pandectis referuntur sub nomine Ulpiani ad Sabinum . Nec nos citamus quasi nova aut ignota , sed ut videamus quam accuratè hæc castrensis jurisjurandi formula ad sententiam Jurisconsultorum veterum fuerit composita . Uti tu ad C. Lælium C. F. consulem , L. ve Cornelium P. F. consulēm sive quem ad utrum eorum jus crit . Dissentire Polybius videtur : qui ait jurare se ad Tribunos , relatueros si quid invenerint : verum non dissentit : istis enim & similibus rebus tribuni nomine consulū prærant : unde modo illis , modo his à veteribus adscribuntur : sic alibi consules , alibi tribuni delectum habere dicuntur : sic tesseram nunc Imperator dare , nunc tribuni : quemadmodum autem facere quisque dicitur , quod per alium facit : ita rectè apud consules fieri vel ad consules referri dicuntur , quæ ad tribunos , vicem utriusque vel alterius præsidentes referuntur . Aut domino suo , cujum id esse censebis redde : Nam etiam si non fuit derelictum neque putavit jacens , ut ait Jurisconsultus ; tamen tulit , non ut lu-

ut lucretur, sed redditurus ei cuius fuit, non tenetur furti. Ut quod rectum factum esse voles. Formula quâ claudebant sponsonem, cui similis illa apud Livium: *Uti quod sine dolo malo facere poteris.* Hoc igitur contra furta iusjurandum illa ætate dicebatur: dubitare possis, an ante Bellum Punicum secundum, cum scribat Livius Paulo Æmilio & Varrone Coss. demum factum, ut milites iusjurandum adigerentur; antea enim nihil præter Sacramentum fuisse: nisi jam ostendissimus Livium præter formam nihil tum velle mutatum. Postremis libertatis temporibus nihil de eodem memini legere, nihil de diversis & pluribus Sacramentis, sive illud scriptorum paucitate accidit, sive licentiâ bellorum civilium hanc quoque disciplinæ partem corrupit. Gellii certè ætate in usu non fuisse adducta ex Cincio formula fidem facit. Ac in his juramentis non vulgaris Romanorum prudentia appareat: nihil quod ad tuendam militarem disciplinam jurejurando posset effici omiserunt, nec tamen rerum quæ jura verunt turba jurisjurandi infregerunt sanctitatem. Cum enim tria in bono milite imprimis inesse oporteat, Obsequium, Virtutem, Probitatem. Obsequium quo reipublicæ fidus & ducibus dicto audiens sit: Virtutem, ut contra hostem fortiter faciat: Probitatem, ne in cives sociosque & commilitones sit injustus. His non solum vi legum militarium adstrinxerunt milites, sed etiam tribus sanctissimis Sacramentis, ut ne specie quidem externâ & simulatione, quibus ferè hominibus illuditur, defunctos sese crederent, nisi tota vi, totis mentibus & quæ est formula jurisjurandi, ex animorum suorum sententiis incumberent & eniterentur. Ac potissima quidem nominatim inseruere, additis sollicitè necessariis exceptiōnibus, ne aut per causam Sacramenti munere suo ne fungerentur, aut exceptiones pro se quisque fingendo & sibi quoties videretur jurisjurandi gratiam faciendo, resloverent religionem & perjurio latebram haberent: juraverant ad futuros ad diem, si tamen funus, si sacrum eâ die, quod sine impietate neglegi non posset, si morbus santicus, si vis hostilis, excusabant hæc quidem; sed ita, ut adessent postridie quam per eas causas licuissent: juraverant sese dicto fore auditores, sed dum ne contra rempublicam essent aut palam turpia aut scelerata quæ juberentur. Juraverant ex ordine sese non recessuros, eo tamen neque hosti parci, neque civis salutem negligi volebant; adjiciebant itaque: *nisi hostis feriendi, civis servandi & teli petendi causa.* Similiter minima illa, quæ vix tanti erant, ut furti militem obligarent, ne viam ad majora sternerent, nominatim excipiebant. Res autem Sacramento promissæ, non vulgari poenâ perjurii, sed capite sancitæ, ut si qui fortè Dëi non satis memores essent; at humani supplicii

metu continerentur. Neque enim vulgares aut levēs, sed omnium maximae sunt, sive difficultatem spēctes sive necessitatem. Parere simpliciter & omne deliberandi exuere judicium, ubi de capite & vita tua comitia habeantur: durum; sed tam necessarium, ut in eo omnis disciplina militiae posita sit. Quid autem magis arduum quam in rebus tam asperis non perturbari? quam in illâ rerum turbâ non tumultuantem de gradu dejici? quam non corripi timore, ubi ferrum, vulnera, sanguis laceri artus, captivitas, cædēs, & ut semel omnia dicam, in variis formis illud quod appellat Philosophus terribilium terribilissimum ubique ante oculos veratur? Hæc res tamen militaris prima postulat. Quid? quod ne illud quidem minus difficile his moribus & rarum: abstinere manus à furto & in militiâ innocenter vivere. Quamobrem non immerito proposuere his peccatis, quicquid possent mali: summam à civibus infamiam & turpitudinem: sumnum ab Imperatore supplicium & quidem æxpiras & indicata causâ: summam denique à Deo vindictam, quæ sequitur perjuros. Ita severitas humanarum legum morumque jurisjurandi religioni & jurisjurandi religio vicissim moribus legibusque subsidio fuit & mutua ope Sacramētum humano suppicio sancitum & leges divinis poenis consecratae utraque magnam vim habuerunt & sanctitatem.

## C A P U T I I.

D E C U S T O D I A  
C A S T R O R U M.

Ositis, ordinatisque castris, & jurejurando contra furta, tanquam munimento contra pravos cives & degenerem turbam etiam interius firmatis ad reliquam curam & custodiā pergit Polybius. Sequamur ducentem & hic quoque recurrentes per capita, si quæ præter priores observaverimus, in medium proferamus. Custodia castrorum alia est diurna, alia nocturna, φυλακαὶ νυκτεριναὶ φυλακαὶ appellat Polybius: Distingui etiam solet à diversitate loci in quo agitur, cum alia interiora castra tueantur,

tur, alia exteriora, & rursus hæc vel intra castra in vallo, portis, turribus, vel extra castra ibique vel longius vel proprius. Φύλακες & προφύλακες veteri Græciæ: sequiori Hellenismo corrupto & Latino vocabulo, ἑσωτηρία & ἑξώπολις dicuntur. Differunt etiam genere militum excubia, quædam enim equitum, quædam peditum, quædam legionum, quædam auxiliarum, quædam gravis, quædam levis armaturæ. Denique numero diversæ sunt, cum partim à singulis paucisque excubiis five πετραδίοις, partim à totis manipulis aut cohortibus obeantur, quæ hodie corpora custodiarum appellamus. Latina vocabula, *custodia*, *stationes*, *excubia*, *vigiliae*, has differentias neque satis exprimunt, & à bonis autoribus promiscuè usurpantur, præter vigilias quæ sunt nocturnæ. Fallitur enim, ut solet, Isidorus, qui *excubias diurnas* putat esse, quemadmodum vigiliae nocturnæ sunt. Nam five originem vocis spectamus, dicitur ab excubando, id est, extra papiliones & locum adsignatum cubando. Illorum hoc propriè est, quorum in statione aut vigiliis vices nondum advenerunt aut jam præterierunt, uno enim vigilum vigilante & sub armis stante, tres reliqui juxta cubant: five usum respicimus, non crebrius pro diurna statione quam pro vigiliis accipitur. Nec minus errant Lipsius & qui eum secutus est Hermannus Hugo, cum *stationes* solius diurni temporis *custodiā* interpretantur. Opponuntur non nego interdum vigiliis, quasi diurna munia, ut apud Livium in historia IX. *Fere ut minus intentæ in custodiā urbis diurnæ stationes ac nocturnæ vigiliae essent.* Et apud Tacitum. *Stationes, vigiliae, diurna nocturnaque munia.* Sed non ideo opponuntur, quod stationes nullæ nocturnæ, sed quod vigilæ nullæ diurnæ: stationum verò quarundam ratio alia sit de nocte atque interdiu: nam stationes nocturnas Romanorum apud bonos autores passim reperiendi est. Virgilius de Niso & Euryalo portam castrorum Æneæ de nocte custodientibus.

*Tunc quoque communi portam statione tenebant.*  
Statius.

*Non impacatis regum ad vigilantia somnis  
Pila, nec alterna ferri statione gementes  
Excubiae.*

Ubi excubantes de noctu dicuntur gemere, id est laborare, grave illis esse, id enim est gemere, ut apud Ovidium.  
*pressisque jugo genuere juvenci.*  
Alterna ferri statione, hoc est, cum iis vigilandum & alterius vicibus sub armis standum est: propriè autem sumvit utrumque vocabulum; ut enim accu-

accubantes excubiae : sic in custodia & sub armis stantes propriè stationes sunt , sive de die , sive de nocte fuerit. Poëtica hæc est , inquis , licentia & confusior paulò facundia : diurna munia ad noctem , nocturna ad diem propter similitudinem transfert. At possumus tibi historiæ principes dare testes. Livius Libro III. Vigiliæ in urbe , stationes ante portas , præsidia in muris disposita. Apud eundem Lib. XXV. L. Martius ad milites suos. Tertiâ vigiliâ noctis silenti agmine ducam vos , exploratum habeo , non vigiliorum ordinem , non stationes justas esse. Eodem Libro. Ibi verò quo longius ab hoste aberant , & quia sub lucem pabulatum , lignatum & prædatum quidam dilapsi fuerant , neglecta magis omnia ac soluta invenere : arma tantum in stationibus posita , milites inermes , aut humi sedentes accubantesque , aut obambulantes ante vallum portasque. Idem XVIII. Vix dum satis certâ luce equitatum in stationes Punicas immisit. Plura attulimus loca (& possemus ex aliis si necesse esset alia) ut ostenderemus quām temerè vir doctissimus ab illo quem ante citavimus Taciti loco in hanc sententiam sit deducetus: tum ut moneremus stationes nocturnas , quamvis confundantur interdum ; sæpe tamen à vigiliis distingui ; vigiliæ enim tunc excubias quatuor virorum significant : at stationes grandiuscula corpora , ut quæ ad prætorium & in portis : hæc de castris nocturno tempore tollere , id verò non minus bene sit consulere exercitus securitati : ac hæc ut rectè monuerunt viri docti , frequentissima & maximè trita vocis hujus est significatio. Hæc de vocabulis monuisse necesse fuit. Rem ipsam quo paucis expediamus , nocturnas pri-  
mum trade mus custodias & habebimus levi mutatione diurnas. Etenim illæ sunt , quæ maximâ curâ & solicitudine constituantur propter temporis ipsius infidias , somnum militum & cæcum per tenebras usum oculorum. Levissimus tumultus , quem de die facile contemnas , omnia tunc turbat & miscet. Deserit & multos fortiter faciendi studium , cum desierunt spectari , virtusque & ignavia iisdem involvuntur tenebris. Et habet noctis proprii terroris aliquid & omnia sine modo ferè timentur , cum quid debeas timere non satis intelligas. Anceps quidem pars horum malorum & utriusque parti adversa , major tamen animus est inferentium pericula , major securitas : eminus peti non possunt & propugnatores sæpe ad venire eos non sentiunt , sed advenisse. Quamobrem tesseris , circuitionibus , majori vigilum numero aliisque inventis veteres novique duces noctem communiant , & quo plus est periculi , intentius agunt. Apud Romanos ( ut ipsorum custodiamus ordinem ) Tribuni quorum in imperio vices sunt , sole jam inclinante , eunt ad Imperatorem signum petitum , traduntque ei tum codicillos numerum militum , qui ea die apud signa sunt  
con-

continentes. Βιελίον ἐφήμερον δέ τιθμοῦ πῦ παρόντος, ut inquit Appianus. Etenim Romani Imperatores considerantes quantam sæpe brevissimo tempore multitudinem absument varii casus, quantam imbecillitas bello inutilem faciat, nec ignari quæ in hoc genere artes soleant exerceri, milite per alias atque alias causas diffluente; ducibus etiam & centurionibus simul ac respexerit Imperator, commeatum in quæstum sæpe vertentibus & absentia militum suo commodo indulgentibus, recognoscere quotidie in ephemeride & velut omnem exercitum semper in oculis habere, quo ex virorum & armatorum, non inani cohortium legionumque numero vires & robur suum metiantur & simul provideant, ne quid per fraudem suorum copia militaris imminuatur. Datâ itaque ephemeride accipiunt signum ab Imperatore: Imperii hic honos adeo semper proprius fuit, ut vix cum ullo unquam communicarint, nisi qui summi imperii esset particeps; alii verò adeo non delegarint, ut ne in pace quidem non ægroti, non morti proximi. Apud Dionem legimus ab Marco Antonino animam agente tribunum signum petiisse. Cui ille magna nimis Imperator sui imperiique securus nec deinceps quicquam imperatus. Α'πέλθε πρὸς τὸν αὐτελόντα. Ἐγώ γάρ οὐδὲ δύομαι. Acceptâ tesserâ tribunus ad suum redit tabernaculum, ibi signum quod ore pronuntiaverat Imperator, ne quis errori locus aut excusationi literis mandatum ratiocnique inscriptum tesserariis transdit, (erant ex decumis quibusque ordinibus milites ab vigiliis stationibusque immunes) hi adhibitis testibus ductori noni ordinis sui cujusque generis, hic rursus octavo centurioni tradit & sic deinceps, donec ad primum perveniat, qui restituit tribuno, idque dum lucet. Hæc Polybius: nec addit, an alii deinde ab centurione acceperint, nec si alii quinam illi fuerint. Lipsius putat centurionem lectam tesseram enunciassæ illis, quorum sunt vigilandi vices, ita omnia ordine à summo Imperatore tribunum, ab isto centurionem, ab hoc militem accepisse. Æneas in Græcorum militia principibus tantum stationum (πεσφύλακες ipsi dicuntur) tesseram enuntiant: hi interrogant circatores & signum ab iis accipiunt; nolebant enim evulgari per omnem exercitum, ne & hostis resciceret: tum caput aliquod tantæ rei adesse tutius censebant, ne quid per imprudentiam aut perfidiam gregiorum militum peccaretur. De Romanis nihil hic habeo affirmare, nisi quod non levis ratio pro Græcorum more. Sub solis occasum prætorio dimisso signa concinuerunt. Livius XXX. Tribunis edicit, ut ubi prætorio dimisso signa concinuissent extemplo educerent è castris legiones, ita ut imperaverat signa sub occasum solis efferrí: Disertè in hac ipsa historia Polybius

omnia tunc signa cecinisse, quo coenare miles jubebatur. Κατὰ τὸν δεῖπνον τὰς βενανίας ἡ σαλπιγκτὰς πάντας, &c. Possunt tamen dubitare, an bis signum datum, semel ut pararent se coenæ, iterum, ut coenarent. Æneas quidem Tacitus sub occasum solis in urbe obsestâ tria signa vult dari, primum, ut si qui per agros sparsi urbem repeatant; alterum, ut simul omnes coenent: tertium, quo in vigilias eant. Eadem in castris causæ, eundem ordinem numerumque signorum possint requirere; nam si qui fortè pabulatum aut lignatum dilapsi aut per alias causas castris egressi, ad tentorium suum videntur revocari debere & alio deinde signo moneri, quo eodem omnes tempore coenam ineant. Leo sua ætate consuetâ buccinâ dimittit prætorium militemque à laboribus cessare jubet & coenare. Εὐχεὶς δέ οἱ στρατηγὲ περὶ σταυρὸν Βουνινάτορας ἡ μικρῶν Βουνίων ἡ μεγάλων ἡ τὰς εἰθισμένας Βουνίους συλπίσσοντος περὶ ἐσπεραν παύεσθαι τὸ πόνων ἡ δειπνεῦντας φάλλειν τὸν τρισάγιον ὅμονον. More Lacedæmonum per præconem denuntiabatur coenæ tempus: post hanc diis quibus facta erat res sacra hymnos canebant & dabant se quieti. Sed ad Romanos: sive semel, sive bis cecinerint, neque prandii, neque coenæ tempus liberum fuit, & dato signo omnes coenarunt. Rursus finitâ coenâ aliud signum dabatur, sed solâ buccinâ. Diserte Tacitus. *Initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium buccinâ dimitti & strueta ante auguralem aram subdita face accendi.* Hæc vigiliarum initia; Buccinâ enim committebant distinguebantque vigilias, unde boni scriptores ipsas vigilias *buccinas* appellant, *ut ad primam, secundam, tertiam, quartam buccinam*, id est, ad vigiliam. Ac minimè probabile est post illam quâ vigilia prima denuntiabatur, iterum buccinam dixisse ante secundam vigiliam: vitabant enim tunc quicquid errori etiam minimo locum posset dare. Nemo discurrere per castra, nemo egredi temerè tabernaculis: cætera tunc noctis erant, ut ait Poëta, placidâ quiete composita, quo vigilibus defectum luminis suppleret melius aurum judicium. Custodias sic disponit Polybius: Ad prætorium unum ex legionariis manipulum in statione collocat ornamentum imperatori & præsidium: Quæstori dantur tres excubiae: legatis singulis binæ, quæ unde desumuntur non satis explicat, an ex manipulo ad Prætorium accubante, an aliunde pro libitu imperatoris. Sic enim inquit: Ταῦτα δὲ λοιπὸς ὁ στρατηγὸς ἀποτάττει γίνονται δὲ ὡς ἐπίπαν τρεῖς φυλακαὶ παρὰ τὸν τραπέαν ἡ παρ' ἔκαστον τὴν περιβολὴν ἡ συμβούλων δύο: reliquas Imperator ordinat; At quas reliquas? nisi has quæ sequuntur? cæteras enim omnes certo generi attribuit: has qui obeant dicere neglexit. Non absurdum sit ex ipsa imperatoris statione dari legatis & quæstori, ut honore proxim-

proximis nec longè à prætorio tendentibus : cùm autem ordinum duætores ad prætorium excubantes nihil admodum injussu imperatoris age-re possint , ideo consulo demum eo excubias has collocare : unde ipse imperator eas ordinare dicatur . Nihil probabilius elicio , nisi intellexit stationes & excubias quasdam , quarum hic nulla est mentio , quod ipsum si-quidem integer est Polybius verisimile non est . Johannes Lascaris vide-tur legisse : Παρὰ τὸν ταυτὸν μία ἡ, &c. Convertit enim : *Apud Quæsto-rem una, bina, &c.* Sed hæc lectio melior : Tribunis singulis duæ excu-biæ adsignantur ex hastatorum principumque manipulis tribus : Triario-rum manipuli custodiam unam equitibus Romanis juxta tendentibus singuli præbent . Præterea unusquisque manipulus ex suo numero unam vigiliam collocat . De sociis nihil dixit , quia ad exemplum , opinor , le-gionum apud illos omnia ordinabantur . At exteriorem castrorum custo-diam in qua salus omnis exercitus sita est , nimis perfunctoriè transit Poly-bius : Velitis eam , ait , demandatam fuisse . Τὴν δὲ ἐκτὸς ἐπιφάνειαν οἱ χροσθόμαχοι πληροῦσι περ' ὅλον καθ' ἴμεραν τὸ χάρακα παρακοιτῶντες : Sed non addit vigilias ubi posuerint , ne hoc quidem intra an extra castra , ut Lipsio videtur . Nam Cato apud Festum eos extra castra ponere videtur . Procubitores dicuntur ferè velites qui noctu custodiæ causâ ante castra excubant , cum castra hostium in propinquò sunt , ut M. Cato in eo quem de re militari scri-psit . Puto Catonem scripsisse procubitores dici , quod pro castris excubent ; eo enim nos dicit vocabulum ; at hoc ambiguæ significationis est . Interdum idem denotat quod ante munimenta sub castris : interdum idem quod in ipsis munimentis : postremâ hac notatione accipitur apud Cæsa-re in . V I I . de Bello Gallico : *Ipse in munitione pro castris consedit . Eo-dem institutæ Cæsar is duæ semper legiones pro castris excubabant : & Senecam , qui militem etiam gravis armaturæ pro vallo in vigiliis collocat , Episto-la XXXVI . Ut si necesse fuerit stans etiam aliquando sancius pro vallo per-vigilet & ne pilo quidem incumbat , quia solet obrepere somnus in aliquod admi-niculum inclinatis . Sic pro munimentis est , in ipsis & circa ipsa munimen-ta , Tacitus . Postquam crebras pro munimentis cohortes & nihil remissum sen-sere . Non itaque est quod nos moveat locus hic Festi , quo minus τὸν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν hic de vallo , ut ferè apud Polybium , accipiamus , præ-sertim cum dicat πληροῦσι , impletū , crebris scilicet vigiliis & stationibus , quod haud ita facile sit sub castris : immanis enim multitudo requiratur . Prætereà cum munimentorum custodiam quæ nullis unquam in castris omissa fuit nec potuit sine piaculo omitti , nulli alii generi attribuat , quis dubitare potest quin his demandatam velit ? Laterum exteriorum custo-diam*

diam, inquit, velites agunt, παρ' ὅλον καθ' ἡμέραν τὸν χάρακα περιποιεῖν τες. Sequitur igitur de nocte vallum quoque tueri? non autem dixit Polybius quanta velitum pars fuerit, tantum, crebris vigiliis eas ambitum pene explevisse. Sic Cæsar de Bello Civili. I. *Ipse iis operibus quæ facere insti-tuerat non certis spatiis intermissis, ut erat superiorum dierum consuetudo, sed perpetuis vigiliis stationibusque, ut contingant inter se omnemque munitionem expleant.* In portis autem castrorum decem velitum excubias, id est, quadraginta milites ponit, ac ita omnem exteriorem custodiam committit velitibus. Mutata militia hæc fuit legionum: vallum custodiebant ex omnibus centuriis desumptæ excubiæ, & illæ quidem satis crebræ, teste Hygino, qui ex singulis centuriis sedecim milites, id est, quintam cujusque legionis partem quotidie in excubiis habet: fac, unam ex his vigiliam ad quamque centuriam collocari, (quamvis hoc fortasse nimium) reliqui erant duodecim ex centuria, septuaginta duo ex cohorte, septingenti viginti ex legione, (ex cohorte prima non plures quam ex reliquis desumimus) hoc ter: erunt duo millia, centum sexaginta: numerus excubitorum ad vallum: cuius quarta pars, quingenti quadraginta. His per omnem castrorum ambitum, qui est pedum, octo plus minus millium æquis spatiis collocatis, duodecim non amplius pedum erit inter singulos intervallum, ut etiam densis tenebris alteri alteros videre, ab hoste verò nulla ratione possint falli. Jam excita reliquos: habes murum justo ordine armatorum cinctum & prope expletum. Itaque tantam in vigiliis manum habuere, quanta nullam fraudi & insidiis relinqueret locum, quantaque primis aggressionibus & insultibus, si ita esset necesse, resistere facile posset, donec proximè tendentes legiones excitatae, armataeque suppetias ferrent: Nec tamen confecerunt exercitum vigiliarum frequentiâ, non nisi quinto die munere ad militem redeunte. Portas, prout res exigeret vel singulæ cohortes tuebantur, vel plures, & quidem sub signis. Cæsar. *Transit etiam cohortes Illurgavonensis ad eum cognito civitatis consilio & signa ex statione transfert.* Sallustius bello Jugurthino de C. Mario. *Ipse armatus intentus que item milites cogebat, neque secus atque iter fateret castra munire, excubitum in portis, cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere; præterea alias super vallum in munimentis locare.* In munimentis ex legionibus excubiæ, in portis totæ cohortes, extra castra equites auxiliares. De equitum excubiis extra portas nihil Polybius, sed puto tamen & illa ætate fuisse. Sequentibus temporibus crebra mentio eorum, agrarias vocant: Statius.

*Monitu ducis acer agebat..*

*Anno*

*Amphion equites, noctem, vigilataque castra*

*Explorare datus.*

Quæ malè accipiunt de circuitione vigiliarum. Liquet enim de excubis equitum accipi debere, qui explorabant & castra alternis vicibus circuibant. Leo & Africanus σκούλης & βίγλας equitum plures sub castris constituunt, alias remotores ἐξωτερικοί, alias propiores ἐσωτερικοί. In quarum positione hoc jubent observare, ut quo longius à castris è rarioribus collocentur & pauciorum equitum quò propius è crebriores & plurium equitum singulæ. Proxime castra adponit his levis armaturæ vigilias Africarus. Excubatores de loco & tempore stationum fortiri voluerunt veteres, tum æquitatis causâ, tum etiam securitatis: æquitatis, quia loca alia aliis periculosiora nec omnes horæ noctis vigilantibus æquè molestæ & graves. Securitatis, quia contra prodiciones & fraudem hostilem prodest, neminem ante noctem ipsam scire quâ horâ & quâ parte castorum vigilias obituras sit. In castris tamen Romanorum, excubiis, quæ interiora servabant castra, suus certusque locus fuit adsignatus: Ad prætorium semper unus per vices omnium excubabat, manipulus: Ad scannum Tribunorum certæ semper ex illis manipulis, quibus ea fors obvenerat vigiliæ: Singuli præterea manipuli juxta sedem suam singulas ponebant. De solo itaque ordine vigiliarum hi fortis trahere potuerunt & traxisse probat illud Silii Italici.

*Jamque excubias sortitus iniquas,*

*Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.*

At eos quibus portarum & exteriorum castrorum tutela committebatur, etiam loca quæ tenerent (& ibi necessarium magis) forte divisisse ostendunt Poëtæ. Virgilius.

*Sunt quibus ad portam cecidit custodia sorti.*

Valerius Flaccus III. Argon.

*Jamque adeo nec porta ducem nec pone moratur*

*Excubias sortita manus.*

Stationes igitur externa castra tuentes de loco & de tempore vigiliarum (nec enim hæ totam noctem vigilabant, sed in quatuor partes quoque dividebantur) excubiae verò, utique interiores de ordine tantum sorti trahebant, quibus autem prima excubia sorti cecidisset, ii ab optione sua priusquam excubitum irent ad tribunum deducebantur, accipiebantque tessera, id est, exiguae tabellas pro excubitoribus omnibus noctis diversis insignitas: Duas enim tesseras nocturnas dedere Romani, alteram vocalem, σύνθημα Græcis, omnibus centurionibus signum ejus

noctis quod postulabatur à circitoribus : alteram hanc mutam, ~~παρασύνθημα~~, hanc circitores à vigilibus repetebant & ad tribunum referebant, quæ ratio ab Iphicratibus instituto, de quo Æneas, in eo tantum diversa est, quod ~~W~~ ~~videt~~ ~~duas~~ ~~tesseras~~ ~~vocales~~ circitori aliam atque vigili dari vellet, hic ab alteris vocale, ab alteris mutum signum exigeretur. Circuitonem equitum Romanorum satis fusè describit Polybius, illam ordinariam quam initio cujusque vigiliae faciebant tribuni, legati, imperatores, etiam extra ordinem obierunt : sub primis imperatoribus, centurionum munus videtur fuisse : Sequior militia circitores, proprium militæ gradum habuit : Leo Imperator τὸν ἀρχόντα τὸν σκέλλαν deligi jubet, vigilantem, prudentem & experientem non fortuitum quemvis. Multa bona & utilia in hac re instituta habet Æneas in commentario Poliorcetico, quem vide. Quamvis autem vulgo ad quamque buccinam circuirent veteres : non tamen inusitatum iis fuit etiam alio tempore ex improviso superveniendo explorare, num omnia rectè satis essent constituta. Leo. Διὸ καὶ σε καταστῆν τὰς βίγλας οὐ δύως γίνονται οὐ πέμπεν τὰς πιστήρες οὐ αρχόντων τὰς ὁφείλοντας αἰφνιδιάσου οὐ ἐπιδεῖν πᾶς αὗται γίνονται οὐ τὰς ἀμελεῖοντας πυρεῖσθαι οὐς αἱ πόνους μεγάλου κινδύνου τῷ σρατηγῷ γνομένους. Æneas impensis ignorare vult vigilias, quâ horâ ipse imperator circuiturus sit, tumut ad omne momentum supervenientem expectent, tum ne se defunctos putent, si illa tantum hora rectè se gesserint. Voces quâ excubiae, si aliquus adventum sentirent, subsistere juberent & interrogarent, apud Poëtam habemus.

*State viri, quæ causa viæ? quive es sis in armis.*

*Quo ve tenetis iter?*

Sic & ille apud Terentium.

*Sta ilico: cui alter,*

*Hem satis pro imperio quisquis es.*

Hoc quidem & ratio ipsa & usus nos docent & in Tacticis observari facile potest, simul sensissent adventum, stare jussisse : deinde quinam essent : postremò tesseram interrogasse. Vigilis enim munus est neminem ad se aut castra pati accedere, nisi accepto signo. De ignibus excubiarum cum nihil jam succurrat dignum notatu præter ea, quæ habet Lipsius, nihil hic addemus. Laternas etiam dant vigilibus scriptores rerum bellicarum ita factas, ut luceant iis solum qui habeant : non autem aliis. Has λαμπτήρας ita fabricare jubet Africanus, ut sint quadrilateræ pellibus undique coniectæ, sed tribus lateribus pellibus nigris, uno alba per quam transfundatur lumen. Circuitores nisi spissis admodum tenebris vetat eis uti Æneas. Describunt & turgiola in quibus vigiles hibernis mensibus ab imbris

bribus vel frigore, æstivis defendantur à sole, ut ait Vegetius. Apud Philonem *ναετιώνες* vocantur. Sequior Latinitas dixit *garitas*. Sed hæc urbium sunt & hibernorum. Præcepta potissima veterum de nocturnis excubiis èd spectant, ut diligentia vigilum intendatur neque proditioni ulla patefat occasio: *Qualia sunt, ut stent erecti, qui in vigiliis sunt, ne quid sarcinarum secum ferant: Paulus Aemilius etiam arma vetuit ferre: Milites enim fessos innixos pilo, capite super scuti marginem posito sponitos stare & fulgentibus armis procul ab hoste conspici, ipsos nihil providere: non enim in pugnam ire vigilem: Sed vigilandum, ut cum senserit hostium adventum, recipiat se excitetque ad arma alios.* Sed hoc uti tunc novum, ita brevi fuit antiquatum: nec placuit antiqui rigor & castrensis severitatis exactoribus militem sine scuto & justis armis munere ullo fungi. Præterea vetant eos qui interdiu excubias egerunt quique ab expeditione redunt, noctem sequentem vigilare. Jubent etiam rationem stationum subinde mutari, tum ut fluxæ fidei omnis opportunitas peccandi præripiatur, ne ipsis quidem militibus gnaris loci horæque quibus vigilias obituri sint: tum ne consuetudo imminuat diligentiam & minus accuratè fiat, quod fit quotidie eodem modo. Ad hoc rebus periculosis crebras constitui vigilias ne solitudo insidiis pateat & proditioni. Brevis verò temporis omnes esse adeo, ut negent diuturniorem stationem admittendam etiam ultro offrentibus quando etiam invitîs soleat somnus obrepere &

*cedentia vincere membra.*

Quod tamen præceptum an veteres illi Græci & Romani satis observant judicent periti. Noctem enim omnem diviserunt in quatuor vigilias, ut notum est: mos sanè circa solstitium æstivum illis longioribus diebus satis probabilis. Tolerabilis etiam vere & autumno. At hiberno anni tempore & rigente brumâ, illis immensis, illis inclementibus noctibus, quid tantum in illis quatuor vigilias est, ut ideo vexandus perdendusque sit miles? Quid quod divisâ in plures partes nocte mutatisque crebrius vigilibus non consequare? jubet tamen Æneas omne nocturnum tempus ita partiri, nec facile invenias priscos ab ea divisione recessisse. Apud Statuum lego, aliquid de contractis vicibus nocturnarum vigiliarum timoris causâ.

*Illam nam tempore in omni*

*Attendunt vigiles & rex jubet ipse timeri,*

*Contractæque vices & crebrior excubat ignis.*

Nocte finita sequuntur diurnæ stations & excubiæ. Eorundem plerumque fuerunt, qui noctem custodiverant. Totum enim *νυχτήμερον*, ut ho-dieque

dieque fit, excubia fuit una, ut ex veterum aliquot locis probare est. Polybius eundenā manipulum de nocte atque interdiu custodiæ prætorii apponit. Clarius idem ostendit in excubiis tribunorum : cum enim tres manipulos cuique tribuno adsignet, per quos in orbem eat munus hoc præbendi duas excubias, tam de die quam de nocte, adjicit non grave esse, quia quarto quoque die ad manipulum redeat. Ergo nox & dies pro una vice habebantur. Præterea velites quorum est nocturna munitamentorum custodia totum diem ait propter vallum in excubiis manere. Livius loco jam recitato de castris Punicis. *Ibi quia sub lucem lignatum & pabulatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia ac soluta invenere, arma tantum in stationibus posita, milites inermes aut humili sedentes, accubantesque aut obambulantes ante vallum portasque.* Apparet nec excubias nec stationes diurno tempore cessavisse, locum tantum & rationem aliquatenus mutata, qui nocturnis vigiliis & stationibus vallum pænè expleverunt, illi in sequente luce accubant juxta vallum. Qui in portis noctu stationem habuerunt, illi proxima die pro portis inveniuntur: illud tamen adhuc quærimus, quot tum ex suis (rariores haud dubie) sed quot in statione posuerint & quoties illæ mutatae fuerint? At illæ quas singuli manipuli ex suo numero ordinant, vigiliæ videntur esse nec per diem in statione manere. Minimè enim necessaria tum tanta stationum frequentia per tota castra & Polybius horum non meminit, nisi in nocturnis custodiis. Vegetius etiam illas quas de singulis centuriis sumit ad noctis tempus restringit. *De singulis centuriis quaterni equites & quaterni pedites excubitum noctibus faciunt.* Et Hyginus ex quaque centuria, *in singulas vigilias vult ire*, id est propriè in custodiā noctis. Equitum custodiā quamvis Polybius nullam agnoscat, veteri tamen Republica tam nocturnam quam diurnam observo, sed aliam diurnam, aliam nocturnam: Ex instituto Pauli Æmilii etiam meridie mutabatur propter fatigationem hominum, equorum, Livius, *antea armati omnes & frenatis equis equites diem totum perstabant: id cum æstivis diebus urente assiduo sole fieret tot horarum æstu ac languore ipsos equosque fessos hostes integri sœpe adorti vel pauci plures vexabant.* Itaque ex matutinâ statione ad meridiem decedi & in postmeridiem succedere alios jussit. De matutinâ & pomeridiana statione loquitur: at nihil de nocturnâ. Nec apud veteres de nocturnâ equitum statione, quantum nunc quidem memini, quicquam legi: non quod nullæ essent, sed quod equites de nocte extra castra huc, illuc commeantes, latè explorarent aut etiam in excubias dividerentur, non autem grandiori aliquo corpore certa loca tuerentur, ut interdiu, quas vulgo vocant stationes. Inde stationes solent ab excubiis distin-

distingui. Scriptor belli Hispaniensis. *Præsidii causa Cæsar complura castella occupavit, partim sub equitatu, partim ut pedestres copiæ in statione & concubitu castris præsidio esse possint: Cæsar ipse de Bello Gallico III. Castra opportunis locis erant posita, ibique castella viginti tria facta, in quibus castellis interdiu stationes disponebantur, ne qua subitè irruptio fieret, hæc eadem noctu excubitoribus ac firmis præsidii tenebantur.* Ubi tamen dubium de equestribus stationibus loquatur, an de pedestribus; nam supra vidimus etiam castella sub equitatu occupasse Cæsarem & possint videri in locum stationum harum noctu successisse pedites? An potius ita accipiendum interdiu tantum stationes in portis fuisset, noctu verò ut & in castris adjunctos his excubidores? Equites autem qui de nocte excubabant, si qua fides Vegetio, quaterni ex singulis turmis erant & per quaterniones, utique illis temporibus, in excubiis ponebantur: At qui interdiu, totæ aut plures ferè turmæ. Illi circuibant castra aut pro castris in excubiis stabant. Hi certo loco constituebantur: Illi non ad pugnandum, sed ad explorandum positæ: Hi locum suum mordicus tueri debebant. Illorum igitur excubiæ, ut & peditum, qui ex singulis centuriis tantum nocturnæ fuerunt: Successere stationes quæ ferè pro portis collocabantur, ut esset semper parata aliqua manus, quæ aut resistere posset nec opinato supervenientibus hostibus aut immitti in illos. Livius VIII. *Manlius super castra hostium cum turmalibus suis evasit, ut vix teli jaclu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites. Hirtius de Bello Africano. Equitibus qui in statione erant præcepit, ut usque eo locum obtinerent, in quo paulo ante constitissent donec ab hoste missum telum ad se perveniret, quod si proprius accederetur, quam honestissime se intra munitiones reciperent.* Præcepit id autem adeo Cæsar, quod nisi præceptum fuisset statio illis sua tuenda fuisset: præsidio enim decidere aut stationem deserere, capitale erat. Africanus in suo exercitu duarum & triginta alarum: unam quotidie alam excubare, ex cuius numero præfectum tam nocturnas quam diurnas stationes constituere vult, in Europalate diversus ab hoc modus est: nam alium drungum, quantum memini, ῥυεροβίγλιον vult obire: alios de nocte excubare.

C A P U T III.  
[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

D E S T I P E N D I O  
 M I L I T A R I.



Uod plerisque populis & nationibus rudi seculo in illis nascientium civitatum incunabulis in more positum, ut nullum militibus de publico darent stipendium: idem & apud Romanos fuit: habuere tamen & in hoc more præcipui aliquid, diutiusque eum observarunt. Nam cum jam inde ab urbe conditâ continentia iis bella intercederent cum accolis, quorum quidam jam tunc dabant æra militibus, ut de Hetruscis memorat Livius: nec ut hodie moris est rapere, spoliare, agere, ferre, nihil divini nec humani inviolatum relinquere id esset sine ære militare; sed antiquâ & sanctâ disciplinâ tractarent arma; tamen supra quadringentos quadraginta annos neque de publico acceperunt stipendium & suo sumtu muneribus militiæ functi sunt. Sed erant bella illa semestria aut breviora nec procul Româ, quo miles partem anni agrum & rem familiarem curaret, quæreretque unde domi, militiæque se ac suos sustentaret; instante autem Bello Vejenti, quod feliciter geri non posset, nisi obsidione potentis & munitæ urbis, opere non paucorum mensium; nec ad finem perduci nisi hiemando continuaretur; Placuit patribus rem novam & insuetam, novo autoramento novisque commodis mitigare, constitueruntque militibus æra saluberrimo consilio ante ipsum bellum, ante ullam tribunorum plebis aut militum mentionem, quo gratior non flagitantibus munificentia esset: Eam rem Livius sic tradit in IIII. *Additum deinde omnium maximè tempestivo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis tribunorumve decerneret Senatus, ut stipendium miles de publico acciperet; cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Nihil acceptum unquam à plebe tanto gaudio traditur. Concursum itaque ad curiam esse, prebensatasque exequitum manus & patres verè appellatos: effectum esse fatentibus, ut nemo pro tam munificâ patriâ, donec quam*

*quam virium supereret, corpori aut sanguini suo parceret: cum commoditas juvaret, rem familiarem saltēm acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipublicae esset.* Lipsius hic legit. *Cum comoda ita juvaret rem familiarem saltēm accrescere.* Et cubat haud dubiè in vitio locus & de commodis militaribus hic agi perspicuum est. Sed non placet illud *commodata juvare.* Non enim juvabant commoda jam data, neque si hoc vellet sic loqueretur Livius. Sed commodis juvabant militem & rem familiarem ejus sublevabant, commoda dabant. Legendum itaque arbitror. *Quum commodis juvaret, vel potius commodis datis (eo enim vox corrupta commoditas nos ducit:) juvet, rem familiarem, &c.* Notum illud ingeniosissimi Poëtæ.

*Romule militibus scisti dare commoda solus.*

Constituta enim militibus æra, in subsidium rei familiaris non in mercedem operæ quam etiam absque iis debebant patriæ in levamentum sumtuum non in facem seditionis. Vir certè disertus si hæc etiam tempora respexit, cum hanc dixit esse mercedem militarem, hac emi militem, hac animam & corpus æstimari, noluit perire aliquot sententiolas & flosculos bene dicendi & declamandi materiam avidius quam verius arriput. Labantis reipublicæ & perditorum morum fuit ista labes, addicere venales animas pretio & ibi fas existimare ubi plurima esset merces. Alia mens patrum illa tempestate fuit cum prima dederunt stipendia, alii etiam mores populi: priusquam luxuria in urbem immigrasset, diversum ab illa sed ferè conjunctum vitium avaritia contemtui & nihil probrosius erat, quam nomen mercenariorum. Appius Claudius in oratione quam contra tribunos plebis habuit, hibernacula ad Vejos seditione traducentes & hiemis labores incusantes quem inter alia stipendii mentionem habens dixisset: *Merito illis novi aliquid laboris injungi, quibus novi aliquid accessisset modi.* Corrigit se statim & quasi injuriam fecisset militibus. *Invitus,* inquit, *in hac parte orationis, invitus Quirites, moror:* Sic enim agere debent qui mercenario milite utuntur: at nos tanquam cum civibus agere volumus agique tanquam cum patria nobiscum æquum censemus. Sic & Lucius Æmilius apud Polybium alloquens milites. Illis esse necessarias adhortationes, qui mercede militant, quorum & in pugna durissima conditio & post pugnam spes tenuissima statum in melius convertendi: At eos qui non pro aliis sed pro se ipsis, pro patriâ, liberis & conjugibus pugnant, quorum status ante pugnam anceps post eam longè diversissimus moneri non adhortari debere. Inde legimus bello Punico secundo illis gravibus & extremis temporibus, cum Hannibal omnem pœnè Italiam teneret, non tantum

privatos pecuniam contulisse in stipendium, sed eandem etiam privatōrum benignitatem in castra manasse, ut non eques, non centurio acciperent stipendium, mercenarium vocantes, qui accepisset. Nugatur itaque idem cum scribit, hunc & apud Romanos fuisse honorem pecuniæ, ut si quis stipendia non faceret licet in castris & exercitu versaretur, impune occidere hostem aut vulnerare non posset. Quis enim hoc unquam fando audivit aut apud veteres legit, jus pugnandi in hostem in pecuniâ ponî nec occidere licuisse nisi ære tanquam pretio cædis accepto? male itaque consuluere reipublicæ equites & centuriones illi, qui sine stipendio militantes jus sibi pugnandi ademerunt? male illi qui ad Vejos suis se equis militaturos promiserunt? At horum omnium amor & benignitas in patriam celebratur. Cato priscus ex cuius ad filium epistola (de qua legimus in capite de Sacramento) hanc sententiam excuspsit, hoc nunquam somniavit: Voluit ille filium suum justum militem esse, voluit completis stipendiis novo Sacramento obstringi, legibus militaribus teneri & potestatem pugnandi ab Imperatore accipere: Sed de ære militari non fuit sollicitus, quasi pecunia publicè accepta demum justum fieret & honestum, quod alioquin illicitum esset. Sed nos diutius quam fas est tenent nugæ. Stipendium quod initio apud Romanos militaribus constitutum, non fuit æs diurnum aut menstruum: sed (quod plerique eorum qui in stipendium inquisiverunt non satis observarunt) æs annum. Diodorus Siculus: τότε πεώποις ἐπεψυφίσαντο Ρωμαῖοι τοῖς σερπιώταις καθ' ἔκαστον ἐνιαυτὸν εἰς ἐφόδια διδόναι χερύματα. Inde stipendium & æra pro anno militiæ adeo invaluerunt apud Latinos, ut etiam usurpent de iis temporibus quibus Romani nulla accipiebant stipendia: nam cum in illis, stipendia facere, mereri, conficere, tot ærum, tot stipendiorum miles, stipendia procedere, &c. propriè quidem æs militare: usu & æs & tempus annum significant: interdum etiā pro solo tempore solent accipi. Frontinus Lib. I V. A patribus deinde obtinuit ne iis præterita æra procederent: id est, ne computarentur anni præteriti in annis quibus ex lege militare debebant. Stipendia enim acceperant jam tum cum meruerant. Æs hoc annum veteri republicæ militi quotannis scripto solidum dabatur, etiam semestri, qualis tum ferè erat, militiæ: quamvis, inquam, totum annum sub pellibus non habetur & dimitteretur ante hiemem; stipendium tamen annum ei procedebat. Autorem habeo Livium in oratione Appii Claudi, ubi ille: Gaudet nunc, inquit, miles fructui sibi rempublicam esse. & latus stipendium accipit, æquo igitur animo patiatur se ab domo ab re familiari cui gravis impen- sa non est paulo diutius abesse. An si ad calculos cum respublica vocet non merito dicat

dicat annua æra habes annuam operam ede? An tu æquum censes militia seme-  
 stri solidum te stipendium accipere? Tam munifica est, inquit, respublica,  
 ita commodis militum indulget, ut quamvis aliquot mensibus tantum  
 opera eorum utatur, nihil minus solidum exsolvat stipendium: Quid  
 igitur iniquius? quid ingratius quam eos in quos tam munifica est, detre-  
 ßare, nunc ubi opus est, annuam operam quam si justo cum iis calculo  
 agat, proportione commodorum injungens operam, quotannis præstare  
 deberent: nisi enim hoc certum & indubitatum ponamus annum æs  
 etiam in brevioribus bellis militi fuisse, nulla in hoc argumento vis, nec in  
 Appii verbis sensus ineſt. Confirmat idem ( si aliis tamen testimonii  
 opus est post tam clarum locum ) mos veterum Romanorum in brevibus  
 & paucorum mensium bellis cum hoste transfigendi, imperato scilicet an-  
 nuo stipendio. Sic Falisci jussi pendere pecuniam in stipendium ejus anni,  
 quo bellum gerendum fuisset. Sic datæ Salinatibus in viginti annos indu-  
 ciæ ea lege, ut res redderent populo Romano & stipendium ejus anni  
 exercitui præstarent. Sic Carvilius consul Faliscis annuas inducias con-  
 cessit pactus centum millia gravis æris & stipendium ejus anni militibus.  
 Interdum annuo militum stipendio adjecerunt & mensium aliquot fru-  
 mentum. Livius V III. Historia: *Inde exercitus Romanus deductus, annuo*  
*stipendio & trium mensium frumento accepto, quod pepigerat consul ut tempus*  
*inducis daret quoad legati rediſſent.* Idem IX. de Samnitibus. *Famque*  
*una voce omnes pacem petebant: tum trium mensium frumento imperato &*  
*annuo stipendio ac singulis in militem tunicis ad Senatum pacis oratores missi.*  
 Et lib. X. *Hoc prælio fractæ iterum Etruscorum vires & pacto annuo stipendio*  
*& duum mensium frumento permisum ab dictatore, ut de pace legatos mitte-*  
*rent Romanum. Rursus XXIX. Hispanæ populis redditæ pax, stipendium*  
*ejus anni duplex & frumentum sex mensium imperatur.* Quid ita in his bellis  
 finiendis non paucorum tantum mensium stipendium æquè ac paucorum  
 mensium frumentum pacti sunt? aut quid non annuum frumento cum  
 annuo stipendio imperaverunt? Nimirum cum eos quorum culpa bellum  
 excitatum esset, impensam in id factam vellent præstare, nec eam ramen,  
 qua erant gravitate, ultra verum exaggerarent, imperaverunt frumentum  
 tot mensium tantum, quot illius belli causa militem sub pellibus ha-  
 buissent aut habituri essent, quia militi frumentum non darent nisi cum  
 in castris esset, stipendium vero exegerunt annum non aliâ de causâ  
 quam quod militi cujusque anni deberetur etiam statim dimisso. Et ne  
 putes de alieno liberales Romanos tum demum solidum numerasse, cum  
 ab hoste exactum: non item cum à civibus: addamus his duo Livii

testimonia. Livius. *Imperata pecunia Faliscis in stipendium ejus anni, ut populus Romanus tributo vacaret. Et de triumpho Papini. Militibus nihil datum ex praeda est, auctaque ea invidia est ad plebem, quod tributum etiam in stipendum militum collatum, quum si spreta gloria fuisset captivæ pecunia in ærarium illatæ & militi tum dari ex prædâ & stipendum militare præstari potuisset.* Inde ignominiæ pœnæque causâ factum legimus, uti legionibus annum stipendium non daretur aut tantum semestre daretur. Frontinus. *Decrevit Senatus uti ea legio cuius in acie consul erat occisus tota infrequens referretur stipendium ei annum non daretur æraque rescinderentur.* Livius X L. *Milites jussi ad signa redire causa ignominiae, uti semestre stipendium in eum annum esset ei legioni decretum.* Pluribus hæc probavimus quod nemo eorum quos quidem legerimus, observaverit, nec dubitemus fore quibus parum probabilis hæc ratio videatur. Gravè enim reipublicæ, certè non necessarium hoc dixeris impendium: pænè etiam iniquum tantum æris dari paucos menses bellantibus, quantum totum annum sub pellibus durantibus & omnes belli labores, omnem cœli sustinentibus injuriam. Quid si etiam plus datum illis? nam si certa pecunia pro frumento detraeta, ut testatur Polybius, frumentum vero datum non fuit, nisi cum in castris agerent, sequitur eos qui diutius militarent, minus pecuniæ accepisse. Sed huic iniquitati opposuisse videntur Romani, quod etiam antequam æra de publico darentur illis plures sumptus de suo fuerint faciendi, qui diutius in castris haberentur, quod miles in quemque annum lectus, etiam dimissus maneret tamen miles ejus anni, quod quoties consilibus visum esset ( rarius id accidebat ) sed tamen quoties è republica esset revocari ad signa & educi posset, quod sæpe etiamsi non militaret at exerceret se in armis & pararet se bello. An & incitamentum debellandi crediderunt annum stipendium etiam sine annua opera? & hinc quoque creverunt ille ferox & inquietus animus, ille perennis ardor in hostem, illud odium moræ & cunctationis, quæ propria militum Romanorum in omni propemodum fortunâ eos secuta sunt atque adeo ne victos quidem deseruerunt. Ambigo tamen, an illud vetus institutum semper manserit apud Romanos ac non potius abrogatum sit minuendi causâ per illa tempora quibus tot tantisque legionibus respublica gerebatur? Video enim Sp. Ligustinum apud Livium de more tanquam sua æstate antiquato loqui. *Bis, inquit, quæ annua merebant legiones stipendia feci:* Varro etiam cum dicit: *Stipendium dicebatur æs, quod militi semestre aut annum dabatur: innuere videtur stipendium, non semper æs annum sed aliquando etiam semestre fuisse, suo verò æyo nec annum nec semestre.* Ac hæc qui-

quidem non observarunt viri docti : at de numero æris parum inter eos  
 convenit. Franciscus Patritius satis habet duorum obolorum Polybia-  
 norum pretium examinare. Carolus Sigonius haud proclive dictu existi-  
 mat stipendum militare quantum fuisse, Polybium diurnum peditis quæ-  
 stum obolos duos statuere, centurionis duplex equitis drachmam, an vero  
 ille ὁφάνιον pro integro stipendio accipiat parum liquere. Quod si postre-  
 morum temporum consuetudine, quæ sunt antiquissima metiamur,  
 diurnum peditis Romani stipendum fuisse denarium, statuendum. Nam  
 apud Tacitum Percennium dicere denis in diem assibus animam & cor-  
 pus æstimari. Denarium enim decem assibus æstimatum atque semper in  
 militari stipendio pro decem assibus datum esse, quamvis bello Punico  
 secundo placuisset, ut sedecim assibus permutaretur. Lipsius stipendum  
 diurnum tres asses, vel ut justissimè cum triente statuit : non enim aliter  
 Latinè efferri cum duo oboli sint tertia pars drachmæ & drachma vincatur  
 leviter à denario Romano : in mensem itaque decem denarios, id est Phi-  
 lippæum nostrum ac imperio tam latè propagato nihil additum esse ad  
 stipendiī modum ante Julianum ævum : illum qui per milites magnus  
 leges hic quoque fregisse & legionibus stipendum, ut ait Suetonius, in  
 perpetuum duplicasse Res semel mota, inquit, non hic stetit, sed magis  
*Augustus auxit, qui omnes ubique milites ad certam stipendiiorum præmiorum-*  
*que formulam adstrinxit, ut in vita ejus Tranquillus. Eum modum fuisse decem*  
*diurnos asses ex Tacito liquet. Hæc ita scripta et si suspicio mibi est per bella illa*  
*diuturna civilia magis etiam auxisse stipendia, sed recisa rebus jam tranquillis*  
*ab Augusto & in sumمام eam firmiter redacta. Mansit tamen non diu, sed*  
*sive Nero, sive Claudius, sive potius Otbo aut Vitellius aliquid immo multum*  
*addidere & jam Domitiani ævo stipendum menstruum erant aurei terni : ii*  
*essent in diem viginti quinque asses, quibus ipse Domitianus iterum addidit*  
*menstruum aureum unum id est denarios viginti quinque. Tanti enim Romanus*  
*aureus & res hæc tota è Johanne Zonard ad liquidum à nobis reducta. Vincen-*  
*tius Contarenus quantum ex Puteano colligo ( non enim vidi ) ostendit,*  
*male Lipsium duos obolos Polybianos, tribus assibus æstimare, quando*  
*ætate Polybii denarius non denis, sed senis denis assibus fuerit permuta-*  
*tus : quinque igitur asses tum respondisse duobus obolis. Refellit præte-*  
*rea denarium duodecim assium commentum Lipsii & credit sub Imperatoribus*  
*militem tribus stipendiis ad aureos binos & denarios aliquot :*  
*pervenisse, quarto à Domitiano addito tres totos in mensem aureos accep-*  
*pisse. Salmasius in stipendio sub Imperatoribus sequitur Lipsium. Eri-*  
*cius Puteanus in modo stipendiī quod liberâ republicâ datum militibus, se*  
cum

cum Lipvio & Contareno & contra utrosque ait sentire: *Cum Lipsio contra Contarenum, nam primum illud stipendum trium assium videri fuisset buemadmodum assis nummi possint appellari.* Cum Contareno contra Lipsium, quia duo oboli Polybiani non nisi quinis assibus respondeant. Denique contra Lipsium & contra Contarenum quia de alio stipendio Plautus, de alio Polybius loquatur, summam enim diurnam à Plauto tribus, à Polybio quinis assibus constitutam esse: rem à denario exigendam, hunc prima institutione denis deinde senis denis cepisse permutari Q. Fabio dictatore, tres asses Plautinos è senis denis esse, ut ingeniose & accurate à Contareno ostensum. Sub Imperatoribus deinde nihil additum stipendio esse ante Domitianum, hunc quartam partem adiecisse & quod ante fuerit novem, factum esse duodecim aureorum. Vides discrepantiās pugnāsque doctorum hominum de ære militari. Premamus & nos, ne nihil agamus, trita vestigia, & tentemus, si quid partim priorum veris opinionibus, partim ipsis adjuti erroribus veri elicere possimus. Verba Polybii. Οφάνιον ἡ οἱ μὲν πεσσοὶ λάμβανονται η μέρες δύο ὥβολοις. Recte hic probasse Contarenum duos obolos respondere quinis assibus uncialibus dubium non est. Duo oboli sunt tertia pars drachmæ: Drachma æstimatur denario Romano, denarius Romanus illa ætate senis denis assibus permutabatur. Ergo duo oboli sunt quini asses, ut anxie scrupuloseque examines cum triente. Sed Polybium non quinos asses cum triente; sed quinos duobus obolis expressisse non probabile est, quia diurnum stipendium certo assium numero constitisse verosimile, sed certum quia duplex stipendium Julianum deni asses fuerunt. Ex quo etiam efficitur de toto stipendio, non de parte ejus loqui Polybium, de quo male dubitat Siganus. Et respexit opinor Polybius ad σιγέανον Græcorum, quod duorum in diem obolorum sive decem in mensem drachmarum fuit: Quamvis enim Athenienses drachmam diurnam apud Thucididem & tetrobolum apud Eustatium legamus dedisse, secernentes tamen sæpe σιγέανον à reliquo stipendio solum hoc dabunt militi de publico, ut cætera ab hoste & ipso bello peteret. Et Græci scriptores in tradendis rebus Romanis quo facilius à suis intellegentur, si quæ cum moribus suis facere viderent, ea suis vocabulis expressere, in pecuniâ verò Romanâ proximum ex suis nummum accipientes minutias illas morati non sunt. Alibi Polybius semissem dicit esse quartam oboli partem, quod si exactè verum velis, duo oboli quatuor asses, quatuor oboli viatoriatum, octo oboli denarium efficiant: aut si de veteri assario, quorum deni explent denarium, eum loqui velis, quinque oboli denarius, sint: quorum neutrum verum, sex enim oboli drachmam faciunt, quæ apud Græcos denarium

narium Romanum reddit. Habemus igitur diurnum militis æs ætate Polybii, quinos asses unciales. Ex eo annum investigemus: facile id est fateor, sed si de numero dierum constet ad quos annus debeat computari: nam *vetus annus* Romanus fuit trecentorum quinquaginta quinque dierum. Hoc itaque anno stipendum fuerit mille septingenti septuaginta quinque asses. Peritiores annum tamen plenum solarem constare **C C C L X V** diebus non ignorabant, ad cuius rationem si militi stipendum velis exsolutum, fiet anniæ **M D C C C X X V**. Annus Græcorum communis & civilis erat trecentorum sexaginta dierum, fient mille octingenti asses & hic habet rotundum in ære numerum, & certè quia tribuitur in duodecim menses, qui sunt omnes *τελευθημένοι*, ad ejusmodi res longe aptissimus est. Sub Cæsaribus quidem in stipendio militari receptum fuisse ex Suetonio & Zonarâ liquet, qui militibus, ut recte observavit Puteanus, datum scribunt singulis quatuor mensibus septuaginta quinque drachmas sive tres aureos, id fuerit in annum, tria millia sexcenti æris, ducenti viginti drachmæ novem aurei, ad unguem duplum ejus, quod efficitur ex stipendio Polybiano ad annum civilem Græcorum redacto. Nulla igitur causa est, quin hunc annum valuisse etiam Polybii credamus ætate, qua simplex stipendum militi dabatur, id est dimidium ejus quod sub Cæsaribus. Annuum itaque æs tum fuit **M D C C C**, sive quadringenti quinquaginta festertii, centum duodecim denarii cum victoriato, quatuor aurei & dimidius. Videamus nunc quod fuerit militare stipendum ante bellum Punicum secundum, cum denarius decem assibus permutabatur. *Puteanus non tantum in pretio denarii, sed etiam in stipendio mutationem putat factam, crevisse urgente Italiam Hannibale tanquam majori præmio defendi respublica debuerit, cum discrimen immineret: antea militem tres asses unciales, quorum seni deni explent denarium in diem accepisse, tum quinos, antea quinis diebus denarium minus asse, tum tribus meruisse.* At quis hoc ei credit in illa inopiat publicâ, illis difficultimis & pñè extremis reipublicæ temporibus, cum ne solitum quidem stipendum ad diem exsolvi posset, cum potentibus stipendum pro exercitu ducibus responsum publicè non esse unde daretur, cum denarius in lucrum reipublicæ ad senos denos asses redactus, cum propter inopiam publicam equites & centuriones sine ullo stipendio suis sumtibus munere militiae functi sint, quis, inquam, credit stipendum militare tunc à quinta denarii parte ad tertiam adauctum, id est, tantum non duplicatum fuisse præfertim cum nullum idoneum testem, nullum veterem ejus sententia habeat autorem. Nam Plauti quidem locus ex *Mostellaria*.

*Isti, qui hastis trium nummorum causâ subeunt sub fas?*

In hoc male citatur. Nusquam enim Plauto numimus as est & quoties sine alia adjectione meminit nummi, stater intelligendus est, ut pridem probarunt viri doctissimi: fac tamen asses intelligi debere. Unde constat eum de assibus uncialibus sui ævi, stipendio vero prioris loqui, cum utraque mutatio simul sit facta. Quid? quod absurdum est stipendum facere trium assium uncialium, qui vix duos sextantarios æquant, eâ tempestate quâ nulli adhuc unciales, nulli quorum seni deni denarium facerent apud Romanos noti erant? Sed quid rationibus & argumentorum congerie opus est? Adebat nobis testis omni hic major exceptione, abs quo esset, vix sciremus, quando denarius senis denis assibus cæperit permutari, qui affirmat mansisse vetus stipendium militi & eundem numerum denariorum nec quicquam tum in ære militari mutatum, nisi quod mutata pecuniæ ratio exegit. Nam ita scribit Plinius in XXXIII. C. 3. Postea Annibale urgente E. Fabio Maximo dictatore asses unciales facti placuitque denarium XVI. assibus permutari, quinarium octonis, seftertium quaternis. Ita respublica dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper denarius pro X. assibus datus. Dimidium inquit lucrata est respublica nempe in ære, quod duos asses jam faceret ex eo æris pondere, ex quo antea unum: in denario autem tertiam & decimam sextam partem lucri fecerunt, non quidem respublica sola, sed omnes quibus nummi argentei essent. Non enim alio pondere quam antea feriri cæperunt, sed alio pretio permutari. Addit: In stipendio tamen, &c. Qui locus varie exercuit viros eruditos, vix tamen ab ullo recte explicatus fuit. Ultimus qui eum attigit Puteanus sequitur Lipsium. Quid dicam? inquit, quod Lipsius hic utcunque dixit, et si à Contareno reprobens, militem nibil ab aucto argenti pretio commodi sensisse, sed computatum in stipendiij ratione denarium, quasi denum diem taxat assium esset. Ergo si denarius in solutionem veniret, decem modo asses militi dabantur. In Plinio planior fortassis lectio fit. Pro denario semper decem asses dati, sed cum idem sermonis vultus alibi toleretur, nihil hic muto, &c. Parum hic jam memor est, quod militi circa hæc tempora ad aucto stipendio dedit quinque asses, cum antea tantum tres accepissent. Nam si asses isti ad denarium redigendi senum denum assium: denarius deinde rursus ad decem asses, non quinque sed tres asses & fescunciam in diem meruerint. At si revera quinque asses acceperunt & tamen pro denario decem tantum asses, ingenti numero denariorum illusum iis fuisse oportet. Nam duobus diebus denarium, in annum vero centum octoginta denarios meruerint, quæ summa gran-

grandiuscula non congruit dupli stipendio Juliano, quod est apud Tacitum, Suetonium & Zonaram: neque vero causa probabilis hujus ludibrii fingi potest, nisi ante bellum Punicum secundum, hic justus modus stipendi fuerit: quo recepto non tantum commodi nihil sensisset, quod vult Puteanus, sed detrimenti cepisset non parum tertia parte stipendi mulctatus. Nec hoc Plinius voluit, non enim dicit decem asses pro denario datos, quod malit ille: sed denarium pro decem assibus: hoc verò accipere pro illo, id est vim facere, non interpretari. Qui enim dixisset denarium pro decem assibus revera datum, si sic dixit decem asses pro denario datos? *Dimidium*, inquit, *lucrata est respublica*: in reliquo scilicet ære alieno. Dimidio enim ære totum, assibus uncialibus singulis sextantarios exsolvit. Addit: *In stipendio tamen militari, &c. excipiendo, innuens in eo aut nihil aut certè non tantum lucrificisse rempublicam: Semper denarius pro decem assibus fuit datus.* Quemadmodum ab antiquo, & ante cūsos asses unciales, cum deberet decem asses militibus, denarium vel pretium denarii dedit; Sic etiam tunc & deinde semper fecit. Decreto senatus non certum numerum denariorum, sed æris constitutum fuisse, non tantum probat usitata antiquis ratio, & illa vulgaria, *constituere æra, æra militaria, æra equestris, tot ærum miles, &c.* etiam illis temporibus usurpata, quibus jam frequentissima ratio festertiaria: sed & evincit ævum, quo nullus Romanus fuit denarius. Pro decem igitur assibus singulis, qui ex lege vel Senatusconsulto debebantur, semper denarius vel pretium denarii datum fuit: quamdiu denarius decem assibus æstimabatur, numerus assium lege definitus: At ubi sedecim assibus cœpit permutari, pro denis assibus sextantariis sedecim unciales soluti fuerunt. In ære quidem tertiam partem & hic lucrata est respublica, quoties in ære solveret, sed asses sex supra veterem numerum, & ita in novo ære vetus pretium dedit. Ac annum militis stipendum jam olim bello Latino centum duodecim denariis & uno victoriato fuisse æstimatum non mediocriter confirmatur præmio equitum Campanorum, qui in illo bello fidem & amicitiam populi Romani fuerant secuti. Præterquam enim quod civitate donati quadruplex eis stipendum attributum. *Vecligal iis*, ait Livius, *Campanus populus jussus pendere in singulos quotannis (fuere mille sexcenti) denarios nummos quadragenos quinquagenos.* Habes ad unguem quadruplum æris pedestris. Simplex itaque mille centum viginti quinque. Una tamen sed levis in hac summa nascitur difficultas, quod in diurnum stipendum dividi non possit, nisi se<sup>c</sup>to in minutis admodum partes asse. Nam tres asses diurni

in annum solarem, qui est omnium maximus, mille nonaginta quinque tantum efficiunt: quatuor verò asses in annum Romanum illum minimum, mille quadragesimos viginti.. Annuum quidem fuit stipendium, in quo de diurno illo minus solliciti possint videri fuisse: sed tum nullam video causam excedendi rotundum & plenum numerum & centenario quinque & viginti adjiciendi, præsertim cum ille numerus in se habeat diurnum stipendium trium assium, atque adeo annum trecentorum sexagesima sex dierum duobus assibus excedat. Extat & apud Priscianum fragmentum Catonis, ex oratione, qua plura æra equestria suadet fieri, quo duplex stipendium (ut suo loco ostendam) duobus millibus ducentis definitur, & proinde pedestre mille centum. Ac consideranti mihi morem Romanorum in talibus minutias istas mensulariorum tanquam difficultioris computationis & republica parum dignas evitandi, & rotundos numeros sectandi, à vero alienum non videtur ita constitutum fuisse æs annum, ut certum numerum diurnorum assium efficeret, & similiter stipendium diurnum, ut rotundam in ære annuo summam faceret, præsertim cum id tam levi mutatione & nullo negotio fieri posset. Ac videor mihi hic videre causam, quare mutata pecunia quadraginta asses unciales vel duo denarii & victoriatus adjecti fuerint stipendio. Nempe ut utrumque assequerentur rotundum & in ære diurno & in annuo numerum. Ante bellum Punicum secundum, cum asses essent sextantarii, hoc assequi non potuerunt, nisi anno ad sexaginta sex dies supra trecentos computato: Assibus verò uncialibus id commodè efficere non potuissent, nisi & in numero dierum, & in diurno ære, & in annuo leviculam mutationem admitterent: Itaque sex dies de numero reciderunt: in diem verò, cum propriè accipere debuissent, pro tribus assibus sextantariis, quinos unciales minus triente assis sextantarii quinos dederunt, & in annum, quo plenam summam mille octingentorum efficerent, addecerunt priori stipendio quadraginta, five duos denarios & victoriatum. Quæ mutatio cum commoditatis rotundandique numeri causa facta, & tam levis sit, idem quod antea stipendium mansisse merito existimatur. Idéoque Livius fortassis, aut ille quem fecutus est, cum sciret nihil in stipendiis pretio tum mutatum, quadruplex stipendium ad quadragenos quinquagenos denarios non veritus est computare. Mille itaque centum æris five centum decem denarii hac ratione ante bellum Punicum secundum stipendium annum fuerit. Videamus an primum stipendium, quod Anxure capto constitutum, ab hoc diversum sit. Ac non absurdè colligi videtur posse ex denis millibus ad emendum, & duobus millibus ad alen-

alendum equum, quæ à Servio Rege equitibus sunt constituta, simplex  
 stipendium mille æris fuisse: probabile etiam est alium fuisse modum sti-  
 pendii, quem assibus libralibus uterentur ante bellum Punicum primum,  
 alium cum asses sextantarii facti sunt, & imminuto in ære lucrata est  
 quinque partes respublica. Nam etiamsi decem assibus sextantariis exple-  
 retur denarius æque ac tot libralibus, tamen assibus in se tanto minus  
 habentibus pretii, verisimile est denarium non æstimatum apud  
 Socios exterisque nationes, apud quas sœpe numero in expeditionibus  
 erant milites. Accedit quod asses sextantarios nec Romæ libram pondo  
 æris valuisse appareat ex distinctione æris gravis ab ære communi. Quid  
 enim opus erat exigere æs grave pro poena ex legibus antiquis, in quibus  
 nullam gravis æris mentionem esse probabile est, quia nullum tum aliud  
 fuit Romanis? Quid opus distinctione, si idem levis pretium & gravis?  
 Denarii itaque ipsius pretium tum decrevit utique respectu æris, cum  
 asses sextantarii facti, æris adauctum: antea enim denario decem libræ  
 æris permutabantur, tunc plus decem assibus, id est denario valuerunt  
 totidem libræ. Ut igitur adauctum non sit stipendium, pro detimento  
 tamen illo adjici aliquantum debuit, præsertim cum denarios miles an-  
 tiqua republica ferè in ære acciperet: fortassis igitur singulis denariis  
 tum adjectus assarius, & stipendium pro millibus æris mille centum esse  
 cœpit. Probabilia hæc nisi sint, quæ obstant alia. Nam quamvis pede-  
 stre stipendium tertia pars equestris, non tamen constat an stipendium  
 pedestre tertia pars ejus sit, quod Servius Rex constituit, præsertim cum  
 in eo tanta diversitas: cum Servius una pensione decem millia dederit.  
 Deinde duo millia annua. Adde quod in illa summa Serviana ducenti  
 possunt esse omessa, solent hoc sœpe scriptores summa rerum capita se-  
 quentes, minutiarum incuriosi. Sic in fragmento Catonis: *De duobus*  
*millibus actum est*: cum tamen de duobus millibus ducentis eum loqui ex  
 eodem constet fragmento. Nam, si fides Livio, jam bello Latino, cum  
 asses etiam tunc librales essent, triplex equestre stipendium denarii tre-  
 ceni triginta septem & victoriatus unus, ut supra ostendimus. Accedit  
 quod Plinius ait denarium semper pro decem assibus in stipendio datum:  
 Et cum postea lege Papiria assibus semuncialibus factis nihil in stipendio  
 militari mutatum, quia nimirum senis denis, ut antea: sic etiam deinceps  
 denarius permutatus fuit, cur credamus illos homines prisco disciplinæ  
 tenacissimos à prisco stipendio decessisse nulla mutatione facta in pro-  
 portione, quæ erat inter denarium & assem. Ne tunc quidem, cum  
 asses unciales pro sextantariis facti, propter imminutum assium pondus

quicquam militi adjectum, sed propter mutatam denarii estimationem. Quâ adauctâ non potuit idem manere in pretio, nisi numero æris aliquid adjiceretur. Quicquid sit, veteri republica non ampliatum fuisse, nisi [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) ratio commutatæ pecuniæ postulavit, mihi pro certo vel ideo est, quod ne opulentiori quidem re Romana factum est, cum longè à domo bellaretur, & tot causæ propemodum justæ augendi stipendii es-  
sent. Inde fortassis est quod Livius tradens constituta militibus æra, & toties annui, toties duplicis, triplicisque stipendii mentionem faciens, numerum tamen æris nusquam definiverit: quæ res in tanto rerum Romanarum autore vix excusanda, nisi stipendii modus omni ævo apud Romanos idem, & proinde omnibus notus fuerit. Mihi quidem tum rem ipsam justis ponderibus examinanti, in cuius conservatione disciplina militaris & summa salus tantopere vertitur (quid enim periculosius in publicum, quam ære militari aucto corrumpi militum animos, & aperiri fenestram turbidis novantisque rebus) tum Senatus prudentiam in providendis periculis, gravitatem & constantiam in custodiendis legibus, diligentiam in tuenda illa sancta disciplina, qua & stetit res Roma-  
na, & victus succubuit terræ orbis, pænè nefas videtur dubitare, quin jam ab antiquo provisum cautumque fuerit, ne quid in re tanti momenti ambitioni hominum perditorum ac militari liceret avaritiae. Ad populum certe non licuisse agi de augendo ære militari vel hoc unum persuadet, quod nunquam auctum est. Quod enim certius ejus argumentum potest afferri, quam quod in urbe omnibus turbulentarum actionum prœcellis agitata, ubi tot homines pessimo publico populares, tot tribuni seditionis, qui nihil intentatum reliquerunt, quod in vulgus gratum esset, tot imperatores militum studiis legibus omnibus potentiores, nemo tamen extiterit, qui hac via, quâ nec certior ulla, nec brevior ad summam potentiam, sit grassatus? Olim id fortassis minus plausibile fuerit, cum non nisi ex tributo stipendum, & populo imponebatur oneris quantum militibus commodis adjiciebatur, etiamsi capti compendio animi quærere non soleant unde accipiant, sed quantum: esto tamen: fuerit tum minus gratum; At posteaquam omnis Macedonum Gaza in ærarium inlata & tanta pars orbis terrarum stipendiaria P. R. finem attulere tributorum, nonne sine mala populi gratia, res potuit perrogari? Deearat tum scilicet causæ, tam potenti, tam opulenta, & tot victoriis aucta respublica, quare miles etiam aliquid novi commodi perciperet, & illa jam terrarum gentiumque domina abiret à stipendio parvæ, &, ut ita dixerim, privatæ Romæ? Aut deerat voluntas illis turbatoribus, qui tam avide semper

semper rapuerunt omnem occasionem allicienda militum benevolentiae, qui totiens largitione, totiens duplicatis in triumphis stipendiis obstrinxere eorum voluntates? Evidem C. Gracchum legem tulisse scribit Plutarchus, qua jussit vestem militibus de publico dari, nec quicquam hoc nomine detrahi de stipendio; sed haec aut usu non fuit recepta, aut certe deinde antiquata, cum sub Imperatoribus legamus redemptam de stipendio vestem. Et hoc ipsum, quod veterem stipendii legem impugnans, ejusmodi tantum cuniculis subruere conatus est, arguit summam ejus sanctimoniam. Ipse quinimo Caius Julius, quem jam legionibus armisque succinctus, omnia poneret in acquirendis militum gratiis, nec quicquam aliud pensi haberet; hanc tamen legem palam violare pedibusque subjecere non videtur ausus. Duplicavit stipendum: non erat id novum, sed tralatitium: militibus enim bene de republicâ meritis, jam olim virtutis causa Senatus duplex stipendum adsignare solebat. Fecere & Imperatores interdum, sed ea opinor lege, si autor fieret senatus. Novum id quidem, quod totis, immo omnibus legionibus duplicaverit, & quod in perpetuum: nam antea singulis tantum militibus aut cohortibus ob insignem aliquam & extraordinariam operam hoc tribuebatur. Et quoties in triumphis duplicita toti exercitu æra dabantur, alterum stipendum donativum erat, & semel tantum, nec proprie stipendii nomine dabatur. Novum igitur hoc, sed sub falsa specie moris antiqui: fecitque hic Cæsar quod in multis aliis legibus libertatem & summam rempublicam continentibus illusit antiquo vocabulo, &, vi ablata, inanem tamen speciem servavit: &, quemadmodum ipse deinde nomine perpetuae dictaturæ vim regiæ potestatis obsedit; sic perpetuos istos duplicitarios habuit satellites reverâ & instrumenta dominationis. Cæsaris deinde primis successoribus rempublicam tenentibus ad Domitianum usque obtinuisse hoc stipendum recte dixit Puteanus. Nam Lipsii conjectura de reciso ab Augusto stipendio, & mox iterum aucto ab Nerone, sive Claudio, vel Othonem, vel Vitellio, nullam habens veterum autoritatem hoc uno tantum felix est, quod non pauci nec de grege doctorum eam amplexi sunt & hic ei assentiuntur tam nulla de causa, quam alibi interdum ab eo dissentient. Augustus quidem privatus veteranos quanta potuit maxima largitione contraxit, sed largitione; non stipendio lageriori: quæ fuit ab antiquo ad sequiora usque tempora apud Romanos consuetudo. Vetus saepe respublica laudem, gloriam, coronas, hastas, illa nec onerosa donanti, nec donatis luxuriosa potiora semper duxit. Vedit tamen jam olim, nec ægre passa est, re bene gestâ, vocari in partem ali-

aliquam prædæ milites, & pecuniâ etiam datâ statui aliquod discrimen exercitus victoris & inglorii. Sed quod erat solius virtutis præmium : ambitione Imperatorum factum est deinde pretium pessimorum facinorum, bellorumque civilium, & postremè servitutis. Rupta tamen dominatione, à plerisque ab hoc more non est recessum, sive quod fuerit etiam tunc aliqua antiquitatis & exemplorum reverentia, sive quod præstanti majoris stipendii difficultas deterruerit, sive quod stipendum transire in debitum, in donativo quoties promitteretur novum beneficium, novamque gratiam crediderint inesse. Quanquam & largitionem fundum non habere, rebusque turbandis novandisque, quam stabiliendis meliorem esse re ipsa plerique, quidam etiam magno malo suo experti sunt. Augustus adeptus jam terrarum imperium immutavit quædam in re militari, aliqua etiam nova instituit ; Sed & nonnulla ad antiquum morem revocavit, nec ambitione tum, nec peccavit indulgentia, recidens etiam quæ sine impendio dari possent, verba nimium blandientia. Neque enim in concione, aut per edictum ullos militum commilitones appellabat ; sed milites ; ambitiosus id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusque suæ maiestas postularet. Stipendum autem tum denorum in diem assium ex Percenni concione apud Tacitum satis constat. Apud eundem videre est, quomodo Tiberius postulata militum, uberius stipendum seditione postulantium eluserit, fluctuans etiam tunc & nondum satis securus imperii : Post duplicita autem ex Augusti testamento legata nihil unquam largitus est. Causus ad imperium promotus, quo tempore maximè effusa liberalitas esse solet, ne donativum quidem pronuntiavit. Primus Cæsarum Claudio imperium adeptus singulis quinadena. H. S. promisit, fidem militum, ut ait Suetonius, etiam præmio pigneratus. Nero hoc unum circa stipendum prætorianorum notatur novasse, quod frumentum mensurum gratuitum constituit. De Galba & Vespasiano nemo dubitaverit. Ne ab Othoni quidem ; aut Vitellio quamvis effusissimis, & ad perdendum profligandumque natis principibus, quorum alter dicebat, hoc se habiturum, quod sibi milites reliquissent : alter nemini roganti quicquam negabat, aliud acceperunt quam donativa & licentiam peccandi. Neque, si quid illi promisissent, id apud victorem Vespasianum prisca moris & antiquæ disciplinæ diligentem fuisset ratum. Tito rerum potienti nulla fuit causa novandi. Unius Domitiani inconsulta hæc fuit temeritas, de eo Suetonius : Addidit & quartum stipendum militi aureos ternos. mirè vexatus locus. Hic legit: Addidit & quartum stipendum militi aureis ternis : Ille : militare aureis ternis :

ternis , alias ad aureos ternos , alias in aureos ternos : nec in modo stipendii  
 quam in verbis Suetonii natant minus , nisi quod cuncti summas faciunt  
 immanes . Vetus scalpellum sanæ corporis parti adhibere , & primus lo-  
 cum interpretatus est , ne fùa cuiquam laus detrahatur , Puteanus . Cum  
 enim constet ex Zonarâ , Domitianum pro septuagenis quinis denariis cen-  
 tenos dedit , id est , vetus stipendium tertiam parte auxisse vel quartam , si  
 intelligas de stipendio jam aucto ; stipendium autem Julianum , quod ad  
 eam diem ostendimus mansisse , esse denos in diem asses , in annum tria  
 millia sexcentos , qui faciunt denarios ducentos viginti quinque , aureos  
 novem . Sequitur , Domitiani stipendium diurnum duodecim asses cum  
 triente , annum quatuor millia octingentos asses , denarios trecentos ,  
 aureos duodecim fuisse . Tres itaque aureos annuos addidisse manifestum  
 est , nec eget probationis . Illud quærendum , quare aureos ternos appelle-  
 tet stipendium , & quidem quartum . Non certè ideo quod ratio dandi  
 stipendii jam quartum mutaretur , non enim dicit , eum quartam mutatio-  
 nem fecisse in stipendio , sed addidisse nempe tribus stipendiis , quæ acci-  
 piebant quartum : nec in voce stipendium mendum esse ipse Suetonius  
 ostendit , ubi de eodem Domitiano inquit . *Exhaustus operum ac munerum  
 impensis , stipendiaque , quod adjecterat , tentavit quidem ad relevandos ca-  
 strenses sumtus militum numerum diminuere .* Vides iterum stipendium ap-  
 pellare , ut solent & alii sub Imperatoribus , aureos ternos . Capitolinus  
 de Commodo . *Habebis præterea , cum id feceris , dandi stipendii usque ad  
 tres aureos liberam potestatem .* Idem illa ætate fuit modus justus donativi .  
 Lampadius de Heliogabalo . *Pronuntiavit meretricibus quasi milibus ter-  
 nos aureos donativum .* Sic Spartianus Hadrianum duplē largitionem mi-  
 liti dedit scribit , id est sex aureos : inde confuso nomine stipendium pro  
 donativo , ut loco citato Lampridi . Ælius Spartianus de Severo Im-  
 peratore . *Denique milibus tantum stipendiorum , quantum nemo principum de-  
 dit , id est , toties dedit aureos ternos , summam stipendii , quamvis pro-  
 prie stipendium non esset , sed donativum . Non enim debebatur militi ,  
 nec constitutum erat , ut quotannis tantum acciperet , sed dono dabantur .*  
 Et apud Livium in triumphis aliquoties legimus duplex stipendium da-  
 tum , id est , ei summæ , quæ nomine stipendii debebatur , alterum tan-  
 tum adjectum per liberalitatem . Stipendia magna Julio Capitolino sunt  
 magna donativa : *Quamvis Maximus apud milites sœpe dixisset , oblivionem  
 prætentorum esse debere , & stipendia magna donasset .* Et contra apud scrip-  
 tores sequioris ævi , donativum appellatur quod est stipendium . Vege-  
 tius . *Illud vero ab antiquis divinitus institutum est , ut ex donativo , quod  
 milites*

milites consequuntur , dimidia pars sequestraretur apud signa . Nam non de  
 donativo tantum , sed etiam de stipendio apud signa deponebatur ali-  
 quid . Quamvis & inde hanc confusionem ortam putas , quod donativa  
 tandem etiam quotannis statim temporibus data , non ut olim post victo-  
 riā , aut ob peculiares tantum causas , & quod erat donum transiit in  
 debitum . Sed ut ad aureos ternos revertamur ; stipendum ideo dicti  
 sunt , quod essent tertia pars stipendiī , quæ una erogatione ex ærario ad  
 exercitus mittebatur , una annui stipendiī pensio . Fiscalia enim omnia  
 quadrimestria erant . In Codice Theodosii de annona & tributis Con-  
 stantius & Constans ad Probum . *Unusquisque ammonias species pro modo*  
*capitationis & sortium præbiturus ( per quaternos menses anni curriculo distri-*  
*buto ) tribus vicibus summam collationis implebit . Idem ad Dracontium .*  
*Provinciales nostri tributa fiscalia per anni curriculum tripartitâ satisfactione*  
*restituant .* Cum autem non aliis diebus efferri ex ærario , exigique , & ad  
 exercitus mitti rectè & ordine posset , quam quibus persolvebatur à sti-  
 pendariis populis ; quadrimestre stipendum militare factum est : ac tale  
 jam sub Augusto fuisse suspicari licet , tum ex eo , quod Augustus legata  
 militibus dedit quinque & septuaginta denarios in singulos , tum quod  
 tesseras populo etiam ter in annum quaternum mensium dare voluit , ad  
 exemplum , ut videtur , militaris stipendiī . Suetonius . *Ter in annum qua-*  
*ternum mensium tesseras dare destinavit , sed desideranti consuetudinem veter-*  
*rem concessit , ut sui cuiusque mensis acciperet .* Aureos certè ternos unam sti-  
 pendii annui pensionem tum fuisse , nos docet Zonaras , cum scribit mi-  
 lites ante Domitianum quinque & septuaginta denarios accepisse . Hinc  
 igitur aurei terni stipendum , noveni tria stipendia , duodenī quatuor  
 Mansit idem etiam post Domitianum , ut ex citatis autorum testimoniis  
 liquet . Sed nobis ad illam lapsæ disciplinæ & pessimisidentis imperii  
 æstatem non est constitutum descendere : & fallor , an jam diutius morem  
 Romanorum persequimur , quam illi dignitatem majorum custodiverunt  
 in stipendiis ? Hoc enim illud monstrum est de quo loquimur , à quo cepit  
 ingens dedecus imperii Romani , ut stipendia , quæ ad eam diem suis mi-  
 litibus tantum dare noverant , hostibus solverent barbaris , à quibus  
 antea exigebant . Quum enim Decebalum Dacorum regem armis supera-  
 re non posset , deprecatus est tributo , ne ipse vinceretur . Nec stetit intra  
 pessimi domini imperium malum exemplum : subsecuti principes plerique  
 redemerunt eodem modo à barbaris pacem ; sed consulentes scilicet ma-  
 jestati Romanæ , *stipendum , vel munus appellaverunt , quasi in vocabulo ,*  
 non in re effet turpitudō fædissimæ pactionis . Stipendum igitur annuum  
 milita-

militare, ut tandem finiam, ab initio fuerunt asses librales, & deinde sextantarii mille centum, denarii centum decem: denario sedecim assium factō, asses unciales mille octingenti denarii centum duodecim & victoriatus: duplicavit hoc Julius Cæsar: denique Domitianus auxit ad denarios trecentos. Stipendium hoc gregariorum militum legioniorum, sed an omnium idem inquis? nullane fuit inter genera militum, nullane inter tirones & veteranos differentia? Memini sanè legere apud Procopium in Anecdotis ætate Justiniani usu & lege castrensi receptum fuisse, ut non idem omnes mererent, minus tirones, plus promotiores, & in media jam matricula scripti, plurimum verò veterani & missioni proximi, quo dimissi sustentari, & ad hæredes etiam aliquid possent transmittere. Vegetius divinum appellat institutum, quod quasi in orbem quendam per diversas cohortes, & diversas scholas milites promoveantur, ita ut ex primâ cohorte ad gradum quempiam promotus vadat ad decimam cohortem, & rursus ab ea crescentibus stipendiis cum majore gradu per alias recurrat ad primam. Ubi tamen iis solis, qui ad gradum aliqueni promoti, majus stipendium videtur attribuere, quod & antiquâ militiâ factum arbitror: fuere certè jam tunc duplicarii; quibus virtutis causa duplia dabantur cibaria, & sesquiplarii: cæterum in universum inter genera militum, velites, hastatos, principes triarios, discrimen tum nullum. Nec deinde aliud superiorum, aliud inferiorum cohortium stipendium observo. De levi armatura nescio quid suspicari dat Scriptor belli Hispaniensis: *Ut si quis ex nostris transfugerit in levem armaturam conjici, eumque non amplius sedecim accipere.* Sed levis armaturæ cohortes ea ætate fuerunt à legionibus separatæ. Veteranis emeritis jam stipendiis tria millia ab Augusto constituta apud Dionem lego, *emerita dicebantur*: sed stipendium auctius in dubium vocat vel hoc ipsum, quod data hæc commoda fuerunt.

Prætoriæ cohortes ex instituto Scipionis, si fides Festo, sesquplex stipendium acceperunt: Scribit enim delegisse fortissimum quemque, qui ab eo in omni bello non discederent, & cætero militiæ munere vacarent, & sesquplex stipendium acciperent. Id sub Augusto adauctum, sed ad quod pretium usque, non satis convenit inter Tacitum & Dionem. Apud Tacitum Percennius ait binos denarios diurnum stipendium esse. At Dio decretum à Senatu Prætorianis duplum, quod cæteris militibus scilicet vicos asses. Hotomannus in Tacito pro binis denariis, *bis denos* sc. asses putat legendum. Lipsius, *invidiosam esse* Percennii orationem & augendæ rei. Mox tamen, *binos denarios opinatur ed ratione accepisse*, quā legionarii singulos,

qui videlicet viginti assibus solverentur: quod postremum iis quæ jam diximus satis refutatum. Ego cum videam in legatis Augusti & Tiberii plusquam duplum dari, Tacito hic potius crediderim; Dionem autem, cum apud scriptores ejus ævi legislet duplex stipendium decretum vel duplicatum à Senatu stipendium, deceptum suspicor ambiguitate vocabuli: cum enim intelligere debuissest duplicatum iis stipendium suum, hoc est sesquplex, quod leviter abit à denario diurno, accepisse, quasi duplex tantum legionariorum fuerit attributum. Evidem sesquplex stipendium exactè quini deni denarii forent, duplicatum triginta, sed quia id proximum denario probabile est, principem senatumque cum milite liberalius agentes, denarium stipendium diurnum ac postea duplicatum binos denarios fecisse. Bini diurni denarii faciunt in annum civilem septingentos viginti, quam summam triginta denariis excedat mille nummorum quadrimestre stipendium. Ex iisdem legatis Augusti & Tiberii efficimus urbanas cohortes sesquplex paulo plus stipendium, dimidium, quod prætoriæ cohortes habuisse.

## C A P U T IV.

D E S T I P E N D I O  
E Q U E S T R I.

**D**E stipendio equestri in censu Servii, Titus Livius: *Ad equos emendos dena millia æris è publico data & quibus equos alerent viduae attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent.* Hæc prima ærum equestrium mentio in scriptoribus rerum Romanarum: prima æra an fuerint dubito. Cum enim Romulus jam ante instituerit trecentos equites, qui Celeres appellabantur, eosque tam in pace ad custodiam corporis, quam in bello præsidii loco secum habuerit, haud quaquam probabile est nullum his stipendium fuisse. Nam quis credit in illo conveparum & pastorum populo fuisse, qui suis sumtibus ades-

adessent perpetuò regi, neque à latere ejus abscederent, cum postea  
 onus semestrium bellorum (qualia tunc gerebantur) non nisi dato de  
 publico ære impositum sit? Invidiosum profectò fuisse Servii institutum,  
 quo equitibus id est opulentissimis urbis Romanæ civibus non parva, ut  
 illa ætate, summa: peditibus nihil æris constitutum, si antea tam equi-  
 tes quam pedites suo ære militavissent? Sed nemo hoc, opinor, statuet, in-  
 indulgentiam regum in custodes corporis & perpetuæ militiæ equestris  
 sumptus secum reputans: idem hoc cum Serviano an aliud stipendium  
 fuerit non dixerim. Servium ad emendum equum dena millia de publico  
 adsignasse dicit Livius. Pugnare videtur Varro Libro VII. de Lingua  
 Latinâ. *Debet igitur dici, ut Vatiniorum, Manliorum sic denariorum, & non*  
*equum publicum mille assarium esse, sed mille assariorum.* Unde duo viri do-  
 cissimi alter Varronis, alter Livii locum censem emendandum. Lipsius  
 immisſā notâ numerali legendum putat: *Equum publicum decem mille, &c.*  
 Salmasius negat mendi suspicionem in locum Varronis cadere, in Livio  
 corrigendum, *una millia æris*, pro singulis millibus, qui locutionem eam  
 non ceperint connexisse dena millia, &c. Sed nec ita locutum fuisse Li-  
 vium verisimile est, nec hoc voluisse. Cui enim non absurdum videatur  
 pretium equi, non dicam ætate Varronis, sed Servii mille æris fuisse,  
 cum ad alendum equum duo millia annua adsignarentur? generosum &  
 bellatorem equum semestri alimento venisse? Interiisset opinor apud  
 Romanos fortium equorum genus, si equus tam sumtuosum & pretio  
 vile animal: unde vir undequaque doctissimus probabiliter conjicit,  
 non loqui Varronem de ære ad emendum equum dato, sed de ære annuo  
 ad alendum, cum non absurdum sit alterum mille pro servo, alterum  
 pro equo tantum adsignatum fuisse. Possit & suspicari de quadrimestri sti-  
 pendio equitum Varronem loqui, si jam illa ætate pensiones stipendii  
 fuerunt quadrimestres; Sed nobis alia hic nascitur conjectura, decem mil-  
 lia Serviana, quæ olim equiti ad emendum equum data, in decem pen-  
 siones annuas (tot enim annos merebat eques) deinde conversa fuisse; ac  
 ita mille asses factos pretium annum equi publici. Causam hujus suspi-  
 cionis habeo non solum Varronis locum, qui ista ratione cum Livio  
 non pugnat, sed & alia non pauca. Nam cum non diu post constituta  
 militibus æra triplex stipendium equiti datum legas, autore nî fallor Cn.  
 Cornelio tribuno militum. Livius Lib. V. *Alii Cn. Cornelii fratris, qui*  
*tribunus militum priori anno fuerat triplexque stipendium equitibus dederat,*  
*gratia extraictum ad tantum honorem credunt.* Nec tamen duobus millibus  
 Servianis tertium adjectum usquam invenias, probabile videtur id tum

cœpisse in equitibus , qui suis equis merebant post cladem Vejentem. Livius. Cum repente quibus census equeſter , equi publici nondum erant adſignati , ſenatum adēunt , faciaque dicendi potestate equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt . Deinde pedeſtris ordinis militibus etiam voluntariam extra ordinem profeffis militiam Senatus consultum , inquit , factum : placere iis ſtipendia procedere & equiti certus numerus æris adſignatus . Tum primum equis merere equites cœperunt . Mirum quomodo in hoc loco aliud egerint homines erudit i . Puteanus quaſi abſque controverſiā eſſet , ſtatuit hoc demum tempore rempublicam in equitem liberalem eſſe cœpiffe : Lipsius inſtitutum tunc primum , ut etiam alii quibus census equeſtris eſſet , etiamsi equos publicos non haberent , tamen militarent & æra mererent , ſed æra non ut illi equo publico , ſed ad exemplum peditum annua ſtipendia , nec niſi cum militarent , & conditionem priorum illorum meliorem aut certè digniorem : nam accepiffe è publico pecuniam & ad emendum equum & ad alendum . Salmasius quaſi ſui oblitus , Livius ſecum hic pugnet , falſum hoc eſſe ait , ſi vera ſint , quæ de Servio ſcripferit , cuius inſtituto bina millia æris equiti data ad alendos equos , dena millia ad emendos : merere enim eſſe pecuniam quaſi mercedem operæ in militia navanda accipere , tum ergo meruisse equis equites , cum pecuniam è publico ad equos emendos acceperint , immò hanc ſumma maniſſe uſque ad Catonem Cenſorium poſt bellum Punicum ſecundum , niſi quis dicat nom æra ex ærario tunc eos accepiffe quod poſtea factum , ſed viduas iis attributas , quæ hanc ſumma iis penderent . Non curæ pretium hiſ diu inhærere : plana eſt ſententia : Tunc primum ſuis equis merere equites cœpiffe . Id videas ex Epitoma ubi clarè eſt . Equites tum primum equis ſuis merere cœperunt . Et niſi fallor , ita reliquerat Livius . De re certè dubitari non potheſt : ante eam diem non niſi publico equo meruerant : tum primum ſuis equis militaverunt : antea dena millia ad emendum equum publicum acceperant : tunc ipſi equum emere cœperunt , pro quo certus numerus æris adſignatus : hunc autem numerum fuiffe mille vel mille centum æris anni , id eſt ſtipendium pedeſtre conjicimus , quia haec ſumma decem annis , quos merebat eques , efficit dena millia , ſumma priorem & quia ex eo tempore triplex æs annum equiti cœpit dari , cum antea tantum duplex datur . Ac nulla deinceps in historia Romana denum millium mentio eſt . Polybius equiti drachmam in diem , id eſt triplex ſtipendium adſignat , nec quicquam præterea , qui ſi dena præterea millia , non triplex , ſed quadruplex accepiffent . Adſtrui & eo potheſt , nihil amplius publice impensum in equites , quod cum Senatus Romanus duodecim Coloniis Latinis quæ Q. Fabio & Q. Fulvio Coſſ. abnuerant milites dare ; circa finem belli

Punici

Punici M. Cornelio & P. Sempronio Coss. imperaret, ut quantum quæque earum coloniarum militum plurimum dedisset P. Romano ex quo hostes in Italia essent, duplicatum ejus summæ numerum peditum darent & equites centenos vicenos, qui omnes ex formulâ Romanâ legerentur his tamen coloniis quibus hoc justissime infensus imperarat, permitteret, ut si qua eum numerum equitum explere non posset, tribus peditibus unum equitem redimeret, quod nunquam profecto concessisset, si plus quam triplex stipendium in equites singulos erogandum fuisset. Dena autem millia quæ à Servio ad emendum equum una summa dabantur, quemadmodum diversa ab duobus millibus annuis, quæ ad alendum, sic etiam deinde cum in mille æris anni conversa & decem pensionibus soluta fuerunt, non raro distincta videntur & à stipendio secreta fuisse. Hinc in historiâ Romanâ modo duplex, modo triplex stipendium equestre, etiam eadem ætate occurrit: qui triplex fecerunt, sub vocabulo æris equestris complexi sunt & æs quod pro emendo equo acceperunt annum: qui duplex, solum hoc intellexerunt quod ad alendum equum ex prisco instituto dabatur. Hinc & in Coloniis deducendis (qua in re modum stipendi solebant respicere) rarò admodum triplum, (semel tantum memini legere apud Livium in colonia Aquileja ubi pedes quinquagena, Centurio centena, eques centena quadragena jugera accepit, Libro X L) plerumque autem duplum agri adsignatum, Libro XXXIV. *Dari potuere tricena jugera in pedites, sexagena in equites* (vides velut justum hunc modum censeri Livio) *vicena pedites, quadragena equites accepere.* Hinc lux fragmento apud Priscianum Libro VII. ex oratione Catonis qua in senatu suasit, ut plura æra equestria fierent. *Nunc ergo arbitror opere restitui, quo minus duobus millibus ducentis sit ærum equestrium.* In eodem: *de æribus equestribus, de duobus millibus actum.* Ubi Lipsius immissa negatione credit scribendum, *Oportere institui ne quo minus.* Assentitur ei Salmasius. Ego uti facile probaverim adjici vocem negativam, ita non intelligere me fateor hanc locutionem, *ne quo minus sit duobus millibus ducentis,* fecissent saltem, *ne qui minus:* legendum censeo, *quo ne minus:* quod cum imperiti non intelligerent, sustulere nō ne. Livius XXXIV. in oratione L. Valerii contra hunc ipsum Catonem. *Cautum erat quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris domi haberemus.* Idem. *Captivi ne minus decem pondo compedibus vincili.* Et libro X L IV. *Ita ut in singulas legiones Romanas ne plus sena millia peditum, trecenti equites essent.* Equidem verba hujus fragmenti sola attendenti verisimile videatur, Catonem non de stipendio, sed de numero equitum agentem, suassisse tot æra institui

institui totidemque capita quæ haberent, sed tempora quibus Cato vixit  
 consideranti, ea sententia haud quamquam arrideat. Circa finem belli Pu-  
 nici cum Scipio in Africam transjecit, ( sed nec tum quidem opinor sena-  
 tor Cato fuit: quo tempore maximâ equitum penuriâ possit videri fuisse,  
 viginti legionibus respublica gerebatur sequenti anno quatuordecim &  
 sic ad finem usque belli: itaque non plus ærum equestrium fuisse, id est  
 non plures quibus æra de publico aut deberentur aut solverentur non est  
 verisimile. Adde quod numerus equitum pro numero legionum necessa-  
 riò variarit, singulis enim trecenti equites dabantur. Catonis autem ista:  
*De duobus millibus actum est. Nunc ergo arbitror restitui oportere, quo ne minus*  
*duobus millibus ducentis sit ærum equestrium: Omnia antiquam aliquam*  
 legem vel senatusconsultum spectant, quo numerus duorum millium  
 ducentorum definitus, & videtur de certa æris summa loqui, ut apud  
 Ciceronem in epistola quadam. Itaque nec de sefertio vicies, nec de sefertio.  
*septingenties quicquam agi nunc per senatum potest.* Duplex autem stipen-  
 dium ante bellum Punicum secundum duo millia ducentos vel utique  
 ducentos quinquaginta æris fuisse, ex illis quæ supra diximus liquet. De  
 stipendio igitur quod ex lege debebatur vel de vero stipendiis pretio cum  
 jam asses unciales essent equitibus dando in Senatu egit Cato. Bello Puni-  
 co secundo illis angustiis ærarii equites Romanos, minus justo accepisse,  
 tum magnitudo animi eorum qui stipendum aliquamdiu tanquam mer-  
 cenariorum notam repudiaverunt, tum etiam dona & liberalitates & pre-  
 tia ejus ætatis, in qua non ea est proportio persuadent: nam post cladem  
 Cannensem Verusni cum pediti denos quadrigatos nummos darent, in  
 equitem quinos vicenos dedere: Hannibal captivis pretium in capita  
 statuit, servos centum nummos quadrigatos, trecentos pediti, quingenos  
 equiti. Cum itaque bello Punico jam finito maneret equiti is modus æris,  
 quem jam aliquot annos acceperant, Cato reque pro cætera Romanorum  
 justitia & malo exemplo equestri ordinis suam illam animi magnitudinem  
 & pietatem in patriam, damno esse videns, suadet Senatui; ut tandem  
 integrum stipendium & verum pretium duorum millium ducentorum  
 ( erant tria millia sexcenti ) solvatur: de tertio stipendio mentionem  
 non habet, sive quia in eo vitium non fuit, sive quod semper mansit mille  
 assariorum, ut videtur Varro velle. Quanquam Varro cum equum pu-  
 blicum milie assariorum esse scribit, potest intelligi de assariis militaribus,  
 quorum deni explet denarium, de quibus & Cato loquitur & quibus  
 constitutum erat militibus stipendium. Neque enim abhorret à more  
 Romanorum, servata fuisse legis vocabula etiam cum jam usus communis

alia

alia recepisset. Credebat addere majestatem legibus antiqua illa & quasi legitima verba : minimam quidem mutationem carere periculo : deberet etiam voces religionem suam habere , quo res essent sanctiores : Atque hac ratione eorum, quæ de dupli triplicique stipendio, deque denis milibus & millibus æris equestris attulimus , repugnantiam tollere , quam hodie aliud , aliud cras stipendum fingendo Romanos gravissimam gentem desultoriæ levitatis incusare , satius videtur. Nam jam olim ante ævum Catonis triplicia æra equitem meruisse manifestum est ex loco quem adduximus : id quoque deinde mansisse apparet. Livius libro VII. *Æque impudens postulatum fuit, ut de stipendio equitum ( merebant autem triplex ea tempestate ) æra demerentur.* Ex quo loco colligitur non semper triplices æs equiti fuisse, quamvis Catonis tamen ætate tale fuisse vel unus Polybius evicerit : Bellum itaque Punicum secundum fortassis respexit, vel quod potius reor, suam ætatem : nam cum mutata militia primo rarus, postremo nullus equitatus Romanus & equites jam magnam partem provinciales aut ex sociis & exteris nationibus & quo minor dignitas eo major esset multitudo , hos tanto stipendio donatos fuisse, quanto olim equites Romani , non crediderim : præsertim sub Cæsaribus cum jam duplicatis legionum æribus sextuplicia equites eadem ratione accipere debuissent. In donis militaribus tam frequentibus & immoderatis per bella civilia plerumque notari video quantum centurio , quantum tribunus acceperit: vix usquam quantum equites: Semel apud Appianum lego Cæsarem tribunis & præfectis alarum idem dedisse , quadruplum videlicet: ita enim sonant Appiani verba ; non quadruplex equestre, quomodo intellegit Lipsius ; nulla enim ibi equitum mentio & locus Suetonii de triumpho & hoc donativo Cæsaris vitiatus est , & abest membranis antiquis τὸ equites. Nam si equites triplices, decuriones sextuples, eadem ratione præfectus qui tribuni inter equites locum tenebat duodecuplum debuit accepisse , tanto plus æris præfectis fuisse quam tribunis utique sub Cæsaribus quis credat , cum Claudius Cæsar post præfecturā alæ tribunatum dederit legionis tanquam majorem honorem ? Quod si his idem atque tribunis æris, ut scribit Appianus , equiti etiam & pediti legionario illâ ætate idem stipendium, id est duplex dixeris fuisse : adde his tertium , quod à reliquo solet distingui , nihilo plus quam olim meruerint equites. Quod uti nolim adfirmare , ita ex genere equitatus, locis Varronis de mille affariis & Livii de triplicibus quæ olim meruerunt, æribus, omnino statuendum videtur sub Cæsaribus non triplices, id est triginta in diem asses equites alarios habuisse : equites singulares & prætorianos lautiora operæ pretia

pretia meruisse & duplex ad minimum stipendium quam ejusdem generis pedites verisimile est. Certè jam ab antiquo duplicariis equitibus pararium (ita scribit Festus dictum) quadruplicia fuisse æra ex præmio Campanorum equitum, de quo antea locuti sumus, affirmari videtur posse. Sed hæ conjecturæ sunt. Illud hic non omiserim vetus stipendium annum, mille centum æris, quemadmodum tenue & vile hac ætate sit, quippe non excedens tres & triginta florenos vel libras Belgicas, ita veteri republica pro rerum in Italia copia & annonæ vilitate satis amplum fuisse. Quæ si etiam Romæ fuit tanta, quantam notat Plinius Libro XVIII, majorem in Italia fuisse probabile, et si ea etiam post bellum Punicum secundum in Galliâ Cisalpinâ rerum ad vietum pertinentium abundantia, ut modius tritici quatuor obolis venierit, ut testatur Polybius: et si in cauponis iter facientibus semiisse, id est decuma stipendi diurni parte omnia necessaria sunt præbita, vix est ut quisquam hac ætate tam cautum stipendium militi equitique largiatur.

## CAPUT V.

DE STIPENDIO  
DUCTORUM.

**M**Unifica igitur & liberalis in milites etiam vetus Respublica fuit: quid in ductores ordinum? quid in tribunos, legatos, Imperatores? ingentem hic pecuniam & magna, opinor, talenta jam expectas: noli veteres nostro modulo metiri: commodis indulgent, non luxuriæ; haec tenus pecuniae liberales, dum vita subsidii eget: ubi necessariis prospectum jam laudem, gloriā & ista divitias jubent putare, non insana stipendia, quæ corrumpendis magis quam augendis animis sunt. Ductoribus igitur ordinum duplex, tribunis quadruplex dederunt: eamque in omni genere militum proportionem observasse videntur: inter equites decuriones centurionum locum præfecti,

præfecti, quos Mariana agnoscit militia, tribunorum tenuerunt. In militia  
 quoque naval i eandem custoditam rationem suspicamur, cum C. Octa-  
 vium in triumpho dedisse gubernatoribus duplex, magistris navium qua-  
 druplex legam apud Livium Libro XLV. Qui sociis navalibus dedit in sin-  
 gulos denarios septuagenos quinque, gubernatoribus duplex, magistris navium  
 quadruplex. Hyginus tamen de decurionibus dubios nos facit, cum dupli-  
 cariis, à duplice stipendio ita dictis, binos attribuit equos, decurionibus  
 autem ternos: an quod duplicarii duplex equestre stipendum, decurio-  
 nes triplex duplicatum acceperit? nihil hic definio: quando modus sti-  
 pendii equestris sub Imperatoribus nondum satis certus mihi est. Equi-  
 dem nullus dubito quin quicquid est hodie Ducum, tribunorum, centurio-  
 num, vel hoc uno nomine omnem Romanam militiam condemnnet & nul-  
 lius usus futilemque pronuntiet, quando non aliter sua imperio majestas  
 salva esse queat, quam per hæc insignia splendidioris virtutæ & magnificen-  
 tiæ caussam scilicet ignaviæ agunt luxuriæque suæ, qui veræ virtutis ex-  
 pertes & primos ordines sola stipendiorum magnitudine metientes, meri-  
 to contemtui sint, nisi inanibus istis à vulgo secernantur: melior mens  
 Romanis olim fuit: sanctitate & inexorabili rigore, non superbiâ; virtute,  
 non vitorum apparatu disciplinam tuebantur. Et mansit tamen hæc  
 parsimonia perditissimis etiam temporibus & per bella civilia, quanquam  
 non ita, ut non aliqua ex parte accideretur: in donis certè militaribus tum  
 video veterem modum non raro transgressos Imperatores. Apud Appia-  
 num lego Brutum & Cassium cum darent militi mille quingentos num-  
 mos, centurioni quincuplum & tribunis pro ratâ dedisse. Item Antonium  
 militi quinque millia nummûm largitum, quincuplum centurioni, decu-  
 plum tribuno: Ac jam ante hos bello Mithridatico Triganes quum  
 Pompejo dono daret sex millia talentorum, militi quinquaginta drachmas  
 in singulos, mille centurioni, decies mille tribuno: Jam centuriones &  
 tribuni variis artibus & meditamentis militem depeculari munera va-  
 cationem. Sævitiam imperiorum, commeatum venalia habere, quæque  
 alia nec hodie immania illa stipendia è castris removent nec olim minus  
 quam hodie commune militum odium meruerunt: invaluit tamen adeo  
 res pessima, ut Otho Imperator, quum aliud remedium non inveniret va-  
 cationes munera de fisco redimere & centurionibus quamvis alio nomi-  
 ne æra augere sit coactus, resque ea postea perpetuate disciplinæ fuerit  
 firmata. Similia quoque & majora commoda tribunis illa ætate fuisse du-  
 biū non est: nam Plinius & Juvenalis salarium eorum pro magna pecu-  
 nia accipiunt. Alio tamen nomine quam stipendii hæc propriè data. Nec

facilè constituerim æris modum universi ex iis quæ in hanc rem advocantur locis. Nam *Aurei Antoniani centum*, *argenti Aurelianii mille*, *ærei Philippei decem millia*, ~~æqui~~ Valerianus Probo tribuno facto jubet dari, nihil reddunt certiores, cum ex epistola ad Præfectum Prætorio Milvium Gallicanum appareat extra ordinem plus justo adsignatum: *Hæc igitur, inquit, dari jubebis (quoniam mediocris fortunæ est) ut dignitas ejus incrementis juvetur*: Similiter cum Valerianus ad Zosimionem eidem dari jubet *Philippeos sui vultus annuos centum quinquaginta*, & in strenis quadraginta septem & trientes centum sexaginta; addit in fine epistolæ: *Hæc autem omnia idcirco specialiter non quasi tribuno, sed quasi duci dedi.* Ex quo loco de Dūcum ejus ævi stipendiis aliquid opinari posse videmur. Sic quoque cum Valerianus epistola ad Cejonium Albinum urbi præfectum Aureliano decernit ad sumtus aureos Antonianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum, &c. Satis liquet ei præcipui aliquid dari, quamdiu Romæ ageret. Hoc tamen notandum in his stipendiis, salariis & donativis, quod diversæ summæ nec eodem in ære attribuuntur sive quia alia nomine alia dabantur eaque ab principibus prioribus alio genere nummorum decreta erant, sive quod has pecuniae species, & quædam in auro, quædam in argento, alia in ære dari voluerunt, quo cum alii, ut fit, nummi, aliis effent probatiores & acceptiores; ex omnibus speciebus simul aliquid erogaretur. Nam antiquitus etiam apud Romanos per singulas species inferebatur in ærarium pecunia & genera discerebantur, ut ex Livio appareat. Sic in triumpho Quinctii Libro XXXIV. Atticorum sive Tetrachmorum & Philippeorum numerum seorsim recenset libro XL I. *Tulit in eo triumpho denarium trecenta septem millia & victoriatum octoginta quinque millia septingenta duo.* & alibi. Sic igitur ne efferretur quicquid esset auri argenteique de meliori nota: viliora autem in ærario manerent, aut hic quoque stipendia numerantes prædandi materiam haberent; quantum ex quoquo genere ex ærario efferri deberet, constituere videntur voluisse. At Imperatoribus, Dictatoribus, Consulibus, Proconsulibus, Prætoribus, Legatis, Quæstoribus, libera republica præbebantur publicè necessaria, paludamenta, vestes, tabernacula equi, muli, & omnis militaris suppellex: Solebant, inquam, ea publicè locari & à mancipe præberi: mancipiorum quoque certus numerus erat constitutus: quem excedere non licebat, ne numerus familiæ sumtum reipublicæ augeret: Ideoque sancitum erat, ut testatur Cicero in Verrinâ quarta, *ne quis emeret mancipientium, nisi in demortui locum: foenum tantum & ligna à provincialibus desumpta*

sumta ostendit epistol. 6. libri quinti ad Atticum: Nullus fit sumptus in nos neque in legatos neque in quæstorem neque in quenquam: Scito non nos fænum aut quod lege *Iulid* dari solet non accipere, sed ne ligna quidem nec præter quatuor lectos & tectum quenquam accipere quicquam multis locis ne tectum quidem & in tabernaculo manere plerumque. Et sequenti epistolâ: Nullum teruntium insumi in quenquam: quamvis enim ista licita videntur fuisse, more tamen potius quam lege, quia ab antiquo ita fuit ut nemo ulla in re sociis oneri aut sumtui esset. Luculentus est apud Livium locus de Posthumio consule quo primo auctore hæc lex fuit violata, in libro X LII. *Hic*, inquit, iratus Prænestinis, quod cum eo privatus sacrificii faciendi causa profectus esset, nihil in se honorifice, neque publicè, neque privatim factum esset, literas Prænesti misit ut sibi magistratus ob viam exiret, locum publicè pararet, ubi divisoriteretur jumentaque quam exiret inde præsto essent. Ante hunc Consulem nemo unquam sociis in ullâ re oneri aut sumtui fuit. Ideo Magistratus mulis tabernaculisque & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperaret sociis, privata hospitia habebant, ea benignè comiterque colebant, domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diverti mos esset: Legati qui repente aliquò mitterentur singula jumenta per oppida iter qua faciendum esset imperabant, aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. *Inuria Consulis etiamsi justa* non tamen in magistratu exercenda & silentium nimis aut modestum aut timidum Prænestinorum jus velut probato exemplo magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum. Ubi obiter monuerim vitiata esse hæc postrema, quid enim hoc est, *inuria etiamsi justa*? an quædam *inuria justa*? non Liviani ingenii est hæc argutia: deinde an quandam privato & magistratum non gerenti *injuriam* licet exercere? nugæ. Scribe, *ira consulis*, vel *in ira*, deleta conjunctivâ &, *consulis etiamsi justa* non tamen in magistratu exercenda & silentium, &c. Ita alibi: *Ne suas quidem simultates pro magistratu exercere boni exempli esse.* Sed ut ad rem redeam. Causam quare publicè hæc præberentur, hic notat Livius, ne quid tale imperarent sociis. Non enim volebant imperia sua sociis suis oneri esse, neque ignorabant ista ratione patefieri portam variis exactiōibus & omni prædandi ingenio, quando in isto genere nullus plerumque modus, nisi quem sua cuique cupiditas statuit, id est apud malos omnino nullus est. Arctioribus vinculis constringi arbitrabantur avaritiam, præbitis publicè necessariis, ea lege, ut omnia quæ de frumento aut pecunia publica sumerent in rationes à quæstoribus referrentur: Nam Imperatores accepisse de publico frumentum & pecuniam, quibus seque & familiam sustentarent, tum ex Ciceronis Varrina quarta, tum ex.

Plutarchi Catone satis constat : solebant & filios habere contubernales, quamvis severi quidam & antiquæ disciplinæ pertinaces iuberent eos potius in ordine merere, ut scribit Frontinus de Q. Metello & P. Rutilio. Quintus Metellus Consul quamvis nullâ lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere. P. Rutilius Consul cum secundum leges in contubernio filium suum habere posset in legione militem fecit. Adgnatos præterea & alios amicitia causa se ex urbe prosequentes in contubernium recepisse eosque nave, equo, tabernaculo, viatico etiam juuisse, ex Pauli Æmilii sanctissimi continentissimique ducis iter in Macedoniam parantis apud Livium invitatione liquet. Sed hæc omnia à quæstoribus in rationes referebantur, nec erat hic quicquam unde caput unctius referrent. In hostico quidem non raro bellum se ipsum aluit, & ab hoste petitum fuit, quod debuit respublika : sed ne sic quidem sine lege grassabantur : pecunia, frumentum & quidquid erat prædæ ad quæstores redigebantur, qui omnibus inde necessaria subministrabant, ubi domum rediūscent prædæ non minus hostilis, quam pecuniæ publicè datæ reipublicæ rationem reddituri. Nullum, inquis, falarium vel stipendium præter hæc? nullum. Hinc est quod Q. Cincinnatus Regulus Cn. Scipio. L. Æmilius Paulus, Mummius, alii Romani Principes, quamvis toties Imperatores & opulentissimorum hostium victores, quamvis rei suæ nequaquam neglegentes, multo minus prodigi essent: tamen in tanta vixerint rei familiaris tenuitate (neque enim paupertatem vocare fas est statum hominum contentorum & parvo potentium, veræ autem laudis ditissimorum) ut post obitum ne dotem quidem filiabus, partim nec pecuniam in sumtus funeris reliquerint : Inde Q. Cincinnatus cum aranti agrum suum afferretur dictatura, dixisse traditur : Ergo iterum esuriemus, nec licebit nobis per occupationes publicas agrum colere. Fabricius cum Pyrrho Epirota apud Dionysium sermonem habens negat sibi impedimento ad res gerendas esse paupertatē, quando nihilo minus magna sibi imperia decernantur & ubi mandata sint necessaria publicè præbeantur. Hinc Regulus audita morte Villici successorem à Senatu petiit quando destitutus rebus obitu servi necessaria esset præsentia sua, quod non tantum non laudabile, sed avaritiæ proximum sordidumque, si publicè commoda & stipendia data fuissent. Imperia itaque honori, non lucro administrantibus esse voluerunt, rati amplum pretium & ingentem quæstum, virtutem, laudem, gloriam, triumphos: plebi castrorum in habendi studio tantulum indulserunt: à principum animis omnem avaritiam longè submoverunt. Ac mihi multa & laudabilia veterum instituta causasque præcipias cum animo

mo reputanti meo , quare Roma jam multis triumphis aucta victrix & felix , diu tamen intacta manserit ab illis malis , quibus pereunt pleraque civitates , simul beatæ esse ceperunt , non postrema hæc fuisse videtur , quod summis imperiis nihil adjecerunt lucri , summæque continentiam habuerunt gloriæ . Nam sicuti in corpore humano graviores non raro & fontici morbi à capite defluunt ad inferiora ; ita in civitatum corpore illa plerumque in vulgus manant vitia , quæ principibus se approbaverunt : peccat ut plurimum plebes magnis auctoribus & in nulla magis flagitia se projicit , quam quæ pro magistratu exercentur . Ubi imperia nihil habent quod avaritiam , nihil quod luxuriam irritet malis artibus non ambitiuntur , quæ non nisi bonis possint geri & inter tot mala solum manet laudis studium propius virtuti & ideo saltem laudabile , quod cæteras humanæ nentis fordes expellit , nec est patiens sociorum vitiorum : Tum si quæ alia fortè irrepserint neque inficere solent totam civitatem & facilius coercentur capitibus salvis & intactis . Invasit tamen tandem etiam urbem fatalis rabies eo potentius , quod in summa fortuna : & quamvis nihil etiam tunc esset stipendii & optimi quique ad priscam legem se componerent , prævalente tamen turba pejorum per tot exactiones , tot sinus & nova prædandi vocabula socios civesque depilarunt , ut ex brevi magistratu immanes sæpe divitias & multis stipendiis majorem prædam corrogaverint & in suum converterint . At Augustus Cæsar Proconsulibus , præsidibus , procuratoribus , quique alii cum imperio essent aut publico munere fungerentur , salaryum certum constituit , ut testantur Suetonius & Dio , qui modum quidem ejus ibi neglexerunt ; sed in fragmento de rebus Macrini Dio notat , eum Anfidio Frontoni cum ei Africæ Proconsulatum , quæ sorte obvenerat non daret , obtulisse tamen salaryum quinque & viginti myriadas drachmarum , sive decies festertium . Et solitos etiam dare excusantibus aut quos ire in provincias non paterentur , Tacitus in vita Agricolæ nos docet . Alexander postea Severus traditur iterum restrinxisse hæc salarya & argento & necessariis priscum ad modum præfides provincialium instruxisse : Indices , inquit Lampridius , quum promoveret exemplo veterum , ut & Cicero docet & argento & necessariis instruebat , ita ut Præfides provincialium acciperent argenti pondo vicena , p[ro]bias senas , mulos binos , equos binos , vestes forenses binas , domesticas singulas , balneares singulas , aureos centenos cocos singulos & si uxores non haberent singulas concubinas ( quod sine his esse non possent ) reddituri deposita administratione mulas , mulos , equos , muliones & cocos , cætera sibi habituri si bene egissent , in quadruplum reddituri si male .

## C A P U T V I.

www.libtool.com.cn

D E

## D I E S T I P E N D I I.

**C**ertum stipendio apud Romanos diem fuisse, ex multis veterum constat testimonii. Livius XXII. *Militi & navalibus sociis neque stipendum, neque frumentum ad diem dari: Et libro XXVIII. De seditione ad Sucronem: vulgo stipendium non datum ad diem jaclabatur.* Ibidem Scipio seditiosis militibus cum indignatione objicit, quod hac præscriptione desciverint, quasi satis justa causa patriæ bellum indicendi, quod stipendium paucis diebus serius numeratum. Idem apud Polybium fatetur jam dudum non exsolutum stipendium (in eo discrepat à Livio) quid tamen, inquit, *satisne hæc justa causa fuit, cur ita mibi irasceremini, ut simul à patria descisceretis?* quin potius ea de re mecum agebatis amicosque ut vobis adessent rogabatis? mercenariis fortasse ignoscas si deserant eos qui mercede conduxerunt, at non hæc danda est venia pro se ipsis, pro conjugibus, pro liberis bellum gerentibus; id enim foret ac si quis parentem occidere fas putaret, si forte ad diem pecuniam non dedisset, &c. Livius ibidem, *Stipendium quoque procacius, quam ex modestia disciplinæ militaris flagitatum.* Ex quo efficias modestè flagitare & desideria sua ad Imperatorem ferre non omnino fuisse vetitum. Res tamen mota plerumque modum nescivit, & (ut sunt vehementia armatorum ingenia) cùm saepè alias apud Romanos dedit turbas, tum jam statim post constituta æra militaria obsidione Vejorum, prolato dìe parum abfuisse legimus, quin ad seditionem veniretur. Livius: *Quam tributum conferri per tribunos non posset, nec stipendium Imperatoribus mitteretur æraque militaria flagitaret miles haud procul erat, quin castra quoque urbanæ seditionis contagione turbarentur.* Cæsar Bello Civili. I. Petrejus atque Afranius cum stipendium ab legionibus pene seditione facta flagitaretur cuius illi diem nondum venisse dicerent: Cæsar ut cognosceret postulatum est. Qui locus innuere videtur, non fuisse ea tempestate certum mensem aut mensis diem quo omnibus legionibus stipendium solveretur, sed aliis alium, fortassis quod alio

alio anni tempore aliæ legiones civili bello conscriptæ : neque enim de die stipendii certo controversia moveri potuisset : nisi fortè partem stipendii , cuius integri dies nondum venerat , solvi voluerunt , jam jam di-  
missionem consecuturi . Ac olim quidem semel in anno tantum exsolū-  
tum in semestribus bellis ex eo liquet , quod tributum interdum in stipendium militum expeditione jam finita demum imperatum . Idem  
Varro fortassis vult , quum ait , *Stipendium , æs quod militi annuum aut*  
*semestre dabatur* , quasi olim illud non eo tempore usitatum , nisi iste lo-  
cus potius accipiendus de annua aut semestri opera , ut supra diximus .  
In bello Carthaginensi secundo Livius : *Senatus quo die primum est , in*  
*Capitolio consultus decrevit , ut eo anno duplex tributum imperaretur , simplex*  
*confestim exigere*etur , ex quo stipendium præsens omnibus militibus daretur ,  
*præterquam qui milites ad Cannas fuissent* . Ubi annum stipendium solidum  
numeratum . Sed præter illam ultimam antiquitatem ac hanc necessita-  
tem Reip. pluribus pensionibus datum . Neque verò sine incommodo tam  
longum diem expectare potuissent sumptum de suo facientes secundæ  
tertiæque classis homines , nedum qui duodecim millibus æris censi , qui  
& juxta Polybium in legiones scripti : At qui potuissent proletarii & ca-  
pite censi , qui antiquitus quidem in socios navales à Mario , deinde etiam  
in gravem armaturam adlecti ? Data equidem publicè frumenta & vestes  
fecerint , ut pecuniam non semper repræsentare necesse fuerit . Sunt ta-  
men ad quæ vita castrensis quantumvis parca , sicca & sobria , argentum  
postulet . Præterea nonne omni ære simul & semel numerato , id fuisset  
periculum , ne miles per prodigiam effundendo , primum luxuria ,  
deinde indigentia le inutilem Reip. fecisset ? Itaque etiam si unum fere li-  
bera republica tributum annum esset , etiam si populi stipendiarii , suo  
quoque anno stipendium penderent ; etiam si imperatoribus ad bellum  
proficiscentibus sæpe respublica pecuniam in stipendium annum daret ,  
non tamen hæc continuo numerata , sed servata fuit à quæstoribus donec  
dies stipendii venisset . Scipio in Hispaniam profectus quadraginta ta-  
lenta Roma portaverat , sexcenta præterea captiva Carthagine nova ex-  
pugnata ad quæstores rededit . Ad Cannas etianam remissam pecuniam publi-  
cam in stipendium inter cætera memini legere . Cæsar Civili I. Cæsar seſte-  
ritum sexages , quod aurum adduxerat Domitius , atque in publicum deposuerat ,  
allatum ad se ab Duumviris Corfiniensibus , Domitio reddit , ne continentior in  
vita hominum , quam in pecunia , fuisse videatur : et si eam pecuniam publicam esse  
constatbat , datamque à Pompejo in stipendium . Ergo neque statim simul à  
Rep. accepissent , ut dixi , militi numeraverunt , neque tamen expeſta-

tione totius anni cruciaverunt: nam etiam in Italia bellantibus pecunia in stipendum data. Idem brevior dies probatur ex Livio , Lib. XXVII. ex literis Pro prætorum ex Sicilia Sardinique querentium militi & nava-  
 libus [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)  
 libus sicut neque stipendum, neque frumentum ad diem dari, neque unde detur  
 esse: magnopere suadere ut quam primum ea mittantur sibique si ita videatur  
 ex novis prætoribus successorem mittant. Dari, inquit, ad diem, non da-  
 tum esse, ut ostendat diem stipendiī jam sæpius præteriisse. Credibile au-  
 tem non est plures jam annos præterlapsos, priusquam quererentur de pe-  
 cuniæ inopia, qui non longius Româ abescent. Idem ex Cicerone liquet  
 ad Atticum Libro V. Epistola 14. *Seditio militum sedata ab Appio sti-*  
*pendumque iis usque ad Idus Quintilis persolutum.* Unde tamen nihil præ-  
 terea elicio certi, cum neque satis constet, an justus hic fuerit dies stipen-  
 dii, neque si fuerit, unde computatio hæc deducenda sit. Nam si ab Idi-  
 bus Januariis, ita ut Februariis Idibus primus mensis compleatur, ea ra-  
 tione qua sub Imperatoribus, ætate certè Justiniani primus dies quadri-  
 mestris tributi Kalendæ Majæ, postremus Kalendæ Januariæ fuerunt,  
 sequitur ætate Ciceronis stipendum neque bimestre, neque trimestre, ne-  
 que quadrimestre, neque semestre ( quoniam nullum horum in Idus  
 Quintilis exit ) sed menstruum fuisse. At si primi mensis diem jam veli-  
 mus venisse Idibus Januarii non tantum menstrui sed etiam bimestris vel  
 quadrimestris diei tempus legitimum hoc fuerit. In menses quidem sin-  
 gulos apud Græcos aliasque nationes attributa æra, & apud Romanos sui  
 cuiusque mensis frumentum pars & ipsum stipendii, & cum stipendio  
 etiam frumentum datum. Attamen cum etiam frumentum dimensum  
 interdum sine nummis nec ex eo quod aliquando cum his datum sequatur  
 eundem semper utriusque diem: cumque sub imperatoribus quadrimé-  
 stris, ut supra probavimus, non habeo unde pro certo affirmem antea  
 libera republica alium aut breviorem fuisse. Die stipendiī miles sub si-  
 gnis compositus omnibusque armis & ornamentiis militaribus instructus,  
 non aliter quam ad pugnam ad accipienda commoda sua ducebatur: Au-  
 tor Josephus Titum Vespasianum cum ad Hierosolymas persoluturus  
 esset, exercitui stipendum primum in conspectu urbis hostilis eum ordi-  
 nasse, eamque speciem justis armis aurò argentoque fulgentium tum visu  
 pulchram tum hosti maxime formidabilem fuisse. Inde argentum & fru-  
 mentum data: ea re quatriuum absumptum. Sedens autem pro tribunalii  
 præterat huic negotio ipse Imperator præsentia sua & majestate summi im-  
 perii fraudationem & omne avaritiæ ingenium coercens, quod nusquam  
 avidius solet graffari, quam in aurea hac messe, in qua præsenti præmio  
 pecca-

peccatur. Antiquus admodum hic mos & regibus etiam aliis Italiæ , si fides Livio , olim usurpatus. Nam in obsidione Romæ Q. Mucius Scævola castra Hetrus~~corum~~ libinglediens~~cum~~ Porsenam quem occidere parabat , hoc habitu in tribunal sedentem invenit : ubi , inquit , eo venit in confer- tissima turba prope regium tribunal consistit , ibi quum stipendum forte militi- bus daretur & scriba cum rege sedens pari ornatu multa ageret , eum milites vulgo adirent , &c. Præsidente itaque Imperatore & tribunis militari- bus citabantur singuli nominatim eisque ad nomen stipendum per- solvebatur à quæstoriis , quibus aderant in hoc munere ministri libri- pendes dicti , quod olim asses non numerabantur , sed pendebantur. Tribu- ni aliam hac in re partem fuisse quam inspectionem non observo ; apud eos enim ut & cætera quæ apud imperatorem hæc gerebantur. Per bella civilia & sub Cæsarum imperio stellionatus crimen , redemtiones mu- nerum aliaque prædandi vocabula , per quæ tribuni & centuriones mu- nere suo abusi sunt , grassari denum ceperunt licentia temporum & ni- mia imperatorum indulgentia. Sed obviam ierunt quantum licuit , opti- mi quique. Capitolinus de Alexandro Severo : *Severitatis autem tantæ fuit in milites , ut sepe legiones integras exauctoraverit , ex militibus Quintes appellans nec exercitum unquam timuerit idcirco quod in vitam suam dici nibil posset quod unquam tribuni vel duces de stipendiis militum quicquam accepissent.* Quæ tamen prædationes non inde fuerunt ortæ quod ipsi militibus solverent , sed quod milites data pecunia vacationes munerum , commea- tum & similia redimerent. Galli equites apud Cæsarem à præfectis suis no- stro more accepisse videntur , inde & fraudatio stipendiorum & delatio fal- si numeri equitum & hæc quoque ex nostra consuetudine , quibus rebus permoti equites Cæsarem adierunt & palam de istorum injuriis questi sunt , Libro de Bello Civili III. Nam quamvis perversæ artes tandem in stipendia Romana etiam irreperent , nunquam tamen tam licenter potue- runt exerceri , ubi neque pecunia ductoribus ordinum concredita & coram imperatore & primoribus castrorum , atque adeo palam in oculis omnium res fuit peracta. Non hic omiserim pulchrum institutum , quod ne tum qui- dem totum stipendum militibus daretur , sed pars dimidia apud signa se- questraretur , ut testatur Vegetius , & ibidem ipsis militibus servaretur , ne per luxum aut inaniuni rerum comparationem à contubernalibus pos- set absumi. Plerique enim homines & præcipue pauperes tantum erogant , quantum habere potuerint , sepositio autem ista pecuniæ primum ipsis contuber- nalibus docetur accommoda ( nam cum publica sustententur annona ex omnibus donatiis augetur eorum pro medietate castræ peculium ) miles deinde sum-

tus suos scit apud signa depositos, de deserendo nihil cogitat, magis diligit signa, pro illis in acie fortius dimicat more humani ingenii; ut pro illis habeat maximam curam in quibus suam videt positam esse substantiam. Denique decem folles hoc est sacci per cohortes singulas ponebantur in quibus haec ratio condebatur. Addebatur & saccus undecimus in quam tota legio particulam aliquam conferebat sepulturæ scilicet causa, ut si quis ex contubernalibus defecisset, de illo undecimo sacco ad sepulturam ipsius promiceretur expensa. Haec ratio apud signiferos ut (nunc dicunt) in cophino servabatur. Adscriptissimus totum locum; quia utile imprimis & salutare institutum est, cuius etiam apud Græcos autor fuit, is qui multarum bellicarum rerum Iphicrates, scribente Polyeno, nisi quod partem quartam stipendii tantum retinuit. Apud Spartanum Pecenninus eisdem de causis jussit, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publicè commendarent, recepturi post prælia quod dederant.

## CAPUT VII.

DE FRUMENTO  
ET VESTE.

**R**umentum Romani ab antiquo publicè militibus præbuerunt: nam in censu Servii ea ætate, quâ necdum æra dabantur, autor est Dionysius contributam à populo pecuniam, quanta opus esset. *Ἐις τὸ ἐπιστολὸν τῷ σπανεομένῳ καὶ τὰς αὐλαῖς χρηστίας τὰς πλευραῖς.* Livius etiam dupliciorum jam tum meminit; Hi erant, ut Varro interpretatur, qui duplicita cibaria accipiebant. Hac itaque cum exceptione intelligendum, nullum tum militantibus de publico datum stipendum, militemque suis sumptibus militiæ munere functum esse, nisi velimus etiam tunc frumentum à republica emisse, quemadmodum postea factum fuit. Illud certum frumentum semper publicè datum. Laudabile absque controversia institutum & omnino probandum omnibus.

bus, qui neque per causam armorum magna latrocinia exercere & castris rem bene gerere cupiunt. Nam rapto tantum & obvia præda bellum alere sine ulla publica cura, id verò est in diem vivere & omnibus casibus fortuitis exercitum exponere : Mercatores & lixæ non ex commodo ementium panem plerumque venalem proponunt & prout lucri suaserit cupiditas, militem prædæ habent : nec publicè quidem hæc vendi, quamvis clementi pretio, æquè probabile est. Miles enim non optimus pecuniæ suæ dispensator est. Erogat eam in usus non necessarios luxuque & inanum rerum emtione facit, ut mox etiam necessariis destituatur. Inde ubi egere cepit, incusant præsentia & quod per prodigalitatem effudit, per scelera reparare gestit. At cum publicè accuratur dividiturque frumentum, publico consilio & cura, non temerè & fortuito continetur exercitus, & sive supersit sive desit pecunia, miles tamen à fame tutus est, & quod non parum facit, ad conservandam valetudinem æquali semper & bono alimento sustentatur. Quare etiam in hostico cum omnia abundè bellum suppeditaret, ab hac ratione discedere non placuit; populabantur & prædas agebant, sed convectatas eas ad quæstores redigebant: hi ordine militibus distribuebant. Ac præter frumentum alia quoque de publico legimus præbita, ut *lari*<sup>dum</sup>, *porcinam*, *salem*, *lentem* &c. Quæ ea de causa in conditis militaribus reponebantur. Divisa interdum & caro & si qua alia præda in locis quibus aut commercium nullum aut prædæ multum frumenti ordinaria & admodum sollicita erat cura. Hoc expedito de reliquo non multum laborabant, quia satis prouisum videbatur, quo ne famem exercitus pateretur.

*Satis est populis flaviusque Ceresque.*

Quæri potest, quamobrem frumentum potius dederint quam panem. Primo ex Romanorum consuetudine hoc potest videri ortum, qui domi antiquitus frumentum non panem plebi distribuebant, & fuit ea olim frugalitas & continentia, ut frequentior apud eos pulsis quam panis usus esset. Deinde peculiares quoque in re castrensi hujus instituti causæ: frumentum ad portandum habilius & commodius & pane levius. *Lex enim certa naturæ est*, (ait Plinius) *ut in quocunque genere pani militari tertia portio ad grani pondus accedat*. Adde quod disciplinæ intersit adfuescere militem obvio & cum primis parabicio, qualis puls & panis subcineritius: nec circumspicere doctas pistorum manus aliaque desidiæ adjumenta per quæ luxus castra intrare & disciplinam solvere solet. Quare non tantum publicè non dederunt, sed nec prostare in castris panem aut ullum cibum coctum voluerunt. Ipsi quin imò Imperatores Romani sequiori jam ævo,

nt disciplinam exemplo firmarent, molere interdum sua manu frumentum, pane subitario aut pulte etiam delicioris palati gregario fastidenda coquare. Nam olim tamen, quoties id ratio exigeret, cocta in plures dies cibaria tulere loco frumenti. Livius Lib. III. *Quintus Cincimatus jussit quicunque ætate militari eſſent armati cum cibariis in dies quinque coctis vallis que duodenis ante solis occasum Martio in Campo adēſſent: quibus ætas gravior eſſet vicino militi dum is arma pararet vallumque peteret cibaria coquere jussit.* Eodem: *Nihil præter arma & quod cocti ad manum fuit cibi ferre militi licuit.* Plerumque id imperatum legimus navigaturis, quod in navi non ea commoditas panis faciendi, quæ in terra. Livius X XI. *Ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naveſ deferrent.* Et XXXIV. de Catone simulante se partem exercitus in naveſ impositurum. *Denunciari militum parti tertiae ex omnibus coboribus jubet, ut cibum quem in naveſ imponant mature coquant.* Lib. XXIII. *Cum triginta dierum coctis cibariis naveſ conſcenderunt.* Sub imperatoribus medii ævi (quo tempore etiam Romanæ plebi non frumentum ut olim, sed panis dabatur) nunc panis nunc buccellatum (*παχαμάδιον & παχάμας*, item *βουκελάτον* sequioris ævi Græcis, Glossario vetere quod citat Rigaltius, *βουκελάτης ἀρτὸς ἐλαφρός οὐ λέγεται κολλίνιον.*) Hoc genus panis bis cocti fere in expeditionibus militi dividebatur, ut minus obnoxium corruptioni & ad portandum levius: Nameo usque coqui moris erat, ut à pondere primo quartam partem deficeret, ut scribit Procopius. *Expeditionalem annonam* vocat Constantinus Imperator, eamque viginti dierum milites accipere vult: *Expeditionalem annonam ex horreis milites viginti dierum debent fūſcipere, ut eam transvehant propriis in expeditione necessitatibus profuturum.* Quanquam & panis & buccellatum tum diversis diebus & præter hæc multa alia annonæ nomine præbita, ut vinum, oleum, laridum, vervecina capitum & aliæ cellarienses species, ut videre est in Codice Theodosiano Tit. de ergatione militaris annonæ: Ubi Constantinus Imperator constituit, quid quoque die in militem ergandum, ne ejusdem annonæ satietas caperet: *Expeditionis, inquit, tempore buccellatum & panem, vinum quoque & acetum, sed & laridum, carnem vervecinam etiam milites ita solent percipere biduo buccellatum, tertio die panem, uno die, vinum alio die acetum, uno die laridum, bi-duo carnem vervecinam.* Jubet idem à Kalendis Augusti nec ante capitum præberi & Novembri mense novellum vinum. Et Vegetius more ejus ævi omnino vult frumenti, vini, aceti nec non etiam salis omni tempore necessitatem declinare. Sed hæc Romanæ disciplinæ non sunt. Vinum quidem in expeditionibus etiam sequiori ætate ſæpe vetitum fuit, ut in

Pescen-

Pescennino autor est Spartanus. Neque enim cum nostris ducibus hic fecerunt, qui quicquid est generosioris Bacchi, quia animos viresque auget commovetque & mente incitat, quoties copia est, marti conducere putant. Arbitrabantur enim non eo to confirmari, sed corrumpi & relanguescere animos, inesse luxuriam & malitiam quandam vino, nec tantum animis addere quantum demat obsequio & tolerantiae laboris: ut omitterent phantasias rationes, operosum certe & impeditum trahere tot impedimenta, incedere oneratum tanto apparatu, non cibum tantum, sed etiam potum circumferre; cum rerum natura in plerisque terrarum partibus liberaliter sibi prospexit. Huic adde ingentia impendia, cum aut publice dandum sit aut certe stipendia laetiora quibus vinum miles mercetur: Adde difficultatem in regionibus incoltis, bello vastatis aut vim non ferentibus. Ne oleum quidem & illam ciborum legem quibus adsueta Gymnasiis corpora ad umbraticam & ludicram virtutem saginantur, strictae & severae castrorum disciplinæ convenire. Rusticam quandam & parvo contentam vitam in omnem belli usum prodesse. A labore & patientia animos peti debere. Quamobrem convenientem frumento potum aquam esse duxerunt, aut si ea corruptior esset, paulo aceto miscuerunt. *Poscam* vocitabant. Ac optimi quique Imperatores hic se infimis semper æquaverunt nec ullum primores inter militesque discrimen esse voluerunt, nullum querelæ locum esse rati communi omnium continentia sublata invidia & luxu è conspectu remoto. Augustus Cæsar ne plebi quidem Romanæ hac in parte indulgendum censuit: querente enim de inopia & caritate vini populum severissime coercit, *satis provisum a genere suo*. Agrippa perductis plurimis aquis ne homines sitarent. Quantum & quoties dimensi fuerint docet Polybius: Οι τὰ μετελῶν ἢ μῆνα πεσοὶ πυρῶν αἰσεκοῦ μεδίμου δύο μέρη μάτισα πώς οὐ δ' ιπταῖς κελθῶν μὴ ἐπίσης μεδίμους εἰς τὸ μένα πυρῶν δε δύο. Medimus Atticus juxta Suidam sex modiorum Romanorum est, in modio Romano octo chænices, chænix justa mensura homini in diem alendo habebatur. Duæ itaque partes medimi duo & triginta chænices, quatuor modii sunt. Legitimum in mensem frumentum, unde & menstruum appellabatur, Livius X L I V. *Consul* menstruum iussò milite secum ferre profectus decimo post die quam exercitum accepérat castra movit. Servi in mensem totidem modios accipiebant, dimensum dicebatur, ut scribit Donatus in Terentium. Quamvis autem ex hoc Polybii loco pro certo affirmari non possit diem ad quam frumentum debebatur menstruum fuisse, quia idem de ære militari paulo ante dixit, binos in diem obolos, accipere cum tamen satis constet, æs mili-

militare singulis diebus militi non numeratum esse. Tamen cum & plebi Romanæ veteri consuetudine quoque mense daretur, cum frumentum militare semper per menses computetur, cumque præterea plus quam in mensis datum nusquam legam, nec si castra esent movenda plus humeris inter arma commodè portari queat, Polybium hic propriè accipi debere & menstruum hunc diem vulgo fuisse non ambigo. Suetonius Nerone. *Prætorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum constituit.* Livius X L 111. *Tum Aquileiensis nihil se ultra scire nec audere affirmare, quam triginta dierum frumentum militi datum.* Ex quo colligitur in expeditionibus plerumque minus emensos fuisse; non enim suspicari potuissent, Cassium contulem in Macedoniam profectum, id est longinquum iter suscepisse, si justa haec tam in itinere, quam in castris mensura, interdum in unum & viginti, in viginti, in decem & septem, in octo dies, in dimidiatum mensem, ut plurimum plus quam dimidiati mensis cibaria milites tulerunt, ut ex Cicerone & Lampridio recte colligitur: dies itaque quo frumentum emetirentur in stativis menstruis: in expeditionibus pro re & tempore brevior aut longior erat. Nam quenadmodum frumentum quod apud quæstorem servabatur, classibus, vehiculis aut jumentis vehebant: ita quod datum erat, humeris, ut diximus, inter arma portabant. Ea re de impedimentorum numero multum recidebatur. Livius. *Interim & Romano qui expeditus quantum humeris inter arma geri posset frumenti secum attulisset defutura omnia.* In peris autem vel fassis gessisse & Polybius & vetera monumenta testantur. Constantinus Imperator jubet milites & cæteros dignitatibus praeditos, annonas & capitum singulis diebus aut certe competenti tempore accipere, priusquam annus elabatur: quod si cessent in eo diemque ultra proferant, id quod non acceperint fisco vindicari: *Fortissimi, inquit, ac devotissimi milites familiae quoque sed & cæteri quibuscumque praediti dignitatibus annonas & capitum singulis diebus aut certe competenti tempore id est priusquam annus elabatur de horreis consequantur, aut si perceptionem suam ac si debitam studio voluerunt protelare, id quod competenti tempore non perceperint, fisci nostri commodis vindicetur.* Pedites sœcii idem accepere, nisi quod gratuitum. In equitibus differentia quædam. Nam Romani acceperunt frumenti duos medimnos, id est in tria capita ut duobus servis instruti: hordei verò medimnos septem, modios duo & quadraginta, chænices CCCXXVII, alimentum duorum equorum: præter equum enim bellatorem, jumentum iis fuit sarcinarium ad portandum hordeum, frumentum, pabulum & cætera impedimenta: erit in diem modius & tres

tres chænices cum quintâ parte : Socii vero equites accipiebant medium unum & trientem frumenti , cibum duorum capitum : hordei medimnos quinque, id est triginta modios, & proinde modium in diem quod unum tantum equum haberent : Centuriones & tribuni ea proportione frumentum quâ reliquum stipendum sine dubio acceperunt. Fuere & alii duplicarii quibus virtutis causa duplicitia cibaria attribuebantur; quod præmium tam civium quam sociorum sicut apud Romanos longè antiquissimum, ita etiam stipendio jam constituto frequens fuit. Livius V I I . Milites qui in præsidio fuerant duplice frumento in perpetuum; in præsentia singulis bobus donati. Idem X X I V . Hispanis duplicita cibaria dari iussa, operaque eorum fortis ac fideli persæpe Respublica usæ est. Ubi duplicatum frumentum non autem stipendium : In triumpho L. Scipionis Africani fratris idem : Stipendium militare & frumentum duplex post triumphum data : prælio in Asia faælo duplex dederat : quæ dubium de solo frumento an etiam de stipendio debeant intelligi : in Vegetio habes armaturas duplares qui binas consequuntur annonas, & sesquiplares qui unam semis : Sed annona more ejus ætatis laxius accipienda est, tam de stipendio quam cibariis. Sed quid ita, queret aliquis, virtutis causa, duplex frumentum dederunt? cui bono hæc munificentia? an cum virtute crescit voracitas, & post egregia facinora alterum tantum jam capit venter? Possem respondere cum Xenophonte, qui Regi Lacedæmoniorum duplicitia data scribit cibaria, non quo plus cæteris voraret, sed honoris causa, quo partem cibariorum suorum cui vellet posset largiri. Sed apud Romanos commodo etiam, non tantum honori, ea res fuit. Duplicarii immunes erant, vel principales, servum habebant, cui alendo pars altera frumenti. Ambigas an & vendere licuerit? Nam Salustius inter probra corrupti exercitus recenset, frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari: & notum est Galbae factum, qui militi qui per expeditionem annona auctissima residuum cibariorum tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vicitus simul atque indigere cibo cepisset, à quoquam opem ferri, atque is fame extabuit. Ambigas, inquam, an omnem omnino frumenti emtionem & venditionem condemnent, an tantum quod de dimenso suo quibus ipsis ad vitam sustentandam erat opus, vendiderint, ac luxus causa pro frumento mercati sint panem; & in Galbae milite, quod similiter de frumento suo tam immanni pretio modium vendiderit. Et sicuti victum, sic etiam vestem miliui publicè dederunt, & quidem majori cura quam stipendium, cuius dies minori incommodo proferri poterat, paratis quæ ad vitam essent necessaria: sæpe autem ab ipsa Roma missa : P. & Cn. Scipiones ex Hispania scrip-

serunt Senatui apud Livium XXIII. Pecuniam in stipendium vestimentaque & frumentum exercitui & sociis navalibus omnia deesse; quod ad stipendum attineat, si aerarium inops esset, se aliquam rationem initurum, quomodo ab Hispanis sumat; cætera utique ab Roma mittenda esse, nec aliter aut exercitum aut provinciam retineri posse. Sic & Quintus Marcius Consul ex Macedonia literis ad Senatum suis petit vestimenta ab Româ mitti militibus. Nimirum haud dubium esse sciebant, quod Alexandrum Severum ferunt crebro usurpasse: *Militem non timere nisi vestitum, armatum, calceatum & saturum*: cui consonat Lucani illud:

*Nescit plebs jejuna timere.*

Avidius Cassius autore Spartiano arma militum septimâ die semper respxit, *vestimenta etiam, calceamenta & ocreas*; Maximinus tunicas & omnia arma quotidie, *circumspicere calceamenta, quin etiam ipse prospicere* solitus traditur. Ex vestimentis autem militaribus, tunicarum, sagorum ac togarum fere mentio apud Livium fit. LXIV. *Senatus consultum, ut ea omnia ex literis Consulis fierent, factum est.* C. Sulpicius prætor sex millia togarum, triginta tunicarum equis deportanda in Macedoniam, & præbenda arbitratu Consulis locavit. XXIX. Frumentum sex mensium imperatum sagaque & togæ exercitui. Eodem. *Mille ducentæ togæ brevi duodecim millia tunicarum missa.* XXXVI. *Togæ quingentæ imperatæ cum quinque millibus tunicis.* Vides non tantum tunicas sed & togas ad exercitus missas, sed pauciores numero ut honestioribus quibusque: ac ita non necessitatim tantum, sed etiam decori consultum, stativaque & hiberna induerunt quandam pacis urbisque vultum. Apud Lampridium illo anno inter vestimenta donata lego ocreas & braccas & calceamenta. Sed de genere vestimentorum militarium alibi aucturo, hic monuisse satis sit, publicè locata & ad exercitus missa. Sed non hæc magis quam frumentum gratuita fuerunt: detractum de stipendio etiam sub imperatoribus, & publica cura, privatis sumtibus acceperunt: constitutum de stipendio pretium pro frumento, veste & armis militibus, deduxisse quæstorem, scribit Polybius: τὸ πεταγμένων πριλῶ ἐκ ὀψώνων ὑπολογίζεται: non addit quantum, nec an semper idem. Prætorianis quidem sub imperatoribus ante Neronom, pro modo annonæ in urbe deduci solitum, testis est Tacitus. De Nerone, *Bina nummum millia, inquit, manipularibus viritim divisit, addiditque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.* Frumentum interdum levi pretio, interdum etiam sine pretio distribuebatur sub primis imperatoribus. Suetonius Augusto: *Frumentum quoque in annonæ difficultatibus saepe levissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est, tesseraisque*

*num-*

*nummarias duplicavit*: Sed de tesseris Tacitus; an de vero frumenti pretio loquatur, dubites: in hanc quidem sententiam ipsa verba: at in illam Imperatorum erga Prætorianos indulgentia nos ducat. Legionibus autem etiam veteri [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) républica, clementi pretio datum cum Lipsio sentio, nusquam enim de gravitate annonæ milites legas queri. Immò Percennius apud Tacitum vestem tentorio sœvitâ centurionum redimi querens, & ómnia invidiosè traducens, nihil de frumento loquitur: argumentum, nullam hic justæ querelæ speciem fuisse. Nec immerito suspicatur vir clarissimus, ea ætate *gratuitum militi datum fuisse*, præsertim quia tum passim poscebatur à provincialibus. Mauritius tamen imperator etiam suo ævo jussit Petro prætori, ut *tertiam portionem roget, in auro Romani acciperent tertiam in armis, tertiam in vestimentis diversis*: Ex eo autem, quod Tacitus scribit de prætorianis, suspicetur aliquis stipendum militum *annonæ* nomen accepisse, quod scilicet frumentum & annonaria species, pro modo annonæ darentur.

## C A P U T VIII.

D E T R I B U T O  
E T Æ R A R I O.

**S**Tipendium militare antiqua republica ex tributo fuit: tributum pro portione censūs exigebatur: ( Nam duo alia genera, in capita, & temerarium, in vulgari usū non erant: alterum sub regibus ante Servium, à quo census, & ex censu tributum institutum, & iterum sub Superbo Tarquinio qui Servianum morem antiquaverat, usque ad Valerium & Lucretium Coss: cùm ad censem redditum. Temerarium non nisi extra ordinem & in ultima reipublicæ necessitate imperabatur. ) Igitur tributum vetus respublica pro portione censūs imperavit; æquissimum esse rata, ut pro fortuna publicis quisque necessitatibus subveniret, divites pecuniae collatione, pauperes liberorum edu-

catione stipendia penderent. Ac præter hanc æqualitatem , quâ nihil ad  
 mitiganda publica onera potentius est in ratione exigendi , duo alia non  
 minus laudabilia & plena prudentiæ instituta comperio. Primum , quod  
 Patres ~~www.digitizm.com~~  
 Patres & dñi filii quoque priores conferrent , & quidem publicè & sum-  
 mā fide , exemplo suo ad voluntariam collationem & pulchrum adjuvan-  
 dæ reipublicæ certamen animos excitantes : cuius rei egregium dederunt  
 documentum in primo tributo quod post constituta militibus æra indi-  
 etum : Quum enim tribuni plebeij , qui jam antea stipendia varia ad po-  
 pulum traduxissent , tum quasi occasionem calumniandi naæti , clamarent ,  
 jam demum apparere veneno illitum hoc munus Patrium , edicerentque auxilio  
 sese futuros si quis in militare stipendum tributum non contulisset . Patres ,  
 inquit Livius , bene ceptam rem perseveranter tueri , conferre ipsi primi , & quia  
 nondum argentum signatum erat , æs grave plaustris quidam ad ærarium conve-  
 bentes , speciosam etiam collationem faciebant ; Cum Senatus summa fide ex censu  
 contulisset , primores , plebis nobilium amici ex composito conferre incipiunt ,  
 quos cum & à Patribus collaudari , & à militari ætate tanquam bonos cives  
 confici vulgus hominum vidit , repente spredo tribunitio auxilio , certamen con-  
 ferendi ortum est . Alterum est , quod singulis annis decreto bello & in præ-  
 sentem Reipublicæ necessitatem imperarent . Quod quoties neglectum ,  
 ( neglectum autem raro , nisi quod spe prædæ hostilis in finem anni inter-  
 dum protulerint ) res summae ad plebem invidiae fuit . Tam enim inter-  
 est quo habitu animorum , quam quo jure pecuniam cogas . Recentis  
 ira commotis animis , nedum proposito ante oculos quod in rempublicam  
 intenditur periculo , nemo est qui se publicis oneribus vel velit subtrahere ,  
 vel audeat . At ubi ultioni vel securitati consultum , succedunt statim  
 avaritia , livor , aliquæ pessimi affectus , qui in imperatoribus , in magi-  
 stratibus , atque adeo in ipsa virtute & artibus reipublicæ multò optimis ,  
 inveniunt semper quod carpant & arrodat , & per alias atque alias  
 causas & cavillationes studium conferendi imminuant . Rarò profectò  
 tantum periculo depulso ad multitudinem , valet gratus animus , quantum  
 imminentis timor . Quare quotannis cum quodque bellum gerebatur , tri-  
 butum in stipendum ejus anni injungebant ; & ut videret plebes non abuti  
 Senatum jure suo , si forte bellum non esset , tributo supersedebatur . Livius :  
*Eo anno maximè levatae res , quod delectu & tributo supersessum :* Igitur pro-  
 priæ ex tributo æs militare ; unde enim , inquietabant tribuni , Stipendum nisi  
 imperato populo tributo ? Sed rebus secundis ab hoste exactum cum fru-  
 mento cæterisque belli impendiis , uti memoravimus . Quanquam severio-  
 ris quidam notæ Imperatores , qui belli præda locupletari ærarium , &  
 quic-

quicquid fortuna dedisset extremis casibus reservari, nec interim desuescere tributo populum vellent, ne tum quidem aliunde quam ex tributo sumi stipendium permiserunt. Livius X. de Triumpho Papirii: *Militibus nihil ex praeda datum, auctaque ea inuidia est ad plebem, quod tributum etiam in stipendum militum collatum, quum si spreta gloria fuissent captivæ pecuniæ in ærarium illatæ, & militum dari ex praeda & stipendum militare præstari potuisset.* Verum his opponere licet aliud genus æquius populo & indulgentius, qui re bene gestâ & devictis hostibus restituerunt etiam si quid in stipendum contulisset. C. Fabricius apud Dionysium, *Cum imperio, inquit, adversus Samnites, Lucanos, & Brutos missus, hostes multis præliis fudi, multas ejus regionis partes sum depopulatus, multas urbes opulentas vi cepi, & devastavi, è quibus & omnem exercitum ditavi, η τὰς εισφοράς ποιεὶδιώτας, ἀς εἰς τὸ πλευρὸν πεσσίνεγκαν, ἀπέδωκα, η v τελάντη μὲν οὐ Θειάμβων εἰς τὸ ταμεῖον εἰσλύεγκα.* Mos hic tributa indicendi populo, duravit usque ad annum ab urbe condita DLXXXVI. cum triumpho Macedonico L. Paulus omnem Macedonum gazam tantumque pecuniæ in ærarium invexit, ut hæc præda finem populo Romano attulerit tributorum. Neque ex eo imperatum unquam fuisse ante Consulatum Hirii & Pansæ, autor est Plutarchus; cui cur fidem hic non habeat vir doctissimus & de antiquitate Romana bene meritus, nullus video. Nam quamvis Orosius scribat, bello Marsico adeo continuis sumtibus exhaustum fuisse ærarium, ut loca quæ circa Capitolium pontificibus, auguribus, decemviris & flaminibus fruendâ erant data, inopiam publicæ pecuniæ venierint: Neque etiam veri sit simile ærarium tam locuples fuisse, ut Cinnæ, Marii & Syllæ temporum licentiæ avaritiæque sufficerit: Tamen mihi, morem bellorum civilium & libidinem istorum consideranti, tributum per ea tempora collatum esse, minime fit probabile. Evidem isti belli domestici victores nihil non sibi permiserunt, ac deprædari sine lege & more socios, provincias populi Romani hostilem in modum depopulari, ante diem stipendia plurium annorum exigere, sævire in bona, capita, sanguinem inimicorum suorum, viistarum partium fortunis abuti, quæque alia sævitia avaritiaque dictâset: Cæterum omnia potius alia, quam recte & ordine agere, aut toti populo Romano, in quo vietricis quoque partis homines, tributum imperare. Quare Asconius, loco quem citat ibidem vir eruditus, cum dicit, inopiaz ærarii per ea tempora multa sæpè remedia esse quæsita; in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ residue apud quemque essent, exigerentur, tributi tamen non meminit; non adeo ipsis Sullanis temporibus, quum Sulla

sumserit pecunias ex vestigalibus & ærario populi Romani. Ac quum tandem ad tributa redditum, quam insueta & nova res populo Romano, quamque parum in ea subsidii inopiæ publicæ fuerit, res ipsa comprobavit. *Maximus modus*, inquit Cicero, est in republicæ ei pecuniariæ: obfurdescunt enim quotidie magis boni ad vocem tributi, quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum, in duarum legionum præmiis omne consumitur. Unde & filium suum monet dandam esse operam, ne propter ærarii tenuitatem assiduitatemque bellorum, tributum sit conferendum; idque ne eveniat, multò ante esse providendum: quæ loca omnino confirmant, quod dicit Plutarchus. Igitur post triumphum L. Pauli stipendiis victorum gentium decumis, portoriis, vestigalibus, scripturæ salis & vicesimæ nitebatur ærarium; quarum rationem sigillatim exequi, hujus cæpti non est, & ad necessitatem à viris doctis sunt observata. Augustus tandem non sufficientibus stipendio tot legionum consuetis redditibus, ærarium militare & novos redditus instituit, vicesimam hæreditatum, quintam & vicesimam venalium mancipiorum & centesimam rerum venalium. Quarum ultimam, centesimam utique auctionum ab Caligula Italiæ iterum remissam esse, scribit Dio. Præter hæc in omnibus pæne provinciis tributa in capita & soli conferebantur. Pecuniam igitur unde sumserint veteri republica, vides. Ea autem ex ærario deprompta tribunis ærariis adsignabatur, & dicebatur *pecunia attributa*. Varro: *Quibus attributa erat pecunia ut mili reddant, tribuni ærarii dicti*: Asconius: *Attributa pecunia quæ in stipendum militum de ærario à tribunis ærariis, quæstori adnumerari solet*. Ille mili; hic quæstori ait numerari; sed hunc distinctius, veriusque loqui arbitror; nisi forte cum in urbe præsens stipendum mili datum, tribunorum ærariorum hæc fuit provincia; quæstoris, cum in Castris. Festus cuique Legioni tribunum videatur dare. *Primanus tribunus, qui primæ legioni tributum scribebat*. Plebeji ordinis homines fuisse satis constat: verum ne quis putet apparitores quæstorum, honestos: postremis enim libertatis temporibus cum Senatoribus & Equitibus Romanis federunt Judices. An tamen ἀνηγεφεῖς, quales olim Athenis, aut Curatores ærarii cum quæstoribus, quo essent etiam à parte plebis, qui viderent an pecunia publica, quæ ex senatusconsulto promebatur, bene & in usus publicos impenderetur, an verd militare tantum æs acceperint, non observavi; Scribit Dionysius jam olim institutos Romæ φιλάρχους vel κυριάρχους, qui tribuni appellabantur, eisque notum fuisse quo quisque civium habitatet loco: Quos, cum neque plebeji neque militares sint tribuni, suspicetur fortassis quisquam hos ipsos

ipsos esse. Sed ne à coēpto abeamus, veteri republicā plerumque pecunia, hāc frumentū cæteraque ad explicandos sumtus rei militaris necessaria comparabant. Interdum missis legatis in Apuliam, Calabriam, Siciliam, aliaque loca frumento abundantia coēmerunt. Livius XLII.  
*Voca vobis de cōbus*  
*Ad frumentum classi exercituique coēendum in Apuliam Calabriamque tres legati missi.* Interdum publicè locarunt & redenitores jussurunt parare. Prolatato jām imperio decumæ, ex agris publicis & populis victis in hunc usum. Frumentariæ autem Provinciæ erant Africa, Sicilia, Ægyptus, Hispania, Sardinia, Macedonia, Asia, Syria, Chersonesus: sub imperatoribus etiam passim à provincialibus suppeditabatur frumentum, ut in codicibus Imperatorum observare est. Veget. Lib. II. *Ante igitur quam inchoetur bellum, de copiis expensisque solers esse debet tractatus, ut pabula, frumentum, cæteræque ammoniaræ species quas à provincialibus consuetudo depositit, maturius exigantur, & in opportunitate ad rem gerendam, ac munitissimis locis amplior semper modus quam sufficit, aggregetur:* Illud autem, licet ab aliis notatum pridem, tamen hic minime videtur omittendum, veteres Romanos tantâ animi magnitudine & justitiâ egisse, ut à sociis, amicis aut victis populis pecuniam, frumentum & cætera bello necessaria, non tantum per vim & speciosa vocabula non extorquerent; sed etiam quoties ultrò offerretur, ne dono quidem sine gravi causa acciperent. Unum Livi locum describere non gravabor, qui est in trigesimo tertio: *Sub idem tempus legati ab duobus regibus Philippo & Ptolomeo pollicentes ad bellum auxilia & pecuniam & frumentum. Ab Ptolomeo etiam mille pondo auri, viginti millia pondo argenti allata. Nihil ejus acceptum. Gratiae regibus actæ, & quum uteisque se cum omnibus copiis in Ætoliam venturum belloque interfuturum polliceretur, Ptolomeo id remissum: Philippi legatis responsum, gratum eum Senatui Populoque Romano faciurum, si Manio Acilio Consuli non defuisset. Item ab Carthaginensibus & Massinissa rege legati venerunt. Carthaginenses tritici modium mille, bordei quingenta millia ad exercitum, dimidium ejus Romanam portatturos, polliciti sunt: id ut ab se munus Romani acciperent, petere se, & classem suorum suo sumtu comparatuuros, & stipendium quod pluribus pensionibus in multos annos deberent, præsens omne daturos: Massinissa legati quingenta millia modium tritici, trecenta bordei ad exercitum in Græciam, Romanam trecenta millia modium tritici, ducenta quinquaginta bordei, equites quingentos, elephantes viginti, Regem ad Manum Acilium Consulem misserunt. De frumento utrisque responsum, ita usurum eo populum Romanum, si pretium acciperent. De classe Carthaginensibus remissum, præterquam si quid navium ex fædere deberent: De pecunia item responsum, nullans*

nullam ante diem accepturos. Eadem fuit Germanici magnanimitas , ne  
 putas , cum libertate hanc animi magnitudinem & abstinentiam plane  
 interiisse : cum enim legiones secunda & quartadecima , quas Vitellio  
 ducendas tradiderat , effusione Oceani multum detrimenti cepissent : *Ad*  
*Supplenda* , inquit , *exercitus damna, certavere Galliae, Hispaniae, Italie,*  
*quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes, quorum laudato studio Ger-*  
*manicus, armis & equis ad bellum sumtis, propria pecunia militem juvit.*  
 Quæ et si credo plerisque eorum qui hodie gubernacula civitatum tenent ,  
 insolentia videri , & ostentationis cujusdam dignioris scena gaudente ,  
 vanis , quam curia utilia semper honestis miscenti , quando satis bene  
 agatur cum rebus humanis , ubi absunt vis & injuriæ , & nihil accipiatur  
 nisi quod à volentibus offertur . Ex vero tamen æstimanti res longe  
 aliter sese habet ; illa enim tam ditia , tam immania stipendia raro ab  
 infirmioribus potentiori mittuntur , nisi quem putent iniquum spe aliqua  
 injusti compendii , aut metu magni mali : Appellent licet munera ambi-  
 tiosi homines , qui publica calamitate perversam apud dominantes gra-  
 tiam venantur : & ludant speciosis nominibus , qui vera rerum vocabula  
 de republica tollunt : raro tamen efficient ut conferentibus gravia non  
 sint quæ ista ratione extorquentur . Sint tamen interdum haud gravia :  
 nisi in extrema necessitate reipublicæ , pessimi semper exempli sunt .  
 Quod dono datur à populis , deberi sibi putant qui poslunt cogere ; & nisi  
 iteretur sæpius , odium pro gratia fere reddunt . Neque alia de causa sa-  
 pientissimi Legislatores , præsides & procuratores , & magistratus munera  
 qualicunque nomine vetuerunt accipere ; quippe prudentes , humani  
 ingenii cui plus nimio insitum est , honesta præscriptione turpia exercere ,  
 & per ejusmodi ludibria grassari . Itaque Romani ut famam justi imperii  
 foris tuerentur , qua non minus quam armis , olim valuere , neque po-  
 steritati proderent exemplum , quo via muniretur ad abutendum domina-  
 tionem , munera sociorum magnâ ratione & sapientissimo consilio accipere  
 noluerunt . Atque in hoc loco illud quoque est notabile , quod veteri re-  
 publica arctis rebus , & mox etiam locupletioribus , raro admodum in opia  
 ærarii laboratum : Si quid deerat opum , subvenerunt amor erga rempu-  
 blicam , virtus & abstinentia imperatorum . Vix enim bella propter ino-  
 piæ ærarii omiserunt ; aut ubi suscepissent , corrupta disciplina tractave-  
 runt : Ex plerisque autem hic fuit fructus , ut opulentiores redirent &  
 respublika & milites . Quod enim bellum susceptum , unde non pecunia  
 in ærarium inlata ? At postquam , auctis in immensum opibus , Romanum  
 nomen terrarum orbem complexum fuit , jam Respublika haud paulo  
 excel-

excellentior facta est ; quamvis enim tot populorum stipendiis, tributis & vectigalibus subnixa, & longe ditiorum hostium, quam olim, victrix, eguit tamen semper , & suis subsidiis vix sustentata est. Tanto plus vitiorum quam opum fuit. Sed ut eō, unde diversi, redeam : Frumentum & cæteras annonarias species, ut ait Vegetius, Imperatoribus regnantibus, à Provincialibus exigebant frumentarii ; quorum frequens mentio apud Scriptores ejus ævi : Præfecti item frumentariorum: nec tantum singulis provinciis, sed etiam legionibus erant frumentarii ; quod nos docent antiquæ inscriptiones , in quibus *frumentarii legionis* hujus vel illius : hi exactum à provincialibus convehebant ad horrea publica, & castra. Quum autem iidem sœpe præcessent cursui publico , literasque sacras ferrent in provincias, & rursus alias ad Imperatorem , quibus Imperatori nuntiabatur quid ubiq; terrarum rei gereretur, inde cum veredariis confunduntur ; & Latinis frumentarii dicuntur, qui Græcis ἀγηλιαφόροι & γεζματίφοροι πζηροφόροι : & qui postea Latinis beneficiarii, agentes in rebus , officiales, item curiosi, stationarii speculatores , opinatores. Erant enim apparitores magistratum exigendis vectigalibus , conquirendisque reis , & cæteris ministeriis. Sed qui proprie fuerint frumentarii , ipsa vox satis demonstrat. Horrea publica in urbibus , quæ proximæ castris , & quodammodo aptæ sedes belli , ut appellat Tacitus. Livius, *Carthaginem novam aream & horreum,* ait Scipioni fuisse : ἐργατικὸν appellat Polybius, & πλευτήριον ; ali etiam κέντρον, loca oportuna ad rem gerenda, & munitissima, ut dixit Vegetius. Sub Cæsaribus, in omnibus fere regionibus , inque munitissimis eorum oppidorum , quæ proxima limitaneis castris , publica horrea erant. Tantæ autem hæc curæ fuerunt , ut non solum Tribuni , quorum peculiare munus esse, probare frumentum , docet lex 12. ff. de re militari : sed etiam Præsides diligenter inspicerent : Valentinianus & Valens lege & Cod. de conditis in publicis horreis , Anthemio præsidi: Cum ad quamlibet urbem mansionem ve accesseris , protinus horrea inspicere te volumus , ut devotissimis militibus deputatae , & incorruptæ species præbeantur , imò ipsi principes : A quâ providentiâ curâque laudat Hadrianum , inter cætera , Spartanus : Laborabat præterea , ut condita militaria diligenter agnosceret , redditus quoque Provinciales solerter explorans ; ut , si alicubi quicquam deesset , expleret. De Alexandro Severo Lampridius : Annonam militum diligenter inspexit ; Tribunos , qui per stellaturas militibus aliquid tulissent , capitali pæna affecit. Atque adeo in morem abiit , ut de annonâ in horreis recordenda , Principi aliquid offerretur , ut probaret ipse , & videret , an bonum & incorruptum esset frumentum : probam vocabant. Ammianus

de Constantio: *Eique vehiculis insidenti, ut Principibus solet, annonæ militaris offerebantur indicia, ut ipsi nominant, proba.* Probam autem dicebant, ut curam, curationem, rogam, erogationem; aut verius, id quod curatur, vel erogatur. At præter publica illa, quæ in locis munitis; erant etiam in Castris, præsertim stativis, horrea. Frontinus lib. II. Reliqui ex Variana clade cum obſiderentur, quia defici frumento videbantur horrea, tota nocte circumduxerunt captivos; deinde præcisus manibus dimiserunt. Livius: *frumentum, quod ex hibernis secum extulerat, integrum vobens.* Idem. Hannibal pro Gerionis mænibus, cuius urbis, captæ atque incensæ ab se, in usum horreorum pauca reliquerat, stativa habebat. Sed neque hæc ignota sunt; & plura in Pandectis de horreis, & horreariis, possunt observari. Ne autem exercitus duris rei frumentariæ laboraret subvectionibus, præſidiis, oportunis in locis positis, aut, ut sequens ætas loquebatur, prætenturis & stationibus agrariis, solicite providebatur: his, vias militares securas ab incursionibus hostilibus præstabant; quas neglexisse, Imperatoribus criminis imprimis dabatur: unde Cicero Pisoni, inter cætera probra, objicit obſessionem viae militaris. Iisdem præſidiis commercia, alterum in opis subsidium, in castra alliebat. Antiquum valde institutum; cuius primos inventores, Cares fuisse, autor Ælianus de animalibus. Apud Græcos jam ab antiquo in usu fuisse, ex Homero patet: ἀγορὴν vocant, & ἀγορὴν πλέμεν. Ad quæ leges non paucæ in Jure; & apud Historicos extant. In Commentariis Cæsaris mercatores tendunt sub vallo ad portam Decumanam. Frontinus: *Tiberius Gracchus, in Hispania certior factus, hostem inopem commercio laborare, instructissima castra omnibus esculentis deseruit; quæ adeptum hostem, & repertis intemperanter repletum, gravemque, reduculo exercitu, subito oppresſit.* Hinc Quintana in castris forum rerum venalium: Nec solum is erat usus mercatorum, ut necessaria ad castra portarent; sed, ut essent quibus prædam vendere miles posset, ne eâ aggravaretur; & alibi, quam in armis, haberet animum. Mercatores tamen, sed rerum non necessiarum, lixasque, ab priscæ Disciplinæ Vindictibus aliquoties expulsos, ejectosque castris, legimus. Alibi commercia sunt jura belli, quæ sunt inter hostes. Sunt enim & belli, sicut pacis jura.

*Belli commercia Turnus*

*Sustulit ista prior.*

Quod vocabulum apud Statium fuisse suspicabamur aliquando:

*Quid timidæ sequeris compendia vitæ?*

Ac

Ac veteri quidem Republica raro admodum inopia rei frumentariae exercitus Romani laboraverunt, suppeditante Republica frumentum & vestes, & Ducibus plerumque magna ratione longinqua bella tractantibus: sed Julianum Cæsarem in Gallis & bellis civilibus, in illa celeritate incredibili bellandi, aliquoties re frumentaria anguste legimus usum; ut etiam aliquot dies exercitus frumento carentis, pecore, secundo, ut vocat, subsidio, aliisque remediis inopiam tutatus sit: alibi tantam pabuli in castris suis inopiam notat Cæsar, ut foliis ex arboribus strictis & teneris arundinum radicibus contusis equos aluerint: sed certans plerumque cum egestate patientia militum, omnia superavit: *Non illis hordeum cum daretur, non legumina recusabant, pecus verò, cuius summa ex Epiro erat copia, magno in honore erat;* ait Libro III. de bello civili. Lucanus:

*Vidit miserabile vulgus,*

*In pecudum cecidiſe cibos & carpere dumos.*

*Et morsu ſpoliare nemus lethumque minantes,*

*Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.*

Pompejus etiam in bello civili arctis aliquoties commeatibus usus est: Quam rem tamen non tam imprudentiae summorum imperatorum adscripferim, quibus nulla facile ætas rei militaris tulit peritiores, quam licentiae bellorum Civilium, quæ & disciplinam caſtrenſem & illa ſubſidia, quæ integra republica præſtari solebant, corrupit.

## C A P U T I X.

### D E P R Æ D A.

**B**rimi & antiquissimi mortalium, quemadmodum proditum est memorie, neque stipendiis de publico, neque multum domesticis rei frumentariae copiis exercitus juverunt: Neque compertus tum fuit locus inter arma & homines, jus omne in armis ponentes; qui simul domo profecti & in hostiles egressi effent fines, agebant; ferebant omnia; & tantum quisque stipendii habebat, quantum ab hoste rapere potuſſet: Unum erat belli alimentum, unum præmium, præda.

*Convectare juvat prædas & vivere rapto.*

Sed posteaquam usus & ratio docuerunt, effusis prædationibus irritari magis quam finiri bellum; & res ipsa comprobavit nihil esse salutare in publicum, nec diuturnum, quod absque lege & disciplina administraretur; extitere viri prudentes qui armis leges darent, qui raptus & cædes, res, belli magis, quam humani ingenii, ad rationis & justitiae normam exigerent; qui docerent esse sua bello, sicuti paci, jura: & cum tam multa armatis liceant, esse tamen aliquid quod & in hostem nefas esset: Sed inter omnes belli partes, nescio an ulla sit quæ serius apud plerasque nationes, & ægrius leges receperit, quam populationes prædationesque: quippe cum plerique homines, quicquid vetent, una spe prædæ arma sumant, eoque impendant laborem ac periculum, unde emolumentum sperant; difficile imprimis & arduum est, moderari, impotenti huic cupiditati, & imponere in bello modum ei studio, propter quod opera militaria obeuntur. Quod si jam possis, ambigas, an utile sit, cum, sublata bellandi causa, studium simul armorum & militum alacritas retundi videatur & hebetari; præsertim cum plerisque, castra sequentibus, injustum videatur, quod in hostico sua cuique virtus, aut belli fortuna dederit, id ei abjudicari, & in alium transferri: quemadmodum enim ea quæ dominum non habent, & à rerum natura omnibus sunt exposita, sic quoque naturali jure, quæ bello, quo tollitur jus dominii, capiuntur, occupantis esse. Accedit modus ipse prædandi effusus & solitus, quo cum dispergitur miles, & prædæ studio huc illuc se proripit, quodammodo solvitur illis legibus, quæ in cæteris belli actibus eum continent sub oculis ductorum. Hinc est quod pleræque nationes, cæteris satis bellè compositis, tamen hac parte claudicarint, neque potuerint prohibere ne prædationes effusa licentiâ in modum latrocinii exercerentur. Itaque cum in ipso rei actu, ut inordinato & insidiis maxime oportuno, ingentes sæpe calamitates acceperunt, tum cum depopulati hostiles terras, bene magnam prædam avexissent, re ipsa experti sunt, se in nullum, aut parvum admodum, usum laborasse; atque adeo cum in hostico diutiis commorandum, non sibi magis, quam hosti nocuisse: miles enim, si suo utatur ingenio, perdere scit aliena, uti eis nescit. Vix centesimam raptorum partem in bonum & legitimum convertit usum: multa inutilia, & rapienti tantum oneri futura, cupiditate incensus, aufert; mox laffus & fatigatus, etiam necessaria projicit. Adde intemperantiam, in quam se effundit ubiores copias noctus, alea, luxu, libidine, velut præda prædæ suæ agitatur, omnibusque profligandi modis, tanquam male partorum furiis, impulsus,

sus, festinat rursus ad inopiam & egestatem. Quare Romani hanc partem tantâ prudentiâ administraverunt, ut bellorum suorum impendia plerumque ab hostibus habuerint, nec tamen in quærendâ agendâque prædâ, temeritati, nec in actâ, luxul dederint locum. Tetigere antea viri Literati, ita tamen ut aliquid relinquenter iis, qui deinde ad rem eandem accederent eamque retractarent. Conjunxi autem in hunc locum frumentationem, pabulationem, prædationem, populationem, & vastationem, atque omnem prædam; quia, quamvis re diversa (pabulatio enim, & lignatio, nisi subvehatur, interdum in pacato necessaria, cæterà non nisi in hostico) modo & genere non multum distant. Ac fateor quidem, ubi ab hoste nihil metûs esset, hic quoque negligentiores, liberius, vastandi prædandique causâ, & pene in modum latrociniî, in agros interdum se effudisse; quas *effusas populationes* appellant; sed rarius tamen istud; quippe qui dissolutionem etiam odissent, ubi nullus ab hoste metus; memoresque semper essent, nullâ re facilius accipi calamitatem, quam per nimiam fiduciam. Ergo sub lege certa, nec passim, nec pauci populabantur: tanta vero manu, quantam res & tempus postulabant, ac alias alia. Aliquando manipulatim: apud Livium Samnites: *Fam ne manipulatum quidem, sed latronum more percursant; totis finibus nostris negligentius, quam si in Romano vagarentur agro.* Aliquando per cohortes: in XXI V. *Frumentatum expeditas cohortes dimisit; quod maturi circa erat, demessum, & convectum est viride; ne hostes mox haberent protritum, & corruptum.* Cæsar, sæpe, & ex consuetudine, se unam legionem frumentatum misisse, scribit IV. Belli Gallici; alibi tres legiones, & omnem equitatum. Bello Africano, ipse, cum triginta cohortibus expeditis, profectus est frumentatum. De Fabio Livius: *Castris, nisi quantum usus necessario cogeret, tenebatur miles; pabulum & ligna, nec pauci petebant, nec passim. Equitum, levisque armaturæ statio, composita instruendaque in subitos tumultus, & suo militi tutâ omnia, & infesta, effusis hostium populationibus præbebat.* Salustius de Metello: *Neque post insidias Jugurthæ, effuso exercitu prædari, ubi frumento, aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu præsidium agitabant.* De Hannibale, pro Gerionis mœnibus stativa habente, Livius: *Frumentatum duas partes exercitus mittebat, cum tertia ipse expedita in statione erat, simul castris præsidio, & circumspectans, nec unde impetus in frumentatores fieret.* Ibidem, tertiam partem exercitus frumentatum ivisse, magnam etiam militum partem in propinquos agros lignatum, pabulatumque sæpe dilapsam, legitur. Livius XLI V. *quod in novis castris non ligna, non*

pabulum convectum erat, ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars  
 militum è castris exierat. Sed hæc pluribus quam necesse erat. Numerus  
 enim genuique militum, per quos conficerent frumentationes, popula-  
 tionesque agitalent, quique frumentatoribus essent præsidio, pro ge-  
 nere & copiis hostium, cum quibus res erat, pro natura locorum, in  
 quibus præda agenda, mutari solent; nec aliam accipiunt legem, quam  
 Prudentiam Imperatoris. In aperto, & ubi locorum id permetteret  
 situs, dabatur equestris fere præsidii aliquantum, ut qui longius specu-  
 lari, &, ubi res posceret, laborantibus facile possent adesse. Unde  
 Cæsar ait, *ex consuetudine stationes equitum præsidio missas pabulationibus;*  
 in aspreatis & silvis contra. Illud tantum à bonis Ducibus observatum,  
 ut justum semper ab omni parte præsidium, & stationes essent, quò ne  
 quis insidiis hostilibus locus, & ubique aliqua manus esset, quæ subitas  
 hostium incursions sustinerent. Cum enim sive metendum quod in areis  
 frumentum, sive ex ædificiis petendum, sive hostilis regio sit vastanda,  
 frumentatores & prædatores necessariò aliquantum dispergantur, pro  
 magnitudine periculi semper providerunt, ne quæ hosti fierent oportu-  
 ni. Quare & ipsos frumentatores sub signis ire, nec admodum longe ab  
 iis discedere voluerunt; quò ne inutile iis fieret præsidium, & ipsi, si  
 qua vis major ingrueret, ad signa se sua possent recipere. Cæsar VI.  
 Nam & præda cupiditas multos longius evocabat, ac sylvæ, incertis occul-  
 tisque itineribus confertos adire prohibebant: Si negotium confici, stirpemque  
 hominum sceleratorum interfici vellet, dimittendæ plures manus, diducendi-  
 que erant milites: si continere ad signa manipulos vellet, ut instituta ratio,  
 & consuetudo exercitus Romani postulabat, locus ipse erat præsidio Barbaris.  
 Samnites apud Livium: Magni Dictatores cum Magistris Equitum, bini  
 Consules cum binis exercitibus Consularibus, ingrediebantur fines nostros, ante  
 explorato, & subidiis positis, & sub signis ad populandum ducebant. De  
 Marcello idem: Nihil Marcellus ita gerebat, ut aut fortunæ, aut temerè  
 hosti commissum dici posset, explorato, cum firmisque præidiis tuto receptu,  
 prædatum iverat. Nam ut prædatum iverant, sic quoque composito  
 agmine, & recepta in medio præda, ad castra se recipiebant. Hoste autem  
 magno equitatu infestas faciente frumentationes, ineunda aliqua ratio  
 erat, quò eum fallerent, putà ut incertis temporibus, & diversis itine-  
 ribus pabulatum proficiscerentur. Cæsar: Omnes nostras pabulationes fru-  
 mentationesque observabant, dispersisque, cum longius necessariò procederent,  
 adoriebantur, magnoque incommodo afficiebant; et si, quantum ratione pro-  
 videri poterat, ab nostris occurrebatur, ut incertis temporibus, diversisque

*itineribus iretur. Alia à Petrejo atque Afranio scribit in ejusmodi necessitate factitata : Alias non longo ab castris progressi spatio, ut celeriter receperunt haberent, angustius pabulabantur, alias longiore circuitu custodias, stationesque equitum distabant, aut aliquo accepto detimento, aut procul equitatu viso, ex medio itinere, projectis sarcinis, fugiebant. Postremò etiam plures intermittere dies, & præter consuetudinem omnium, noctu constituerant pabulari. Ubi intelligi potest, præter consuetudinem militarem fuisse, ut de nocte frumentarentur : nec sine magna ratione ; cum neque insidias vitare, neque frumentum, & præda alia, tam facile inveniri queat, atque interdiu. Legimus tamen aliquando factum, ubi minus periculi, ut nec opinantes opprimerentur. De Catone Livius in XXXIV. Castra hiberna mille passuum ab Emporiis posuit, inde per occasionem nunc hac parte, nunc illâ, modico præsidio castris reliquo, præ datum milites in hostium agros educebat. Nocte ferme proficiscebantur, ut & quam longissime à castris procederent, & inopinantes opprimerent : & exercebat ea res novos milites, & hostium magna vis excipiebatur, nec jam egredi extra munimenta castellorum audebant. Ac præter milites, quidquid esset calonum, servorumque, cum jumentis præ datum vulgo eductum, supervacaneum quoque arbitror monere. Pabulatio quidem frequenter per servos equitum videatur facta, equitibus in statione manentibus. Cæsar : Accedebat autem quotidianis pabulationibus id, quod accidere erat necesse, cum raris disjectis que ex ædificiis pabulum conquereretur, ut impeditis locis, diversi pabulatores circumvenirentur ; quæ res et si mediocre detrimentum jumentorum ac servorum nostris afferebat. Apud Leonem, ὁ ἐπιρούντες παῖδες fænum secare, pabulum colligere, & jumenta ad pastum emittere dicuntur. Ac ex his, quæ frumentantes, pabulantes, prædantesque milites in castra convehebant, quæ pluris nummi argentei essent, extraque hastam hastile, ligna, pomum, napum, pabulum, utrem, follem, faculum, omnia ad Imperatorem vel Tribunos referebantur, ut diximus supra in Jurejurando contra furta ; hi Quæstori tradebant, qui frumentum quidem & pecuniam adservabat, cæteris dividitis, pecuniam in publicum redigebat. Apud Dionysium libro septimo: Decius, Coriolani accusator, dicit, esse apud Romanos legem, quæ spolia & prædam hostilem, etiam quam sua virtute consequantur, publicam iubeat esse ; nec militem solum, aut privatos quicquam in hac juris habere, sed ne ipsum quidem Imperatorem : Quæstorem eam divendere, & pecuniam referre in aerarium : quam legem nemo unquam ab Urbe condita solverit ; sed nec culpaverit, Martio excepto. Quo in loco aliquot res dignæ observatione occurront, & examine : nam nihil, nedum privato, ne Imperatori quidem, in*

præ-

prædam juris fuisse; eamque legem qui culpareret, aut solveret, primum  
 & unum mortalium extitisse Coriolanum; ea ab omni Historia refelli vi-  
 dentur, & redargui. Piget poene ad exempla ire; tam frequenter etiam  
 prisca Republica Imperatores partem prædæ militibus dedere; interdum  
 & universam. Nonne jam olim Tarquinius Superbus, Sueffâ captâ,  
 mancipia, cæteramque omnem prædam, aurum, argentumque, decimis,  
 quas in fabricam Templi seposuit, exceptis, divisit militibus? Omit-  
 tamus Regem. Nonne Menenius, & Posthumius, Sabinis victis, par-  
 tem prædæ militibus, partem reddiderunt Populo, ut reciperet quan-  
 tum in bellum contribuisset? Nonne Hetruscis devictis, L. Æmilius  
 omnes manubias militi divisit? Nonne L. Cornelius, (ipsum in his  
 exemplis testem advoco Dionysium) cætera præda in publicum redacta,  
 militi tamen vestes, & cibaria, & ejusmodi reliquit emolumenta alia?  
 Nonne Servilius, expugnatis hostilibus castris, omnia militi conces-  
 sit? Servilio, fateor, denegatus à Senatu Triumphus, idè quod  
 omnia, ex libidine, militi dilargitus, nihil intulisset in ærarium ca-  
 ptivæ pecuniae: quid tamen? an inde effici potest, plane nihil in præ-  
 dam juris Imperatoribus? Minime. Sed illud refelli videtur, quod ait  
 legem hanc à nemine unquam temeratam fuisse. De M. Posthumio Re-  
 gillensi, Livius: *Huic bellum adversus Äquos permisum est, pravæ men-  
 tis homini; quam tamen victoria magis, quam bellum ostendit: Nam exercitu  
 impigre scripto, duclique ad Volas, quum levibus præliis Äquorum animos  
 fregisset, postremo in oppidum irrumpit, deinde ab hostibus in cives certamen  
 vertit; & quum, inter oppugnationem, prædam militis fore edixisset, capto  
 oppido, fidem mutavit. Eam rem magis adducor, ut credam, iræ causam  
 exercitui fuisse, quam quod in urbe nuper direpta, coloniaque nova, minus prædi-  
 catione Tribuni prædæ fuerit. Camillus quidem, Vejis in potestatem reda-  
 ctis, quid de præda faciendum censeret, Senatum consuluit. Ibi tum  
 Appius Claudius: Largitionem novam, prodigam, inæqualem, inconsul-  
 tam arguit, si semel nefas ducerent, captam ex hostibus, in ærario, exhausto  
 bellis, pecuniam eſe; auctorque fuit stipendiī, ex ea pecunia militi numerandi,  
 ut eo minus tributi plebes conferret. Sed cum ex præda Vejorum, libera  
 corpora sub corona vendidisset Camillus, eamque pecuniam in publicum  
 redegisset, irata plebes, hoc quoque ei objicit, quod ad Senatum, mali-  
 gnitatis autores, quærendo, rem sui arbitrii rejecisset. Idem Camillus postea,  
 Faliscorum captis castris, prædam ad Quæstorem non nisi cum magna  
 militum ira rededit; Sed severitate imperii vicli, ait Livius, eandem vir-  
 tutem & oderant; & mirabantur. Abutar lectoris patientia, si plura con-  
 geram*

geram exempla; aut ad inferiora tempora descendam, præsertim, cùm apud eundem Dionysium, Fabricius, oblatam à Pyrrho pecuniam accipere recusans, dicat, seſe cæſis Samnitibus, Bruttiis, & Lucanis, multisque captis civitatibus, & regionibus devastatis, milites ditasſe, & ci-  
 vibus reddidisse quantum in tributum contulissent: Sed insuper etiam addat, ex illa præda ſibi quantum voluiffet, bono titulo sumere licuiffe; quamvis opibus, jure oblatis, ipfe abſtinuerit, Valerii Publicolæ, aliorumque Principum exemplo. Quid igitur dicemus? tot, tantosque vi-  
 ros, violatarum legum reos? An Dionysium parum hîc memorem fidei historicæ? Neutrum arbitror. Accusatoriè quidem iſta Decius, legem à nemine unquam violatam, nihil, ne Imperatori quidem, juris eſſe in pecuniam prædaticam; unum eſſe inventum, poſt Urbem Conditam, Coriolanum, qui privatus violaret legem, quam Imperatores Populi Romani ſemper habuiffent ſanctam, & inviolatam. De lege tamen quod ait, dubitandum non eſt. Pecuniæ bello captæ ratio erat reddenda, & ad ærarium referenda; certiſſimum argumentum, publicam fuifſe: vi-  
 dere hoc eſt, tum in aliis quam plurimis, tum in fratribus, Publio Afri-  
 cano, & L. Asiatico Scipionibus. Petillii enim, Tribuni Plebis,urge-  
 bant in Senatu, ut pecuniæ Antiochenæ, quæ in eo bello capta erat, ra-  
 tionem redderet. Fuerat enim L. Scipioni Asiatico, fratri ſuo Imperato-  
 ri in ea Provincia legatus. Ibi Scipio (verba quæ ſunt apud Gellium re-  
 cito) exurgit, & prolato è ſinu togæ libro, rationes in eo scriptas eſſe, dixit,  
 omnis pecuniæ, omnisque prædæ: illi tum, ut palam recitaretur, & ad Ærarium  
 deferretur. Sed enim id jam non faciam, inquit; nec me ipfe officiam contume-  
 lia: eumque librum ſtam corā ſuis manibus diſcidit, & concerpſit; ægre  
 paſſus, quod, cui ſalus Imperii, ac Reipublicæ accepta ferri deberet, rationem  
 pecuniæ prædatitiæ posceretur. Publica igitur Populi Romani fuit omnis  
 præda; verum hanc legem, nec alii Imperatores, nec ipfe proprie Corio-  
 lanus videtur violaffe, prædâ militi concesſa: nam Imperatores,  
 quemadmodum de pecunia à Republica data, ita multò magis de præda  
 ab hoſte capta, milites bene meritos donare potuerunt; iſta quidem lege,  
 ut omnia in Tabulas publicas referrent, munerumque militarium æque,  
 ac cæterarum rerum redderent rationem. Invaluitque hic adeo mos, ut  
 hoſte victo, fere militi aliquid, prædæ nomine, daretur; interdum etiam  
 pro aliis laboribus fortiter ſuſtentatis: Cæſar de bello Gallico, VII.  
 Ex reliquis captiuis toto exercitu capita ſingula prædæ nomine diſtribuit:  
 Hirtius L. VIII. Cæſar militibus pro tanto labore ac patientia, quod bru-  
 malibus diebus, itineribus diſcilliſimis, frigoribus intolerandis, ſtu-  
 diouiffime per-

permanserant in labore , ducenos sestertios centurionibus , duo millia nummâm  
 prædæ nomine condonanda pollicetur . Ac quamvis permisum esset Imper-  
 toribus , facere quemadmodum è fide sua , & Republicâ ducerent , ta-  
 men ~~veteri Republica boni~~ id imprimis egerunt , ut ex pecunia præ-  
 datitia stipendum annum præstarent ; deinde , ut militi aliquid prædæ  
 nomine darent ; tertio , ut etiam aliquid inferrent in Ærarium . Ambi-  
 tiosissimus quisque militaribus commodis plusculum indulxit : Gloriæ  
 verd , & priscæ Severitati dediti , in Ærarium pleraque intulerunt .  
 Quantum autem ad ipsos Imperatores attinet , partem aliquam prædæ  
 in suum sœpè convertisse , quæ sunt hominum ingenia , non est ambigen-  
 dum : sed non tam concessso jure , quam malo more , favore Populi , &  
 Laureâ bene partâ obumbrantibus crimen Peculatus : Qua enim fronte  
 se ipsos donare ? quo exemplo , sibi partem prædæ attribuere potue-  
 runt ? quo titulo in rationes publicas referre , quod ipsi intervertisserint ?  
 Alio nomine hæc in Tabulas referenda fuerunt ; & falsò expensorum  
 titulò decipienda Respublica ; quod nemo unquam bonus fecit . Bonoru-  
 rum optimi , justa virtutis præmia , sed cum aliquo emolumento conjun-  
 cta , ne suis quidem concessere ; non satis habentes culpa cædere , nisi ab  
 omni insuper suspicione essent liberi . Valerius : Calpurnius Piso , gravifugi-  
 torum bello à se liberata Siciliâ , eos , quorum præcipua opera usus fuerat , Im-  
 peratorio more , donis prosequebatur ; inter quos filium suum locis aliquot præ-  
 liatum fortissime , titulo trium libraru[m] aureæ coronæ decoravit , præfatus ,  
 non oportere à Magistratu[m] publica pecunia erogari , quod in ipsius do-  
 cum redditum esset . Idem : Q. Fabius Gurges , Cn. Fabius Pistor &  
 Q. Ogulnius , Legati ad Ptolomæum Regem missi , munera , quæ ab eo priva-  
 tam acceperant , in Ærarium , & quidem priusquam ad Senatum lega-  
 tionem referrent , detulerunt ; de publico scilicet ministerio nihil cui-  
 quam , præter laudem bene administrati officii , accedere debere judicantes .  
 Quare apud Pyrrhum Fabricius ( ut quidem eum inducit Dionysius )  
 quò ostenderet parandarum sibi opum , si ea esset libido , facultatem &  
 occasionem non defuisse , pravam consuetudinem pro lege , & licentiam  
 pro jure accipiens , oratoriè magis quam verè , jaçtat , se justo jure quantum  
 voluisset , ex præda potuisse avertere . Sed ut ad coëptum revertamur ,  
 præda etiam , quæ militi concedebatur , raro admodum diripienda daba-  
 tur . Permisere id quidem interdum Imperatores in arduis rebus , ut au-  
 gerent alacritatem , & incitationem animorum . Gaudet enim miles , &  
 incenditur spe inani ; & cum fortunæ res permissa est , ingentes divitias ,  
 & tantum non aureos montes sibi pollicetur : in æquali partitione nemo  
 me-

metuit, ne fraudetur parte sua; verum non nisi mediocrem, nisi tenuem & miseram prædam expectat: At cum cujusque, quod manu ceperit, fore scit, blanditur sibi magna spe; & quod aliquando uni atque alteri raro fortunæ munere contigit, sibi quisque prædestinat. Sed quum ita incitati animis milites vix retineri queant, quin simul obstantia perruperint, ferróque submoverint hostilem turbam, ad diripiendum alius aliò, disciplinæ immemores, dilabuntur, eaque confusione, conversa sæpiissime forte, à victoribus victi, perculsi, & magnâ castigati clade, luant avaritiæ pñnam, Romani in universum hanc rationem minimè probaverunt, tanquam disciplinæ inimicam, & ancipitem. Raro admodum & extra ordinem, ut diximus, id usurparunt; & ea plerumque lege, ne cui, nisi pugna finita, & dato signo, ad prædam discurrere licet. Cæterum vulgo, & ex lege, omnia ad Tribunos retulerunt, qui non tantum iis qui prælio interfuerant, sed & qui castris præsidio relictí, quique in statione positi, aut aliò missi; imò etiam iis, queis morbus causa absentiæ, summâ fide æqualiter partiebantur. Quod institutum Romanorum dicam, an divini Legilatoris (hic enim idem jubet) quia Disciplina utilissimum, & Justitia sanctissimum, admodum extollit Polybius, & omnibus qui armorum studium ratione promovere cupiunt, autor est, ut adsumant & imitentur. Quoties autem incitari & commoveri animos, res & ratio postularet, non prædandi Fortunæ rem permisere, quæ sëpe in indignos cadit; cum fortissimus quisque bellator segnior fere prædator sit; sed Virtuti ipsi; veluti si quis hostem loco pepulisset, aut primus murum adscendisset, digna præmia constituerunt. Sed hæc alterius loci sunt.

DE VICTU  
CAPUT X.

www.libtool.com.cn

D E  
VICTU MILITUM.

*Ut ventum ad sedes, hæc, inquit, limina, viçtor  
 Alcides subiit: hæc illum regia cepit.  
 Aude, hospes, contemnere opes, & te quoque dignum  
 Finge Deo, rebusque veni, non asper, egenis.*

**L**iceat mihi nunc tabernacula subituro, convictumque & interiorem militum vitam inspecturo, divinis Evandri apud Poëtam verbis uti; quibus contemptum opum luxusque, vitam parvo contentam, & fæcundam Virorum commendat paupertatem. Hæc enim prima omnium requirunt castra: Hæc sunt istorum sacrorum initia. *Nemo miles ad bellum cum delitiis venit*, inquit ad martyras Tertullianus; *Nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis, & substrictis, ubi omnis duritia & imbonitas, & infuavitas consiftit*. Nolim tamen in limine quisquam terreatur duris rerum vocabulis: introéat, quicunque luxu non est perditus; aptissimam illam ad Virtutem, ad Victoriam & Gloriam, vitam, quam proponimus, illam decantatam antiquorum duritiam, minus difficultem & duram inveniet, atque hanc, quam hodie maxima pars Humani Generis vivit; nulla bona causa, sed avaritiâ & libidine imperantium, & iniquitate temporum, non exigunt tantum Virtus, & disciplina Castrorum, quantum nunc aliena imponunt flagitia. Ac si bene rem examines, vita hæc castrensis non alia est, atque illa quam prisci Quirites domi vixerunt; & sicubi divertit, habet tamen sanctæ Antiquitatis quandam similitudinem: Pulte & pane negligenter facto, diu antiqui illi Romuli nepotes propagarunt vitam, qui fuit deinde Castrensis viçtus. Mensis utebantur quadratis, quæ cibillæ vocabantur: ejusdem formæ in Castris ex cespite istruebantur. Varro: *Mensam escariam cibillam appellabant; ea erat quadrata, ut etiam nunc in Castris. In Castris culcitræ uti non licuit*. Scipio enim, autore Appiano, ad Humanitatem cùm habere culciras vetuisset, ipse, quò exemplo firmaret Disciplinam,

plinam, foœnea culcitra usus est. Igitur super fœno vel stramento somnum capiebant milites: Sed & priscorum Romanorum requies & somnus, teste Plinio, in stramentis. Hinc leæticæ & segestria. Varro: *Leætica, quod legebant, unde eam facerent, stramenta atque herbas, ut etiamnum sit in Castris.* Idem: *E segete segestria appellabantur, ut etiam nunc in Castris.* Leæticæ autem hæ lingua Sabina Cubæ dicebantur: Græcè χαμεννάδες. Vasa pauca & vilia: talia & Antiquitati. Tria autem ad victum in Castris licita fuisse, idem ille Disciplinæ ad Numantiam Instaurator, nos docet. Nihil enim militi permisit habere, præter ollam, veru, & poculum. Ollam æneam, poculum ligneum. Permisit autem, non jussit. Neque singulos milites veru tulisse, nec etiam poculum, arbitror. Galeâ certe portasse legimus aquam. Tibullus:

*Et fesso galeâ qui sibi portet aquam.*

Tradit & Appianus, Antonii milites bello Parthico in locis aquarum inopibus, non tantum utribus, sed etiam galeis tulisse aquam. Ac duobus illis olim contentus fuisse legitur Epaminondas. Frontinus: *Epaminondas, Dux Thebanorum, tanta abstinentia fuit, ut in supelleciâ ejus, præter abenum & veru unicum, nihil inveniretur.* Copiosiores fortasse Romanorum Ducum quidam; non tamen multa, nec argentea, aut pretiosa fuit supellex; sed, prisco more,

*Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.*

*Ponebant igitur Tusco ferrata Camino.*

*Omnia.*

Livius in Præda Cannensi: *Præter equos virosque, & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum (nam ad vescendum facto per exiguo utique militantes utebantur) omnis cætera præda diripienda militi data est.* Exiguo inquit, non, nullo. Nam pateram & salinum, ut dîs sacra, ex argento habuere, & quidem sola. Fabricius certe, bellicosos Imperatores plus quam pateram & salinum ex argento habere vetuit. Miles saccum præterea habuit, quo ferret cibaria; & singula contubernia, uti videtur, molam manuariam. Alia etiam quædam apud Historicos, & in priscis monumentis; sed nobis necessaria tantum hic tangere, est constitutum; & de bellicis instrumentis alias locus est. Bis autem die cibum ceperunt; & quidem dato signo totus simul exercitus. Nam quamvis alia aliis Veterum consuetudo esset, ut quidam jentaculum, prandium & cænam sumerent, alii jentarent tantum, & cænarent, alii pranderent cænarentque; quidam etiam ad cænam usque jejuni manerent: in Castris tamen, prandium & cæna tantum notæ sunt: idèò in prandii nomen,

etiam matutinum cibum venire observes : prandii hora in Urbe fuit meridies , vel septima : nec alia vulgo in Castris . Frontinus de Mafinissa , ad Romanam Disciplinam se componente , scribit : *Nonagesimum aetatis annum agentem , meridie ante tabernaculum stantem , vel ambulantem , capere cibum solitum.* Aliquando tamen , praesertim cum in hostem educendus esset exercitus , tempori , etiam summo interdum mane prandebarunt . Livius IX . *Extemplo tesseram dare jubet , ut prandeat miles , firmatisque cibo viribus , arma capiat.* Idem XXVIII . *Tesseram vesperi per castra dedit , ut ante lucem viri quique curati & pransi essent ; armatus eques frenatos instratosque teneret equos.* Leo : *Curae tibi sit prandium militum.* Nam si communi consilio decreta est Pugna , quo tempore optimum judicaveris , prandeat miles . Instante acie , miles mane prandeat , ut magis firmus sit ; & per totum diem , si tamdiu duret praelium , minus deficiat viribus . Vegetius : Veteribus seculis mos fuit , parco cibo curatos milites ad certamen educere , ut citationes sumta esca redderet , & longiore conflictu , non fatigarentur inedia . Peccatum certe , apud Rei Militaris peritos , non vulgare habebatur , educere jejunum exercitum qualicunque diei hora : quod aliquoties insignium causa fuit calamitatum : Frontinus : *Scipio in Hispania cum compelliisset Asdrubalem , Pænorum ducem , jejuno exercitu mane processisse in aciem , continuuit in horam septimam suos , quibus præceperat ut quiescerent , & cibum caperent ; cumque hostes inedia , siti , mora sub armis fatigati , repetere castra cepissent , subito copias eduxit , & commissio prælio vicit.* Livius XXVIII . Procedente die jam vires etiam deficere Asdrubalis exercitum cæperant , oppressos matutino tumultu , coactosque priusquam cibo corpora firmarent , rapuum in aciem exire . Ante prælium ad Trebiam , notat Livius , Hannibalem duabus equitum peditumque præcepisse , ut prandere omnes juberent armati , deinde instratis equis signum expectarent : Sempronium vero rapuum eduxisse homines atque equos , non capto ante cibo , non ope ullâ ad arcessendum frigus adhibitâ . Unde & à parando deducunt quidam prandium , quasi parandum . Trebellius Pollio Salonino Gallieno : *Nam quum cingula sua plerique militantium , qui ad convivium venerant , ponerent hora convivii , Saloninus puer , sive Galenus , his auratos constellatosque balticos rapuisse perhibetur : & quum esset difficile in aula Palatina requirere quod periisset , & taciti militares viri detrimenta pertulissent , postea rogari ad convivium cincti accubuerunt , quumque ab his quereretur , cur non solverent cingulum , respondisse dicuntur , Salonino deferimus.* Atque hinc tractum morem , ut deinceps cum Imperatore cincti discumberent . Negare non possum aliunde plerisque videri hujus rororum esse morem . Dicunt enim militare prandium

dium ( quod dictum est prandium ab eo quod ad bellum milites paret ) à cinctis initum: cui rei argumentum est, quod à discinctis etiam cum Imperatore cœnatur. Descripsi totum locum, quod obscurus est; & viri doctissimi celeberrimi, in notis ad Icriptores Historiæ Augustæ, in eo explicando dissentunt. Casaubonus putat, Imperatorem ad prandium, non ad cœnam solitum Duces suos invitare; idque appellatum esse militare prandium: ad eas epulas convenisse militares viros accinctos; & ita discubuisse servato in Aula Disciplinæ Militaris more. Quærentem itaque Trebellium, unde mos sit ortus discumbendi eo loci cum gladiis, afferre de Salonino historiolam, quæ videatur originem mori dedisse. Verum aliis videri non ab eo casu ortam consuetudinem; sed ipsam convivii institutionem id exigere, probare primùm, ex ipso nomine ducto argumento; quippe id convivium, non coenam esse, verum prandium; neque prandium simpliciter dici, verum militare prandium, ex eo, quod ad bellum milites paret: & si verum esset, cepisse Duces cum gladio discumbere in Convivio Principali, occasione Salonini, aut reverentia in Principem gratia, semper fore ut id servaretur, quoties aliquis vir militaris epulis interesset; atqui non ita fieri: Nam ad coenam vocatos etiam discinctos accumbere. Salmasius, ut omittam priores correctiones, quod pro constellatis baltheis legit, *pustulatos vel costulatos*: Et pro militaribus viris, *ex militaribus viri*: neque enim ad rem nostram faciunt, neque tam probabiles sunt, ut suadeant rejicere vulgatam: in libris ait inveniri *prandium*: deinde legit, *quod ab his cinctis etiam cum Imperatore cœnatur*. Trebellium enim, tractantem de origine ejus moris, quo cincti cum Imperatoribus discumbebant, dicere, quosdam ad Salonini hanec fabulam referre: alios aliunde deducere. Prandium militare dictum, quod milites ad pugnam paret; cinctos autem pransisse, ut statim à pugna, nullâ oblatâ morâ, pugnam caperent. Hinc proverbium, *pransus paratus*: Nam pransos milites ad pugnandum paratos fuisse: quod verum esse, etiam illud argumento esse, dicere Trebellium, quod etiam cincti cum Imperatore coenent: nam etsi ad Imperatoriam coenam rogati, non, militariter coenent; nec prandeant; tamen ad illum morem respicientes, etiam cum Imperatore coenantes discumbere. Hunc verum loci sensum, veram lectionem fuisse: Falsa tamen esse omnia, unde illius moris originem repetunt. Sciendum esse ita cinctos cum Imperatore coenasse milites, ut reliquos omnes togatos: quod enim militi cinctus, id non militi togam; nemini autem togato, qui Imperatoriæ coenæ interesset, licuisse esse non togato: nam qui palliati venissent, togam coactos accipere,

cipere. Magistratibus non licuisse ad Imperatorem accedere , nisi cum Magistratus insignibus : Nec militibus , nisi accinctis ; nec togatis, nisi cum toga. Itaque eandem rationem esse , qua milites cincti , qua togati , cum toga , cum Imperatore cœnent. Hæc Ille. Evidem verum est , & probaverat ex Chrysostomo Casaubonus , nemini , nisi ornamenti suis instructo , ad Imperatorem accedere fas fuisse ; togatis cum toga , pallatiis cum pallio , Magistratibus cum suis quique insignibus. Nec minus verum , militarium virorum proprium , esse cinctum ; unde cincti pro militibus , discincti pro dimissis accipiuntur. Si quis apud Daphnidem cinctus inveneretur , discinctus rediret. Et inter poenas militares , discinctos stare in principiis : In Codice Justiniani , cingulum militiae. Hoc tamen etiam non est ignorandum ; honestiores militarium , & Romanos in urbe Roma , & in Provinciis etiam , utique in hibernis , togâ usos , non tantum cinctu. Ideo togæ ad exercitus mittebantur ; & distinguebantur togati à palliatis , sagatisque. Suetonius Julio : Convivatum assidue duobus tricliniis ; uno , quo sagati palliatique ; altero , quo togati cum illustrioribus Provincialibus discumberent. In Italia certe plerumque togam sumebant : quod & Antonium olim fecisse , & milites facere jussisse , tradunt. Hinc togata cohors , cohors Prætoria Tacito. Mars togatus , apud Martialem :

*Ille sacri lateris custos , Martisque togati.*

De Hadriano Spartianus : *Ipse quum in Italia esset , semper togatus processit.* Ac togatos aliquando discubuisse Imperatores , in hoc ipso Spartiani loco observari potest. *Ad convivium , inquit , venientes Senatores , stans excepit , semperque aut pallio teclis discubuit ; aut toga :* quod tamen ut singulare in Hadriano notari videtur. Ac in ejusmodi conviviis , quibus ipse Imperator hoc habitu , Senatores quoque , & militares , suo haud dubie ac cubuerunt. Cæterum neque vulgo , neque plerumque hoc ornatu convivia celebrarunt ; sed cænatoria veste : ponebant enim tantisper personam , & cum aliis convivebant. Martialis ;

*Synthesibus dum gaudet eques , dominusque Senatus ;*

*Dumque decent nostrum pilea sumta Jovem.*

Unde & Neronem synthesina indutum prodisse in publicum , sine cinctu , & discalceatum , habitu nimirum convivali. Ad hæc convivia ab Imperatore vocati , veniebant quidem ornatu dignitati convenienti , togati , palliatique , & cincti ; sicuti etiam ad privata convivia : peccabant , qui aliter in conspectum prodirent Principis. De Severo Spartanus : *Quum rogatus ad cænam Imperatoriam palliatus venisset , qui togatus venire debuerat , togam præsidiariam ipsius Imperatoris accepit.* Non ait , eum

ēum togatum accumbere debuisse, sed venire ad cœnam. Idem de Hadriano : *Senatores & equites Romanos semper in publico togatos esse jussit, nisi à cœna reverterentur.* Ad cœnam ibant togati, neque sobrii habitum vultumque bacchantum induebant, quia autem intempesta sæpe nocte, certe non de die redirent, & paulo fere hilariores, permisit iis tum absque toga domum repetere. In convivio autem Imperatorio etiam vestem cubitoriam sumfisse, testis est in Maximino Juniore Capitolinus : *Ipse puerulus, inquit, quum ad cœnam ab Alexandro esset rogatus, in Patris bonorem, quod decesset ei vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit.* Idem Sidonius ostendit libro epistolarum primo, de convivio loquens Imperatorio : *Paulum è prospectu Imperatoris processeramus, atque etiam nunc chlamidibus. induebamur.* Ubi intelligere licet resumtam, quam in convivio exuerant, chlamidem. Quæ cum ita sint, nec mos hic in Aula Palatina fuerit ordinarius, certè non perennis, satius sit abstinere manus ; &, cum Casaubono, hunc locum interpretari. Quidam, inquit, à Saloniini fabula derivant hunc morem, quòd à cinctis cum Imperatore convivium ineatur : alii à militari prandio ( nam qualecumque Imperatoris coenam, sive prandium, convivium isti vocant,) quia id tantum in prandiis & severioribus coenis fiat ; in læterioribus vero etiam discenti cum Imperatore accumbant. Origo autem vocis, ut ad cœptum revertamur, à parando, absurdâ non videtur ; quia fere ante pugnam, quum se pugnæ pararent, prandebant ; sæpe etiam summo mane ; præsertim cum etiam in civili vita prandium cum jentaculo confundant Veteres ; & antiquitus prandium dicerent, quod deinde jentaculum. Nam Festus & Nonnius testantur, dictam cœnam Antiquis, quod postea prandium, vespernam, quæ cœna. Ex quo sequitur, etymon Plutarchi, Σπόντε εὐδιάστην, verum non esse. Festus utramque opinionem in loco mutilato proposuerat : *Prandium ex Græco (ostendit, quod sequitur, aliam quam hanc opinionem adjectam fuisse, minime enim quadrat) est dictum ; nam meridianum cibum, cœnam vocabant. Fuisse igitur videtur Prandium ex Græco εὐδίστην ; vel à parando est dictum, nam &c. vel tale aliquid.* Græcos olim etiam de mane pransisse, idem observat Plutarchus : Homero enim ἀερστον, quod Eumæum prima luce jubet apparare, idem esse quod vulgo αὔρην πομπα ; dictumque videri, quasi ἀερστον. Prandebant autem Romani, ex Disciplina Militari, accincti, & stantes ; ut ex Antiquorum testimoniis viri docti pridem probaverunt. Apud Petronium Eulcolpius, cum ad ulciscendam injuriam sibi à Gitone factam, se accingeret : *Hæc locutus, gladio latus cingor, & ne infirmitas militiam perderet,*

deret, cibis excito vires, mox in publicum profilio. Quod, quia duri & adstricti moris erat, poenæ loco interdum imperatum, ne unquam, nec cœnantes, aliter cibum caperent. Livius XXIV. Citatosque singulos jurejurando adigam, nisi quis morbus causa erit, non aliter quam stantes cibum potumque, quoad stipendia facerent, capturos. Rebus etiam asperis & difficilibus, idem noto fecisse. Quintilianus milite Mariano: Cum ali vallum fossaque, scutis immixi, cingant, cibum ipsum stantes capiant, Tribunus inter scorta voluntur? Stantes igitur prandebant, vel etiam ambulantes; præfertim in itinere. Frontinus loco jam citato: Masinissam ante tabernaculum stantem, vel ambulantem, capere cibum solitum. Idem: Amilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane, vesci solitum. Ubi & hoc in Ducibus notandum, quod in propatulo, tam prandium quam cœnam inirent. De Alexandro Severo: Aperi-  
tis papilionibus pransum, & cœnatum esse, tradunt. De Pescennino Capitolinus: Idem in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumvit, ante papilionem; nec sibi unquam, vel contra imbris, quæsivit teclis suffragium. ante omnes, id est, in propatulo, in conspectu omnium, cunctis videntibus, & gaudientibus; ut ait de Severo Alexandre Capitolinus; ut, ante ora, apud Virgilium. Vopiscus Aureliano: vehementissime autem delectatus est Phagone, qui usque eo multum comedit, ut uno die, ante mensam ejus aprum integrum, centum panes venderem; & porcellum comedeleret. Publicum convivium appellant scriptores Historiæ Augustæ; & fere distinguunt à Privato. De Alexandro Lampridius: Pranserat forte publico, ut solebat, convivio; id est, aperiis papilionibus, cibo militari accepto. Quod ipsum ex Antiquitate Urbana, Valerius: Fuit illa simplicitas antiquorum, in cibo capiendo, humanitatis simul & continentiae certissima index. Nam maximis viris prandere, & cœnare in propatulo, verecundiæ non erat; nec sane ullas epulas habebant, quas oculis populi subjicere erubescerent. Res profecto perquam popularis, & in vulgus castrense longe gratissima, vere publicum convivium, quod non luxu gulæque irritamentis, paucos vocatos, sed frugalitatis & continentiae exemplo, omnes juvit. Nemo se arcte contemtique haberi sensit, cum Imperatori & principibus viris adæquabatur. Pane, inquit, accepto vescebatur. Ex castrensi hoc dicam, an Medica disciplina? jubent enim id veteres Medici. Μόνον τὸ ἀρτον, vult accipi Galenus: Celsus: Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & id ipsum siccum, sine carne & potione sumere. Seneca de suo prandio: Panis deinde siccus, & sine mensa prandium: Hinc panem comedere, & panem siccum comedere, est jentare, vel prandere. Nam multi solo pane con-

contenti erant : qui aliquid cum pane , sumebant palmulas , vel caricas , vel mellis , vel salis aliquid , vel casei . Martialis :

*Si sine carne voles jentacula sumere frugi,*

*Hac tibi Veltino de grana massa venit.*

Plerique certe frigida tantum . Julius Capitolinus de Gordiano : *Frigidorum percipidus , nec facile per aestatem , nisi frigidas , & quam plurimas bibit ; & erat corporis vasti : quare magis ad frigidas unguebatur . Nihil hic necesse est legere frigidas , & intelligere mensas ; multo minus edit , scribendum est ; ubi est bibit . Frigida enim hæc , tam cibum , quam potum denotant . Deinde speciatim de frigidis aquis loquitur . Non ignoro , quæ sint φυχέαι τεύπεζαι : sed hic frigida recte legi contendo : quæ saepe in prandio , & sine mensa , sumebantur ; ut in illis Spartiani , qui tradit Pescenninum , militibus , qui raptum gallum gallinaceum comederant , addidisse hoc , poenæ loco , ut in tota expeditione , in manipulatione , nemo focum faceret , ne unquam recens coctum cibum sumerent , sed pane & frigidis vescerentur , appositis speculatoribus , qui id curarent . Ubi profecto mensæ intelligi non possunt . Injunxit autem hic Pescenninus his militibus , ut non aliter cœnarent , quam vulgo prandebant . In prandio enim panem , & si quid esset frigi , & cocti ad manum cibi , sumere licebat : focum facere , & cibum coquere vetitum erat . ἀπυρον τεοφῆν vocant ἀπυρον ὄψον . Polyænus : Ἐκέλευεν ἀεισάν ὄψες ἀπυρον ὄψον : Jussit stantes prandere frigidis . Ita enim rectius vertas , quam cibum incoctum , vel crudum : vox enim ista non semper denotat quod igni admotum non fuit , sed etiam quod igni non admovetur , calidum , & ab igne recens non est . Sic Catonem , δεῖπνον ἀφελὲς , οὐ ἀεισὸν ἀπυρον , prisco more , amasse scribens Plutarchus , non intelligit eum crudis & incoctis tantum ( nam ne pane quidem vesci potuisset ) pransum , sed frigidis : pane solo , vel cibo non recens cocto , ut dixit Spartanus : aut quem coqui non esset necesse ; qualia poma & olera quædam &c . Leviter igitur prandebant : hoc est , quod cibum vilem brevemque dixit Marcellinus , de Juliano suo loquens . Plinius : cibum levem & facilem . Frontinus : pane vesci . Ab simili frugalitate Orientalium , etiam illud est , quod apud Hebraizantes Novi Instrumenti scriptores , ὁ ἀρτος , pro viœtu , & quolibet cibo ad vitam sustentandam necessariō , sumitur ; unde & Dominus nos iussit pro rebus ad hanc vitam necessariis , panem duntaxat Deum orare . Lautius quidem prandere , & in prandio largius se invitare , cum primis vitio dabatur , etiam in communī vita , nedum in militari ; ubi prandebant , ut paratiōes essent ad obeundos labores : hinc , pransus*

paratus ; Proverbiū ; cui alludens Cicero opponit in Miloniana , pran-  
 sus potus . Addē inscitiam pransi poti oscitantis Dūcis . Nam rarissimi qui-  
 dem vinum ; multi in prandio nec bibebant : quidam perfuso aqua pane ,  
 cucumere aut lactuca fitim levabant . Suetonius Augusto : Neque temere  
 interdiu bibit ; pro potionē sumebat perfusum aqua frigida panem , aut cucume-  
 ris frustum , aut laetuculæ thyrsum , aut recens ardumve pomum succi vino-  
 sioris . Sed nos pñne jam hæremus in hoc prandio diutius , quam ex Disci-  
 plina Militari licet . Cænæ hora apud Veteres nona , vel decima ; otiosi  
 temporius ; serius negotiosi cænabunt . In Castris ; Livius IX . Ni-  
 bilo quietior Romanus exercitus imperio Dūcis continetur : decima erat fere diei  
 hora , quum cibum capere Consul milites jubet ; præcipitque , ut in armis sint ,  
 quacunque diei noctisve hora signum dederit . Et in XXIII . Et ad deci-  
 mam diei horam coactis militibus , corpora curare , somnoque operam dare , ut  
 primis tenebris convenire ad signum possint . Possit hic videri paulo maturius  
 extra ordinem coena imperata ; labente tamen die , Prætorio missō ju-  
 stum tempus , quia finita coena , vigiliarum initia signo dato nuntiaban-  
 tur . Congruit id Cyri instituto ; cuius milites , dum luceret cænasse ,  
 scribit Xenophon . Ad vesperam vocabant Antiqui : Nam viles & rusti-  
 eos cibos ante ipsos quibus coxerant focos sumebant ; ut ait Salvianus : eosque  
 ipsos capere , nisi ad vesperam non licebat . Hinc Coena olim vesperna ; &  
 opponitur tempestivis conviviis ; quæ de die , hoc est , medio die , aut  
 non multo fecus ante justam horam inibantur : ea enim neque in Urbe ,  
 absque omni culpa erant ; & in Castris imprimis solutæ disciplinæ . Li-  
 vius de Hannibal milite Capuae luxuriante : Cœperunt epulari de die , &  
 convivium non ex more Punico , aut militari disciplina esse . Aliquando tamen ,  
 expeditione instantे , maturius jubebantur corpora curare . Id enim cœ-  
 næ proprie erat , quando in prandio parcius curarent corpus , & modico  
 se cibo tantum velut accingerent ad bellum . Livius XXV . Electis ido-  
 neis centurionibus militibusque , & scalis in occulto paratis , cæteris signum da-  
 re jubet , ut mature corpora curarent , quietique darent ; nocte in expeditionem  
 eundum esse . Eodem : Reliquum diei expediendis armis , & curatione corpo-  
 rum consumptum , & major pars noctis quieti data : Liv . V . Præcipitque  
 jam die curare corpora milites jubet ; & passim . De Hannibal coena turbat  
 nescio quid Frontinus : Hannibal surgere de nocte solitus , ante noctem non  
 requiescebat ; crepusculo demum ad cœnam vacabat ; neque amplius quam  
 duobus lectis apud eum cœnabatur . Quid , quæso , in eo magnum , si ante  
 noctem non requiescebat ; si crepusculo demum vespertino cœnabat ?  
 videtur fuisse ante lucem . Livius respicit Vigiliarum somnique , nec die  
     nec

nec nocte discriminata tempora. Id quod gerendis rebus supereffet, quieti datum; ea neque molli strato, neque silentio accersita. Nemo hic jam expectet lavacra, balinea, sudatoria, & id genus loca, etiam in Urbe, ut ille ait, Ædilem ~~actuuntia libido~~, nemo ~~unguentia~~, quæque alia prisca luxuria communem in vitam induxit. Procul à mascula hac vita isthæc infamia. Vetita hæc severè; & sicuti per malam libidinem irreperent, continuo à bonis Ducibus coërcita. Sic Scipionem vetuisse lavari milites, autor est Polybius. Sic Antoninus Caracalla, cum se militibus per omnia æquaret, inter alia etiam traditur balineis abstinuisse, apud Epitomatorem Dionys. In Epistola Marci Antonini: *Avidio Cæsio Cyriacus legiones dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes; quas totas excalantes se reperiisse, Casonius Vætilianus scripsit.* Cui respondens Præfectus: *Ille sane, inquit, omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & sinu militi excutiet.* In primis enim balinea & lavacra calida, contra Disciplinam existimabant, ut quæ corpus infirmum, & pigrum reddant, cùm frigida & natationes firment. Qua de causa Veteres uti balineis hyeme; sic per æstatem natationibus utebantur. Quibus & milites post exercitia armorum indulsisse scribit Vegetius: *Campum Martium vicinum Tiberi, ideo delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum, sudorem pulvremque dilueret, ac rurjus lassitudinem, natandi labore deponeret.* Sed non hæc in Castris commoditas, non hoc otium; & illa lavacra, luxus incitamenta, solutæ imprimis disciplinæ. Romanorum ille Alexander, cui Severo inditum est cognomen, apud Capitolinum: *Milites Romani, vestrisocii, mei contubernales, & commilitones, amant, potant, lavant; Græcorum more quidam se instituunt.* Salustius Catilinario de exercitu Sullæ in Asia: *L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem Majorum, luxuriose nimis, & liberaliter habuerat.* Loca amœna, voluptaria, facile in otio ferocis animum militis molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasæ calata, mirari. Apud eundem, Marius: *Quod carum æstuant, id semper faciant, ament, potent;* ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri, & turpissimæ parti corporis; sudorem, pulvrem, & alia talia, relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt. En vitam, vietumque Castrensem, & ingenium vere Martiale, cui sudor pro balineis, pulvis pro unguentis, & hæc ipsa epulis jucundiora. Notes tamen alibi, Præfecto, qui loco cesserat, ignominiæ tantum causa, balineis interdictum. Frontinus: *L. Piso Titium, Præfectum cohortis, quod loco fugitivis cesserat, cincto togæ præciso, soluta tuni-*

tunica, nudis pedibus, in principiis quotidie stare, dum vigiles venirent, jussit, convivisque & balneo abstinere. De eodem Valerius: *Interdixit ei convictum hominum, usumque balnearum.* De unguentis illis balnearum sociis, Cæsar ~~welix libertatis suis~~ etiam unguentatos bene pugnare posse. Sed hæc solutioris moris. Ex prisca Disciplina neque lavacra, neque lecti & triclinia in Castris: à labore & muneribus ad coenam iverunt. Ibi super strumento, gramine vel pellibus accubuerunt. Nam accubuisse cænantes, etiam in Castris, ætate Julii Cæsaris & circa, satis apparet, cum Duxes quosdam sedentes cepisse cibum, notent tanquam insolitum. De Tiberio Cæfare Suetonius: *Eum vitæ ordinem in Germania tenuit, ut sedens in cespite nudo, cibum caperet; saepe sine tentorio pernoctaret.* Et de Catone Plutarchus: *Post cladem Pharsalicam, sedentem semper cœnasse, nec recubuisse, nisi somni causa.* Sane veteres Romanos sedentes cœnasse, autor est Varro; unde & considerare dicebantur: postea viros discumbere cœpisse; mulieres sedere: *quia turpis visus in muliere accubitus.* Idem Marcus Curius probat, qui agresti se in scanno assidentem foco, atque ligneo catillo coenantem, spectandum præbuit. Etiam Heroës prisci gramineo sedili locantur. Quare Veteribus, in Castris, id quoque fortasse obtinuit: postea discubuerunt: Fere autem contubernales unà cœnasse videntur; utique quoties lauatoris aliquid opsonii. In Pescennino Spartianus: *Decem manipulones, qui raptum gallum gallinaceum ab uno comederant, secuti percuti jussit. & mox: Decem, qui furto simul convixerant, jussit, ut deorum gallinaceorum pretia provinciali redderent.* Manipulus enim, sive contubernium, utique sub Imperatoribus, ut diximus ad Hyginum, decem homines semper fuerunt. Glossarium vetus: Contubernium δεκαρχία, ανία, βάθρον τὸ ἀντών. Apud Mauritium etiam, & Leonem, contubernia semper decem hominum sunt. Leo: λόχος, ἡ σίχος, ἡ ἀντά, ἡ νοντελέπνιον τὸν τὸν ἐσν. Inde aciem per contubernia intruunt, id est, decem hominibus: quod cum & Mariana militia sèpius factatum; & hic numerus dividendæ in tot centuriæ sit longe aptissimus, non aliter olim veteri Republica arbitror fuisse. Contubernales igitur convivebant; vel etiam Cyri apud Xenophontem instituto. Ac inde tandem natum vocabulum, quo hodie contubernales designamus, *companiones*; & quo centuriam, *companii*, quod eadem annona uterentur, panemque una comedenter. Addebat autem in caena pani, vel pulsi cibum coctum & opsonii aliquid; eam in rem proprie pecunia militi numerata. Cum enim frumentum, vestis, tentoria, arma præberentur publicè, eoque nomine certum de stipendio pretium deduceretur; sola erant, quæ pecunia

cunia ad victum compararentur opsonia. Hinc Græci stipendum Romanum ὀψώνιον vocant: Nam cum stipendum dividant in ὀψώνιον & στιπέστον, & interdum utrumque, interdum alterum tantum militibus dederint; Romani autem στιπέστον in frumento accéperint: pecuniam, quæ erat maxima pars stipendi, non alio verius, quam opsonii nomine appellare potuerunt. Quemadmodum enim στιπέστον, nunc frumentum est, nunc pecunia, frumenti nomine data: sic opsonium non tantum cibaria, quibus cum pane vescimur; sed etiam pecunia, quibus ista comparantur, ἀργύρειον εἰς ὀψωνιασμὸν, ut aliquoties proprie dixit Dionysius, & Thucidides apud Pollucem. Ἡποτε τείχοις οὐκέτι ὀψώνιον. Atheniensibus ipse etiam locus, in quo vendebantur cibaria, ὄψον. Veteres autem Græci minime invidiosa vocabula in ipsis amabant; quos secuti deinde Romani, nominibus quæ nihil nisi necessaria, & minima quæque præferrent, magna etiam stipendia appellabant. Sic annona, salarium, vasarium, clavarium, calcearium, stipendiorum & donativorum facta vocabula. Rarum & insolens, foedo nomine aliquid accipere. Plinius: *Accepérat sēfertium decem millia, fædissimo quidem titulo nomine unguentarii.* Sed ut ad coeptum revertar. Opsonio quod ad manum, carneque vel affa, vel elixa, in coena utebantur. Frontinus: *Q. Metellius bello Jugurthino similiter lapsam disciplinam pari severitate restituit; cum insuper prohibuisset alia carne, quam affa elixave, milites uti.* Lipsius hic: O risu rem dignam! ὁ cumulum severitatis! quid, malū, igitur, crudis antea usi? considerare te jussi, imò nunc emendare (nec aliter evolvo) alia carne, quam à se affa elixave; vox, aut voculæ duæ inferendæ, quas eduxi è consimili verbo. Id plane jam consonat verbo, & Sallustianis illis, *ne quis cibum coctum venderet.* Quæ conjectura in textum est recepta; & mihi quoque siebat probabilis: tamen cum inspicio Appianum, & Polyænum, idem de Scipione ad Numantiam narrante, dubitare cogor. Polyænus: ἐκέλευεν ἀερισάν ὁρθὸς ἀπυρον ὄψον. δειπνεύντας δὲ, πεσσφέρεθαι καὶ κρέας ὅπλὸν καὶ ἐφθῆν. Appianus: Τάπε στία ἀντοῖς ἀερισον κρέας ξεστά, καὶ ὅπτα εἶναι. Videntur in Castris ipsis, luxu perditis, variæ ciborum conditiones, & id genus gulæ irritamenta, vulgari in usu fuisse, quæ non tam cibi sunt, ut ille ait, quam mollis & luxu languentis animi insanæ cupiditates. Ideo Scipio & Metellus, quo removerent à castris ista μηχανήματα, quæ magis quam ipsam carnem appetunt luxuriosi homines, præceperunt quo genere cibi, & quomodo uterentur, nempe carne, & quidem affa vel elixa, id est simpliciter cocta (id enim proprie est affum, vel elixum, & opponitur, deliciis varie conditis) αὐτῶν διάταν vocant Græci,

Græci, qua etiam usi prisci Heroës, & quidem bubula affa ut plurimum: ea enim apud Homerum tam regibus quam privatis, tam senibus, quam juvenibus datur: elixa enim in usu non fuit. Somnus, Cœnæ subiungitur; nec quicquam hic aliud observavi. Livius: *Tum quidem corpora cibo somnoque curant.* Virgilii:

*Corpora curamus, fessos sopor allevat artus.*

Nam neque somni horas liberas fuisse; & idem tempus omnes quieti dedisse, tradit Flavius Josephus.

## C A P U T X I.

## D E I T I N E R E.

 Ed nos diutius quàm proposueramus, in his Castris & Castrensi vita, tanquam in otiosis stativis, desidemus. Boni Imperatores, non tantum sanitatis, sed etiam Disciplinæ causâ, in pacato subinde movebant castra, & militem hoc illuc raptantes exercebant. Sequamur morem eorum, etiam in his Exercitacionibus nostris. Feramus signa. Signum profectionis, Tesseræ, vel Tuba, vel utraque dabatur. Tesseræ quidem sola, cùm, occultè Castris egrediendo, hostem fallere placeret: Utraque, cum aliquid extra ordinem edicere, quod Tuba significari non posset; aut quod ante horam moneri militem vellent; aut cum diversis è locis, castellisque, contrahendum agmen. Hinc illa tam frequens mentio Tesseræ expeditionis; Tesseræque qua iter edictum; in Ammiano, aliisque: Sed, ex consuetudine militari, solis semivocalibus, quæ vocant, signis, non raro iter edicebatur; nec quicquam ante tubam enuntiabatur. Frontinus: *M. Licinius Crassus, percontanti, quo tempore Castra moturus eſet, respondit, vereris ne, Tubam ut audias?* (ita enim scribendum ex vestigiis scriptorum Codicuum, in quibus est *tubam id audias*; non, ut in vulgatis, *non exaudias*) Tria autem dabantur signa, diversis haud dubie modis sonisque; quò à milite distingui possent; sed & signis diversis: quamvis hæc confundant scriptores, ut fere similia; & modò tubæ, modò classici me-

meminerint. Livius XIV. *Classico signum profectionis dedit. Idem XXIX. Secundum eas preces cruda exta, cæsa victimæ, uti mos est, in mare porrificat, tubaque dedit signum proficisciendi.* Valerius Flaccus:

*Solverat amplexus tristit tuba tertia signo.*

Lipsius, Polybium explicans, primum signum classico opinatur datum: At paulo post Josephum citans, qui in primo signo σάλπιγγα singulareiter ait sonuisse: in altero tertioque σάλπιγγας, primo tubam, secundo tertioque classicum credit cecinisse. Vegetius cap. XXII. quo conatur ostendere tubæ & cornuum differentem usum; præterquam quod ipse more suo turbat, ab aliena etiam manu, quæ ei interpretis loco esse voluit, vitiatus est; ut alibi ostendo. Discremen autem quod in hac re ex isto colligitur, illud est; quod cum soli milites sine signis aliquid jubantur, tubicine id fiat. *Sive ergo ad vigilias, aut agrarias faciendas, sive ad opus aliquod, vel ad decurcionem campi exeunt milites, tubicine vocante, operantur; & rursus tubicine admonente, cessant:* At in principio capititis dixerat: *Tubicen ad bellum vocat milites; & rursum receptui canit;* quasi ad bellum sine signis iret miles; aut non consisterent signa, retroque ferrentur, cum canebarunt receptui: quæ profecto ipse non intellexit; &, nisi fallor, ex Veterum aliquo corrupit, non descripsit. Videntur autem debere intelligi de tubicinibus singularium cohortium; qui, cum procurrere ante signa juberetur miles, cecinerint; ac iterum, sed mutatis modis, cum juberetur se ad signa recipere. De vigiliis quidem quod ait, in veteri Militia ita non fuit; ad Buccinam inibantur. Alibi etiam ipse dixit, à *Tubicine committi vigilias, à Cornicine revocari:* ex quo suspicetur aliquis, cubare in mendo alterutrum istorum locorum. Sed ea est Veterum in hisce rebus negligentia, dum alia tanquam nota transeunt, alia confuse dicunt, quasi quodam Eloquentiæ jure, ut difficile sit sæpe verum videre. Vegetius autem passim in hoc scripto, neque cum Veteribus, neque secum latis concors est. Sed loco priori pergit: *Cum autem moventur signa, aut jam mota figenda sunt, cornicines canunt.* Ex quo colligitur, tertium saltem signum classicum fuisse. Leo ad buccinæ sonum militem vult procedere; & rursus, ad aliud modum, consistere. Signa igitur ad buccinam, hoc autore, ferebantur, aut constituebantur. Signiferum enim sequebatur miles; eo consistente, consistebat; procedente, procedebat; Dio, in pugna Philippensi inter Brutum & Augustum, primò unum utrimque tubicinem cecinisse; mox alias quosdam pariter respondisse; eoque, ut se prælio pararent, monitos milites; deinde omnes reliquos. Ad pugnam istic vocantur, hinc ad iter:

M m

proin-

proinde alii haud dubie modi; apparet tamen hæc similitudo, quod ter cecinerunt; & quod primò non omnes. Idem haud dubie etiam in itinere fuit: primò enim signum non potuerunt dare singularum cohortium tubicines, neque enim parati fuerunt: & Josephus unius tantum meminit: quare ad Prætorium tum signum datum: Secundum, per totum exercitum; quo & parati esse jubebantur, & paratos esse significabent: οὐ πάλιν εἰ στάλπηγες ὑποτυμάνουσι παρεσκευάθαι, inquit Josephus. Tertium plenum fuit Clasicum. Ad primum signum conclamabat vasa miles. Cæsar de bello civili primo: *Quo cognito, signum dari jubet, & vasa militari more, conclamari: illi exaudito clamore, &c.* Sicut enim cum ad arma conclamabatur, quando expediti in hostem ducendi erant, ad capiendum arma discurrebant; sic ad vasa sarcinasque componendas, cum vasa conclamabantur. Cum autem sola tessera dabatur signum, hæc conclamatio non fiebat; jubebanturque vasa silentio colligere. Livius X XI. *Itaque proxima nocte jussis militibus vasa silentio colligere, castra ab Ticino mota;* id paulo post appellat tacito; & alibi, silenti agmine profisci. Raro id faciebant, nisi fallendo hosti, & in metu. Ideo conclamationem militare institutum appellat Cæsar, quod post prælium Dirrachinum castra movens, ne negligere videretur; & tamen, priusquam rescisceret hostis, ad iter proficisciatur, conclamare jussit, cum jam postremum agmen in portis pene esset. De hac enim conclamatione, non de illa altera, de qua mox loquemur, quod suspicatur vir clarissimus, accipiens est Cæsar. *Duas, inquit, in Castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit, parvoque spatio intermisso, ut & militare institutum servaretur, & quam serissime ejus profectio cognosceretur, conclamari jussit, statimque egressus novissimum agmen consecutus, celeriter è conspectu castrorum discessit.* Κατελένουσι τὰς σκλιώδες, ή συνήθεα τὰ Φορνία. Detendunt tabernacula, & sarcinas colligunt. Erat enim hoc primum quod profecturi facerent; unde Varro: *Annus oclogesimus me admonet, ut sarcinas colligam, antequam proficiscar è vita.* Nec colligebant tantum vasa, sed in fasciculum colligabant, ut apte humeris inter arma geri possent. οὐενάστειν etiam dicunt Græci. Hic autem illud observatum monet, ne quis detenderet tentorium suum, priusquam Imperatoris Tribunorumque fuerint detensa; quemadmodum nec constituebant in positione castrorum; nisi iisdem priùs constitutis. Ad secundum signum sarcinas jumentis imponebant. Addit Josephus incendisse castra, ne ea essent usui hostibus: & ex eo signum expectasse, animis corporibusque paratos velut ex carceribus exire: Alioquin

quin modeste, nec admodum magno strepitu, movisse castra, docet Cæsar de bello Gallico sexto: Ubi simulans timorem, & fugæ similem profectionem, majori strepitu, inquit, quam Populi Romani fert consuetudo, castra movere. ~~Ex libro eiusdem~~ Dirucrunt interdum & munitionem omnem; sed ad primum haud dubie signum, non ad hoc secundum; tum enim vallos ex aggere repetebant, iisque exscindendis munitionem dejecrunt: non tamen semper, hoc fecerunt: post prælium Dyrrachinum; & Cæsar, & Pompejus, in suis veteribus ad Asparagum castris; quorum munitiones adhuc erant integræ, confessisse memorantur. Tertio vero signo dato, castra moverunt; primique è castris profecti sunt:

*Solverat amplexus tristi tuba tertia signo.*

Addit *Josephus* singularem hic morem Romanorum, libro A<sup>Δ</sup>λώσεως III.  
Ἐξεῖναι ἐπὶ Ἑρατοπέδου δέον, ὑποσημαίνει μὲν ἡ σάλπιξ, ἡρεμεῖ ἐπὶ οὐδείς,  
αἵμα ἀμαρτιῶν τὰς μὲν οἰκιών τινας αἱροῦσιν. πάντας ἐπὶ ἔξαρτονται περὶ  
τὴν ἔξοδον, καὶ πάλιν αἱ σάλπιχες ὑποσημαίνεται παρεποδάδην. οἱ δὲ ἐν τα-  
χεῖ τοῖς τε ὄρεσι, καὶ τοῖς ὑποσημαίνονται ὑποπέδεντες τὴν ἀστοκοῦλην, ἐστασιν ἀπειρ-  
έψῃ ὑποληγγῷ ἐξορμᾶν ἐπιμοι. ὑποπτηρεύεται τῇ ἡδη τὴν παρεμβολὴν, ὡς αὐ-  
τοῖς μὲν ράδιοι ἀκεῖ πάλιν τεχνοῦσι, μὴ γάρ οιτο ἐπὶ ἀκεῖνο ποτὲ τοῖς πολεμοῖς  
χείσιμον. ήτις τον ἐόμως αἱ σάλπιχες περισημαίνουσι τὴν ἔξοδον, ὑποπέρ-  
χουσαι τὸν δι αἰτίαν πνον βεβαδίωνται, ὡς μὴ τὶς ἀστολειφθείν ταῖξεν. ὅτε  
κῆρυξ δεξιὸς τῷ πολεμάρχῳ προσετάσσεται, εἰ περὶ πόλεμον εἰσὶ ἐπιμοι τῇ πατεῖσι  
γλώσῃ, τέτοιοι αὐτοταπειθανετοι, κακεῖνοι ποστυτάκις αὐτοποιῶσι, μέρα π.η. πεδί-  
τυμον, ἐπιμοι λέγοντες, Φθαίνουσι τε τὸν ἐπερωτῶντας, καὶ πνῷ δρυσίου πνού-  
ματῷ ὑποπτηρεύοντάριμνοι, τῇ βοῇ συνεξάγουσι τὰς δεξιὰς. ἐπειδὴ περιόντες,  
σδεύσοντι ισχῇ καὶ μὲν κόσμου πάντες, ὡσπερ ἐν πολέμῳ τὴν ιδίαν ταξιν ἔκα-  
σσος φυλάσσων. Id est, Cūm autem castris egrediendum est, Tuba indicium fa-  
cit: nemisque otiosus est; sed vel solo nutu moniti, tabernacula tollunt, omniā-  
que ad profecitionem instruunt. deinde iterum tuba ut sint parati significat. Illi  
autem cūm mulos & jumenta sarcinis oneraverint, velut in curuli certamine  
signum exspectant. Castra verò incendunt: eo quod sibi alia munire facilest,  
& ne quando hostibus eadem usui sint. Et tamen tertio quoque tubæ signo in-  
dicant, ut cœreatur: urgendo aliqua ex causa morantes, ne quis ordinem de-  
serat. Dextérque Duci præco astans, si ad bellum parati sunt, voce patria ter-  
percontatur. illique toties alacri & magna voce paratos esse respondent, in-  
terrogantēisque præveniunt: & Martio quodam spiritu repletum clamore  
dextras erigunt. Deinde otiosè & cum omni decore progredientes ambulant,  
suum quisque ordinem velut in bello custodiens. Quem locum, quia ratio-  
nem movendi castra describit, totum hic inserere volui. Vir eruditissi-

mus hic Præconem primo de castris ejicit Romanis; sed nullâ causâ, ut ad Hyginum dixi: deinde morem istum quamvis nusquam legisse fateatur, censet tamen interrogasse, an in procinctu essent? Nemo quidem alius Veterum distincte & clare hunc descripsit morem: tamen ea in bonis autoribus, præsertim in Cæsare, in ritibus militaribus proprietatis amante, vestigia reperio, quibus hunc morem indicari, obscurum non est: & illud satis appetet, proprie hunc clamorem expressissime Josephum, nec conclamasse milites in procinctu se, sed paratos esse. In primo Gallicorum commentario, cum ingens Germanorum timor omnem exercitum occupavisset, adeò ut quidam Cæsari renuntiarent, cum castra moveri, ac signa ferri jussisset, non fore dicto audientes milites, neque propter timorem signa laturos, Cæsarem oratione habita edixisse, se proxima nocte de quarta vigilia castra moturum, ut quamprimum intelligere posset, utrum apud eos pudor, atque officium, an timor plus valeret: quod si præterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, sibique eam Prætoriam cohortem futuram. *Hac oratione habita, inquit, mirum in modum conversæ sunt omnium mentes; summaque alacritas & cupiditas belli gerendi innata est, princepsque decima legio per Tribunos militum ei gratias egit, quod de se optimum judicium fecisset; seque esse ad bellum gerendum paratissimam, confirmavit.* Idem Cæsar, suscepturnus Civile Bellum, in Italiamque moturus, cum apud legionem decimam tertiam concionatus esset; iisque rationem consilii sui aperuisset: *Conclamant, inquit, legionis XIIII. quiique aderant milites (hanc enim initio tumultus evocaverat; reliquæ nondum advenerant) se se paratos esse Imperatoris sui, Tribunorumque plebis injurias defendere. Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiscitur.* Lucanus, in hac conclamacione militum Cæsaris, etiam ritum dextras attollendi, quem notat hic Josephus, describit: Lælium enim primipilum inducens præeuntem, verba, quibus se ad omne facinus pro Cæsare paratum ostendit, adjicit:

*His cunctæ simul assensere cohortes.*

*Elatasque altè, quæcumque ad bella vocaret,*

*Promiseré manus; it tantus ad æthera clamor.*

Apud Cæsarem eodem primo libro: *Totis castris milites circulari, & dolere, Centuriones Tribunosque militum adire, atque obsecrare, ut per eos Cæsar certior fieret, neu labori suo, neu periculo parceret, paratos esse se, posse & audere transire flumen.* Eodem: *Concurrebant legati Tribunique militum, ne dubitaret prælium committere, omnium esse militum paratissimos animos.* Quæ loca ostendunt, proprie reddidisse Josephum conclamacionis militaris,

taris, & reböantium vocem, *erouoi*, parati, paratissimi; hinc proverbiū, *pransus paratus*. Possit aliquis suspicari, corruptum & inde vocabulum *barritus*; nisi & Germanorum esse, & in ipsa acie, non cum egredierentur è castris, <sup>wally library</sup> *veteres*. Educi militem portâ Prætoriâ, ostendit Polybius; & ita vulgo fieri solitum, non est dubium. *Speculabat enim illa*, ut ait Vegetius, *locum qui ad hostes respiciebat*; aut si iter agebatur, *illam partem attendebat*, ad quam erat profecturus exercitus. Non raro tamen pluribus portis observes eductos. Cæsar, cum post prælium Dyrrachinum ab hoste recederet, *duas in castris legiones retinuit*; reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit. Ante prælium Pharsalicum Cæsar: *Tunc Cæsar apud suos cum jam esset, agmen in portis differendum est*, inquit, *iter in præsentia nobis*, & de prælio cogitandum; *sicut semper depoposcimus*; *animosius ad dimicandum parati*, &c. Livius: *Nec detrectavit Hannibal*, ut signa portis efferri vidit. Ut igitur, quod in prætentura militum, porta Prætoria cum in hostem iretur, ita portis principaliteribus prætorii, & in retentura proxime eas confidentes copias, verisimile est eductas. Quoties in hostem erumperent, omnibus legimus sæpe portiserupisse. Sed nos de agmine agimus. Elatis è castris signis, explicabant agmen, & eam illi formam dabant, quam in itinere, aut acie servaret.

*Cum longa cohortes.**Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto.*

Livius II. *Classico signum perfectionis dedit*: quum maxime agmen è castris explicaretur, *Volsci*, ut eodem signo excitati, novissimos adoriantur. III. *Consul Romanus*, priusquam totis viribus fulta constaret hostium acies, intulit signa, adoriusque, nec omnes dum eductos, nec qui erant satis explicatis ordinibus. Non enim mediocris cura erat Veterum, ob insidiarum oportunitatem, quomodo in hostico agmen ducerent; & pæne major, quam in ipsa acie, quia majus periculum. Vegetius: *Qui rem militarem studiosius didicerunt, afferunt plura in itineribus*, quam in ipsa acie pericula solere contingere: *nam in conflictu armati sunt omnes*, & hostem eminus vident (ita scribendum, non *ominus*, ut est in vulgatis) & ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere autem, minus armatus, minusque intentus est miles, & superveniente impetu, vel fraude, repente turbatur. Ideoque omni cura omniq[ue] diligentia providere debet Dux, ne proficiens patiatur incursum; vel facile, ac sine damno, repellat illatum. Nam in acie erant expediti; hic impediti sub sarcinis: in acie parati, hic imparati. Cæsar: *si propter inopiam rei frumentariae, Romani sese recipere cepissent*, impeditos agmine &

sub sarcinis, infirmioresque animo adoriri cogitabant. Idem: *Illi exaudito clamore, veritatem, noctu impediti, sub onere configere cogerentur.* Hirtius Alexandrinus: *Adeoque à Barbaris est contemtus, ut in agmine dimicare sit coactus.* Quare Vegetius Jubet DuceM id agere, ut naturam locorum, per quæ ducendus est exercitus, & bene cognitam habeat, & perspectam; cuius rei aliquot dat præcepta: *Primum, inquit, itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissime debet habere prescripta, ita ut locorum intervalla; non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitate, (ita enim scribi debet) perdiscat, compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem descripta, consideret, usque èò, ut soleriores duces itineraria provinciarum in quibus necessitas geritur, non tantum adnotata, sed etiam picta habuisse fermentur; ut non solum consilio mentis, verum aspectu oculorum viam profecturis eligerent.* Quo in loco obiter moneo, mihi suspeatum illud esse; *necessitas geritur;* & ab imperitis videri repetitum ex superioribus: *Itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, &c.* non enim, opinor, dixit *necessitas geritur;* nec habet idoneum hoc loco sensum. Necessitas quidem Vegetio interdum significat locorum iniquitatem, quam evitare nequeas, ut libro I. *Prout loci qualitas, vel necessitas postulaverit, castra facienda sunt.* Idem de ponte: *Defensores milites debet accipere, à quibus tamdiu teneatur, quamdiu locorum necessitas postulat.* Quo sensu si hic accipienda *necessitas,* legere possis; *itineraria provinciarum in quibus necessitas;* vel *in quibus necessitas reperitur.* Alibi necessitatem vocat ipsam pugnam, & periculum pugnæ, libro III. *Qui magis exercitati, qui sint in necessitatibus fortiores.* Idem: *Maxime autem tractandum est, utrum expeditat necessitatem protrahi, an celerius dimicari.* Idem: *In necessitate subita, quæ terrent, provisa, non solent esse formidini:* hoc sensu, ut necessitatem protrahere, sic necessitatem geri, dixisse possit videri. Offendit tamen, ut verum fatear, aures meas, & malim timetur, vel tale aliquid: si quidem servare hoc loco vocem *necessitas* velis; nec si hac deleta, *res geritur,* rectius putas substitui. Sed hæc obiter. Jubet præterea à prudentioribus, & locorum gnaris, omnia perquirere, intercipere duces peritos, & quidem complures, eosque custodiæ mancipare, addita poenæ, vel præmii ostentatione; occultare quantum licet, quod ducatur agmen, & omnia late explorare, &c. Romani autem præter hæc, quæ sua cuique suggesterit prudentia, habuerunt certam agminis ducendi rationem tutam & compositam, à qua raro admodum recesserunt. Ea enim in omni bello populi Romani fuit Disciplina, nihil ut temerè, nihil inconsultè, sed omnia certâ ratione, certoque gererent ordine, quo nihil

hil nec opinati timerent, prælioq; etiam parati quodammodo essent, cum erant imparati: plane ut re bene perspecta, dici merito queat, non tantum instructum ad pugnam exercitum Romanum, in acie stare, sed castra nihil aliud esse, quam confidentem, nec agmen aliud, quam ambulantem aciem. Nos, ne huic parti desimus, videamus primò universam agminis speciem; deinde singulas partes consideremus. Varro apud Servium: *Duo sunt genera agminum: Quadratum, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere: Pilatum alterum, quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quod facilius per iniqua loca transmittatur. Scaurus, de vita sua. In agrum hostium veni, pilatum exercitum duxi, id est, strictum, & dense. Quærunt Docti, quæ sint hæc genera, quæ formæ agminis? Lipsius, duo genera agminum Polybii explicans, monet, ad hæc pertinere locum Varronis; sed videri in altero genere nulla interponere jumenta: quod se non videre, quî verum esse possit: Nam, ut Polybius quidem describat, non immixta fuisse, sed tamen intersita, sic ut ordines non turbarent; & triplex modò agmen omnium copiarum esset, haud aliter quam in acie instructa. Habere se & hoc dubium, quod Servius prius agmen quadratum appellat, non magis alterum: hoc enim verius; certe de isto in hostili agro, & Salustium, & Senecam sensisse, ubi quadrati agminis meminere. Salmasius de quadrato quidem agmine propriè non agit, in iis quæ scripsit de Re Militari; sed de quadrata acie; de qua tamen interpretatur aliquot Veterum loca, in quibus quadrati agminis mentio: ut illum Tibulli:*

*Seu sit opus acies quadratum sicut in agmen.*

Et Catonis illa: *Una depugnatio est fronte longa, quadro exercitu. Item Senecam, qui de Sextio ait: Movit me imago ab illo posita, in quadrato agmine exercitus, ubi hostis ab omni parte suspectus est pugnae paratus. Probat autem multis, quadratam aciem non esse Romanis eam, quæ Græcis περάγων τάξις, & interdum πλινθίον, & περάτηληγον vocatur; id est, quæ spectat in quatuor partes, & ab omni latere habet milites contra hostem obversos. Negat idem quadratam aciem Romanis esse, quæ æqualem latitudini longitudinem, & tantundem introrsus militum, quantum in fronte habeat, quam Græci vocant περαγωνισμὸν τάξις. Nec eam quæ quadratam pedaturam, quam ἐμβαδὸν appellant, occupat. Nunquam hunc περαγωνισμὸν in acie instruenda observasse Romanos; nec eo sensu quadratam aciem, aut quadratum exercitum, nuncupasse, cuius latitudo æqualis esset in omnes aspectus latitudini; sive ex numero militum oriretur ea quadratura, sive ex loci facie: Quadrata ligna dice-*

re Latinos de trabibus quamlibet longis; quæ lateribus tantum sint quadratis; & quadratum saxum, quod longius est quam latius; quamvis cubi figuram non ferat. Hanc esse formam exercitus quadrati, satis esse, ut hoc nomen gerat, frontem habere rectâ lineâ exæquatam, & ad extremitates angulos rectos. Hanc *quadrata fronte* dici *Vegetio*, & quadratam, quæ quaternos introrsus habeat ordines. Non disputabo hoc loco cum viro clarissimo, quam Romani vocaverint aciem quadratam, dum ipse fateatur quod fatetur; *Vegetium* à quatuor ordinibus hoc deducere nomen, non à forma, quæ habet frontem rectâ lineâ exæquatam, & ad extremitates angulos rectos: si enim hoc satis esset, si minus simplex, at certe duplex acies, quam ibi palam distinguit à quadratâ, quadrata dici deberet: utraque enim rectam frontem, rectosque frontis angulos habet. *Producendi ergo*, inquit, *tyrones sunt semper ad Campum*, &, secundum matriculæ ordinem, in aciem dirigendi; ita ut primo simplex extensa sit acies, ne quos sinujs, ne quas habeat curvaturas, ut æquali legitimoque spacio miles distet à milite. Tunc præcipiendum, ut subitò duplicant aciem ita, ut in ipso impetu is, ad quem respondere solent, ordo servetur. Tertio præcipiendum, ut quadratam aciem repente constituant. Non igitur *Vegetio* sufficit oblongam, & rectis angulis esse frontem, ut acies dicatur quadrata. Aliud præterea requirit, nec in hoc nomen recipit duplicatam aciem. Hoc si mihi concesserit vir celeberrimus, quod ibi docet, non tantum concedit, non ultrà pugnabo; nec ulla est causa pugnandi: vix quenquam veterum Romanorum quadratæ aciei mentionem facere, memini, sed quadrati exercitus; & sæpiissime agmine, etiam cum de acie loquuntur. Recognosce mecum verba paulo ante citata: *Una depugnatio est fronte longa quadrato exercitu.*

*Seu sit opus acies quadratum sistat in agmen.*

*Movit me imago ab illo posita, ire quadrato agmine, ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugnæ paratus. Adjice his alia. Salustius de Mario: Neque tamen Victoria secors, aut insolens factus, sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere. Livius XXXI. Consul equitibus jussis, quæ quisque posset opem ferre laborantibus, ipse legiones è castris educit, & agmine quadrato ad hostem dicit. Et Livius XXXIX. Inde tertia vigilia sublati signis, quadrato agmine principio lucis ad Tagi ripam perveniunt. In Ludo quoque describit Livius quadratum agmen juvenum, qui testudinem fecerunt fastigiatam, sicut teæta ædificiorum sunt. Quum alios cursus motus edidissent; quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiiis magis, & quartis postremis etiam genu nixis,*

nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. Se-  
xageni juvenes erant, qui instruebantur in formam quadrati, parte alte-  
ra longioris; quinque vel sex ordines in latitudinem; decem vel duode-  
cim in longitudinem: qui more Vegetiano ordinati, occupabunt tri-  
ginta per triginta sex pedes. Hirtius de bello Gallico VIII. Hac ra-  
tione pene quadrato agmine instructo, in conspectum hostium, celerius opinione  
eorum, exercitum adducit. Nec profectò scriptores Rerum Romanarum,  
sine justa & gravi causâ, in eo conspirant, quod toties quadrato agmine  
in hostem duci scribunt, nunquam quadrata acie. Quid enim non dicit  
potius Varro, vulgarem aciei formam esse fronte longa, & quadrata,  
vel fronte longa, quadrata acie? De acie enim loquitur, non de itinere.  
Quid non Seneca? hostem enim ab omni parte pugnæ paratum imagina-  
tur. Quid non cæteri? in conspectu hostium incidentem describunt  
exercitum. Quid hic tam accurate loquuntur, qui in plerisque istis re-  
bus tam confusè? Nam & Latini interdum agmen pro acie accipiunt, &  
contra etiam pro agmine aciem; præsertim sequioris ævi scriptores. Ve-  
getius de itinere: *Illud quoque vitandum, ne per negligentiam aliis festinan-  
tibus, aliis tardius incidentibus, interrumpatur acies, aut certe tenuetur.*  
Etiam Græci τετάγωνον ταξιδίον solent in itinere vocare agmen quadra-  
tum. Haud dubie igitur hic tam accurati, ad evitandam ambiguitatem,  
quod nimis aliud est quadratum agmen, aliud quadrata acies. Res ipsa examinetur. Cum acies in quadratum agmen consistit, vel exerci-  
tus quadrato agmine in hostem ducitur, instructum fuisse vulgari & le-  
gitimo modo, Cato disertè dicit. Eam autem fuisse Veteri Republi-  
ca rationem instruendi, ut exercitus in triplicem aciem tribueretur,  
notum est: ex acies fronte longa erant, & eadem longitudine omnes.  
Nec multum introrsus latitudinis habebant, si cum frontis longitudine  
comparentur; ne universæ quidem: Sed erat inter singulas spaciis alii-  
quid ad concurrendum; & interdum sequebantur eodem ordine impedi-  
menta. Hinc ἐπιβαδόν illud, quod occupat totus exercitus, ad quadra-  
tum accedit. Neque enim refert, an ad pedem quadratum. In Martio,  
non in Mathematico pulvere versamur. In acie frons longior, contra-  
ctior in itinere: quia tamen universa forma ad quadratum accedit, ut  
trunque recte dicitur agmen quadratum. Accedit, quod latera sæpe  
eques tuebatur, quo, cum prima acies in fronte esset, lubsidia à tergo,  
non quidem efficiebatur, ut in omnes partes spectaret acies: triplex  
enim erat, & eodem tota spectabat: sed tamen ut ab omni parte miles  
esset; & totum agmen quadratum. Unde de agmine quadrato, ab omni

parte suspectum hostem, & pugnæ paratum, dicit Seneca. Posteriori Militia quamvis ratio dividendi copias, & instruendi, commutata sit, manxit tamen eadem in universum ratio: & quoties agmen vicino hoste ducebatur, in latum exporrigebatur; aliæ copiæ frontem, aliæ tergum tuebantur, receptis in medium impedimentis; unde tota forma exivit quadrata. Hirtius: *Agminis ordinem ita constituit, ut legio VII. IIX. IX. ante omnia iret impedimenta: deinde omnium impedimentorum agmen (quod tamen erat mediocre, ut in expeditionibus esse consuevit) cogeret XI. ne majoris species multitudinis accidere hostibus posset, quam ipsi de poposcissent. Hac ratione pene quadrato agmine instructo, in conspectum hostium, celerius opinione eorum, exercitum adducit.* Vides, quod fit quadratum agmen, cuius universa forma ad quadratam accedit: ac ideo videtur hic dixisse, pene quadrato agmine; quod cum una tantum à tergo legio esset, ibi minus æquaret dispositionem, & longitudinem frontis tres legiones habentis. Leo: ή δὲ συνεσταμένη πόλεις, η τετράγωνος η παρεχμήκης μήδη, η πάνυ δὲ πῦτο ἔχουσα τὸ χῆνα, ἀλλὰ σημειον εἰς πάντα καιρὸν ὀφέλιμος ἐστι, η ἐμεταχέρητος η. στρατηγός. Interdum etiam lateri militem adjecterunt. Tale agmen Germanici, incursionem, impetumque Germanorum metuentis. Tacitus: *Incessitque itineri & prælio: pars equitum & auxiliaria cohortes ducebant, mox prima legio, & mediis, impedimentis sinistrum latus undevicesimant, dextrum quintani clausere; vicesima legio terga firmavit; post ceteri sociorum. Quod est quadratum agmen illius ævi, plenum & justum, & ab omni parte milite firmatum. Ex quibus locis apparet, non id referre, an post singulos manipulos, an verò post singulas legiones, an denique in medio omnium sint impedimenta; nihilominus quadratum agmen est. Neque hoc facit quadratum agmen, quod immisces jumentis incedit: nam sæpe etiam agmen, quadratum, præsertim de Castris in hostem, educitur sine jumentis ullis: neque hoc dicit Varro; sed agmen quadratum commode etiam immisces jumentis incedere posse; quia frontem habet, & tergum in latum extensa, & milite tuta; inter quæ immisceri possunt jumenta absque ullo periculo; non item in pilato. Livius XXI. Hannibal agmine quadrato annem ingressus fugam ex ripa fecit: Eodem: P. Cornelius Consul, triduo forte postquam Hannibal ab ripa Rhodani movit, quadrato agmine ad castra hostium venerat, nullam dimicandi moram facturus. Et de Antiocholib. XXXVI. Elephantes agi ante signa terroris causâ jussis, quadrato agmine ad urbem incescit. Xenophon quidem improbat agmen quadratum hoste insequente: & scribit usū compertum esse, ὅπις τάξις εἴη,*

πολεμίων ἐπορέαντι; nempe in locis angustioribus: quia, ubi angustior est via, gravis armatura suo loco excludatur; & partim prematur, partim turbetur phalanx illa, difficulter mobilis; est enim locorum patentium; quia agmen suapte natura longius, ubi in latum panditur, fit quadratum. Pandi agmen in patentiores Campum, dixit Livius: hinc Sempronius opponit inter se, *passim*, & *pilatim* iter facere. *Quartum*, inquit, *signum accedebat*, *sive pilatim*, *sive passim* iter facere volebat. *Passim*, id est expanso in latum agmine; *pilatim*, densato & stricto. Pilatum autem agmen est, quod fronte angustiore oblongum, &c, ut Varro ait, inter se densum est. Et dici videtur pilatum, id est quod densum, nihilque praeter pila & arma preferat; vel potius quod in formam pili lateribus longius. Ita Vegetius, quam inter genera depugnationum sextam numerat, dicit exporrigi quasi veru. Vegetius: *Reliquam autem partem exercitus tui longissime à dextra parte adversariorum remove*, & *in directum porrige*, quasi veru. Et paulo post: *Acies tua extenditur*, & *totam sē porrigit ad similitudinem I. Literæ*; longissimeque recedit ab hostibus, quo genere in itineribus s̄aþe configitur. Opponitur hoc quadrato; item tenui lasso & soluto agmini, quia fronte brevi, & densum est: incedere hoc ait sine jumentis, nimisrum, quia inter se densum est, & fronte angustiore, quod necesse est in locis inquis, quod fit, ut jumenta non satis tutò duci queant. Ac certe in ejusmodi locis, parum ad modum impedimentorum ducebant. Livius libro XXIX. de ratione bellum in Liguribus gerendi: *In Liguribus omnia erant, quæ militem excitarent, loca montana, & aspera; quæ & ipsi (malim ipsa) capere, labor est*: & ex præoccupatis dejicere hostem, itinera ardua, angusta, infecta insidiis, (vel potius, cum viro doctissimo, itinera ardua, obsepta, infecta ab insidiis) hostis levius, & velox, & repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum esse sineret. Itaque non lixa sequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat; nihil praeter arma, & viros, omnem spem in armis habentes. Leo: *Si incursionem in hostilem terram cum peditatu facturus es, idque per condensa & angusta loca, neque magnum equitatum, neque multa impedimenta feras*. Idem, ejusmodi in locis, si cum impedimentis iter sit faciendum, exercitum ducere jubet εν ορθίᾳ τριγυρῳ, ut vocant Græci Tactici, id est, ut ipse interpretatur, η μέτωπον μέσην, καὶ τὸ βάθος eis μῆκος extenuουλόν. Jubet etiam diphalangiam instrui; imò, quando ne hæc quidem simul pugnare in hostem, simul impedimenta queat tueri, quod reliquum est militum, quatuor in partibus diphalangiæ jubet collocari; ita ut ab omni parte tuta sint impedimenta, quæ ex Græcis desumpta sunt.

funt. Præterea jubent occupare loca idonea, cædere sylvas, & complanare, quantum licet, loca; de quibus infra. Nam si multum in ejusmodi locis <sup>www.libtboi.com.cn</sup> impedimentorum trahatur, necesse est admodum longum agmen fieri; quod vitiolum est, & insidiis cum maxime patet. Facile enim est hosti vel perrumpere agmen, vel modò in primum, modò in novissimum agmen incurfare: quemadmodum Hannibali accidit in transitu Alpium, ubi agmen in angustias dimittere, & in longum extenderne necesse habuit. De agmine Philopæmonis Livius: *Oblinebant autem longo agmine, propter angustias viæ, prope quinque millia passuum: cogebatur agmen ab equitibus; & maxime à parte auxiliorum; quod existimabat Philopæmon Tyrannum mercenarii militibus, quibus plurimum fideret, à tergo suos aggressurum.* Ejusmodi agmine in pacato utebantur, ubi nullus ab hoste metus. Cæsar Gallico V. de Sabino: *Prima luce sic ex castris proficiscuntur, ut quibus esset persuasum, non ab hoste, sed ab homine amicissimo, Ambiorige, consilium datum, longissimo agmine, magnisque impedimentis. Agmen incautum vocat Livius alicubi: Consul agmine incauto excessit, &c. ad Mutinam agmine incauto, ut inter pacatos ducebatur.* Longitudo autem in agmine iter faciente, est extensio agminis à fronte ad tergum; sive per versus; latitudo à dextra parte ad sinistram per juga. Et hoc fere sensu agmen dicitur longum. Frontinus: *Iphicrates in Thraciam cum, propter conditionem locorum, longum agmen deduceret; & nunciatum esset, hostes summum id aggressuros.* Livius paulò ante: *Non jumentorum longus ordo agmen extendebat.* Vegetius: *Pluribus casibus subjacet amplior multitudo. In itineribus pro mole sua semper est tardior; in longiore autem agmine, etiam à paucis super ventum aſſolet pati.* Livius: *Longo agmine, nec continentis mœsti ac prope vieti procedunt versus hostem, nec ſpe, nec animo certiores.* Est tamen ubi Livius aliter videtur usurpare, & longitudinem pro latitudine sumere, *ἐν ταλαιπώρι μηνὶ,* ut dixit Leo. Libro III. *Tum quo fuerant ordine, in via exercitum omnem longo agmine circumdat hostium caſtris.* Non incessisse autem longo agmine Diſtatem Quintum, de quo loquitur, præcedentia ostendunt: *composito agmine, non itineri magis apto, quam prælio, ſi res ita tulifſet, legiones duxiffe.* At tale erat quadratum, non longum agmen. Alianus etiam (fortassis quod tam in itinere, quam in acie nihil niſi phalangas describit) longitudinem five μῆνας vocat, utrobique hanc partem. Alioquin, qui proprie loquuntur, ut ex citatis exemplis patet, Latini, & Græci, longitudinem, eam quam diximus partem vocant; aut, ſi quid aliud velint, addunt de qua parte loquantur, ne parum intelligentur. Leo tuta ait eſſe itinera, ſi in laxis

&amp;

& amplis locis agmen ducatur, ὅπλη μέτωπον ἐν τῷ πλευρίῳ τάξει εἰς τὸ πλάνον, ἐν αριστερεῖον μὲν ἡ τὸ πλάνον ἀκίδας, βαθύτεραις μὲν ἡ τὸ πάνων. Ubi opponuntur τὰ πλάνα & τὰ πάνων, quæ in acie eadem sunt. Nam ibi contra, longitudi vocatur, quæ in agmine latitudo, & latitudo, quæ in agmine longitudo. Longa acies, quæ frontem longam ; lata, quæ introrsus plures habet ordines. Quām rem non animadvertisit vir magni nominis; qui in libris de Militia, frontem aciei p̄assim latitudinem vocat; latera vero longitudinem; & eadem ratione Antiquorum scripta interpretans, à mente eorum toto cœlo aberrat. Frontinus, libro stratagematum II. C. 3. de acie Cæsaris & Pompeji, ita scribit: *Cn. Pompejus adversus Cajum Cæsarem Palæpharsali triplicem instruxit aciem; quarum singulæ denos ordines haberent in latitudinem: Legiones secundum virtutes cùjusque, in cornibus, & in medio collocavit: Spatia his interposita tyronibus suppeditavit. Adversus hanc ordinationem Julius Cæsar, & ipse triplici acie dispositis in fronte legionibus, sinistrum latus, ne circuiri posset, admovit paludibus.* Ad hæc Lipsius: Noto, quod ait, denos ordines habuisse singulas Pompeji acies in latitudinem: quo id sensu? opinor, hoc vult, cum quæque acies duas legiones haberet, in fronte quinas, & quinas aliis quinis, & quinis subjunctionis, atque ita factos decem ordines, ut appellat, five series & velut strigas: non enim tam distinctè in manipulos hic divisi, ubi tantus legionum numerus &c. Iterum in Analectis: Locus Frontini mihi obscurior est; & mens mea interpretantis quinas, & quinas cohortes stetisse; quæ vox male omissa: Sentio in quaquæ legione quinque cohortes stetisse in fronte, quinque alteras in subsidiis; & cum duæ legiones in quaque acie junctæ essent; decem igitur ordine stetisse; id que ordines totidem à Frontino vocari. Non nego, novitium esse, & ordines magis vocari ipsas lineas simplices, & per seriem singulos viros: sed quid hic aliter faciam? si pro vulgato more, & sensu accipis, omnes istæ legiones (undecim fuisse è Cæsare, & Appiano colligas, et si Orosius non nisi octoginta octo cohortes numeret; sed idem in equitum numero falsus) omnes, inquam, in triplici, non nisi triginta viros habuerint in fronte, ut Frontini verba sunt; si tamen pura & recta. Ambigere enim me fateor, & an non magis denos ordines in altitudinem? Etsi ea quoque profunditas parva pro numero copiarum. Omnino ambigo; & numeri fortasse corruptus, ampliorque faciendus sit; quod rogo considerare eos, quibus Mars & Ars ista Militaris, usu quoque nota. Citavi ipsa verba, ne quid mei viderem addere: & quia hæc à compilatoribus & excerptoribus Commentatorum (qui nescio quomodo fere incident in erro-

errores Magnorum Virorum; eosque ceu *νυξας δόξας* suspiciunt) jam video adducta tanquam lucem Cæsari, aut Frontino ferentia, cum nihil habeant veri, nihil tanto Viro dignum, nisi quod ipse non satis probet. Omnis autem hallucinatio hinc oritur, quod non intellexit latitudinem aciei esse τὸ βάθος: quod tamen dubium non est: & ex eo satis intelligi potest, quod frontem appellant longitudinem. Hirtius bello Africano: *Pacidius equites exporrigerent in longitudinem, ut haberent facultatem turmas Julianas circumfundendi.* Idem: *Numidas ex subsidiaria acie ita extenuatos, & in longitudinem exporrebat, ut procul esse simplex acies à legionariis militibus wideretur; in cornibus autem duplex.* Sed omnem, si qua potest esse, dubitationem eximit Scriptor militaris: *Singuli armati in directum ternos pedes inter se occupare consueverunt; hoc est, in mille passibus, mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinantur in longum, inter ordinem autem ordinem, à tergo in latum, sex pedes distare voluerunt.* Nec aliter Græci Tactici: μῆνος enim iis idem est in acie quod πέδωπον, σύμα, μέτωπον, παράταξις, πεωτολοχία: βάθος verò, ὀπάτος, & πάχος synonyma sunt. Nec sine ratione: cum enim in quadratis parte altera longioribus, longitudo vulgo longior pars sit, latitudo verò brevior, non alias partes tam in acie, quam in agmine, his vocabulis debuerunt designare; acies enim frontem habet longiorem, breviora latera: agmen in itinere contra. Quidam tamen Veterum etiam aliter utramque partem appellant. Livius Libr. XXXIII. *Cetratos & Macedonias hastis positis, quarum longitudo impedimento erat, gladiis rem gerere jubet; simul ne facile perrumperetur acies, dimidium de fronte deritum, invirosus porrectis ordinibus, duplicat, ut longa potius, quam lata acies esset, simul densari ordines jussit, ut vir viro, arma armis jungerentur.* Idem XXXVII. de acie Antiochi: *Regii tam lata acie, ne ex medio quidem sua cornua circumspicere poterant, nedum extremi inter se conficerentur.* Salustius etiam de longitudine aciei: *late ire, & late exporrigerere aciem.* Jugurthino: *Sic animis eorum arrestis equites in primo late, (ita enim hæc legenda, recte monuerunt viri docti: adjectit aliquis; quod intelligitur ire, inde factum latere) pedites quam arctissime ire, & signa occultare jubet.* Idem: *Acierum quam, diffidens virtuti militum, arte statuerat, quo boſtum itineri officeret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii castra procedit.* Et Curtius lib. III. *Triginta & duo armatorum ordines ibant; neque enim latius extendi aciem pariebantur angustiae; paulatim deinde laxare se sinus montium, & majus aperire spaciū cœperunt: ita ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam lateribus circumfundī posset equitatus.* Sed hæc ex consuetudine vulgata loquendi, & usu linguae Latinæ; neque enim hoc

hoc sensu, opinor, tam recte dixissent, *longe ire, longe exporrigere, & extendere aciem.* Unde & Vegetius, qui longitudinem cum latitudine alioquin in acie non confundit, cuneum in medio dixit latiorem procedere: *Cuneus dicitur multido peditum, quæ juncta acie primo angustior; deinde latior procedit; & adversariorum ordines rumpit.* De Frontino autem, scriptore Tactico, minime est ambigendum, quin ex more Tacticorum sit loquutus; præsertim quum decem ordines, illa ætate, justus quodammodo in acie instruenda numerus essent: Unde in Glossario, *Contuberrium, δεναρχία, αὐτία, βάθος τοῦ αὐτίου.* Sed nos viâ excédimus: redeamus ad agmen. Duo, quod nos docuit Varro, in hostico agminum genera; alterum, longa fronte quadrato exercitu; alterum, angusta fronte & densum: præter has formas, quas tradunt Tactici (quamvis & illæ ex his fluunt) vix Romanorum militari usu probatæ. Romani enim veteres, simplicius agentes, non tot formas agminis nobis descripserunt, quot Græci; quas, cum de acie agemus, ne quid omisisse videamur, explicabimus: hîc Romanorum divisionem tetigisse sufficiat. Igitur illi agmini in locis patentibus, & æquis; huic in angustis, montuosis, asperis, & iniquis locus est. Illud immistis jumentis etiam; hoc sine jumentis incedit. Utriusque in hostico usus. Nam in pacato, longo agmine incedebant; & sæpe, ne agris nocerent, regionemque pervastarent, via publica. Nec postrema causarum fuit, propter quas tanta cura, tantoque impendio munierunt vias Consulares; quod vellent legiones quolibet anni tempore commodè educi posse, & reduci.

DE AGMINE  
CAPUT XII.

www.libtool.com.cn

DE AGMINE  
POLYBIANO.

**N**unc autem, quo modus & ratio agminis ducendi cominus spe-  
ctetur, sumamus aliquod ex veteri novâque Militia exem-  
plum, cuius singulas partes examinemus. In veteri quidem  
Re Militari, ad quem nisi ad Polybium redeamus? Duo hic describit  
genera agminum; quorum primum ita se habet: In primo agmine sunt  
extraordinarii, ut qui proxime portam Prætoriam tendunt, quibus suc-  
cedit dextra sociorum Latini nominis ala. Alam & extraordinarios se-  
quuntur impedimenta sua. Deinde legio prima, suas à tergo sarcinas  
habens; post quas secunda eâdem ratione: Sequuntur enim hanc quoque  
jumenta sua, sed & alæ sinistræ, quæ novissimo in agmine est. Atque  
hæc, cum in hostem itur; cum verò ab hoste recedunt, extraordinarii,  
qui nunc primi agminis sunt, novissimum claudunt. Hoc agminis gene-  
re sæpe incessisse exercitus, apud Livium observare est, etiam cùm in-  
struëti in hostem ducerentur. Livius XXXV. Posteaquam relatum est,  
quantæ copiae, & quo loco essent, totius agminis sarcinas in medium conjici,  
& triarios vallum circumjicere jussit: cætero exercitu instruô ad hostem ac-  
cessit: hora secunda ferme concursum est, sinistra sociorum ala (ita legendum,  
recte monuit Lipfius, non, ut in vulgatis, sociorum equitum ala; pedites  
enim alarii erant: equitum mox alio loco meminit) & extraordinarii  
prima in acie pugnabant. Consul legiones continebat in subsidis. Ibi & dex-  
tram alam fuisse, deinde ostendit: extraordinarii, & alarum altera prima  
in acie; in subsidis legiones, & altera ala; & omnino ad præscriptum  
Polybiani agminis acies ordinantur. Livius XXVII. Sinistra ala ab Ro-  
manis, & cohortes, quæ amiserant signa, in prima acie pugnabant. Sed  
prioris diei acie Marcellus dextram alam; & extraordinarios habuerat in  
primo; his subsidio legionem duodecimam. Hoc quoque ex lege  
quam hic dat Polybius; qua alternis diebus alarum, & legionum altera  
præ-

præcedebant, & sequebantur, quo aquationis & pabulationis commodo, ex æquo, per vices fruerentur. In hoc autem ordine itineris patentiores campos nocti, præsertim vicino hoste, quo quadrato agmine incederent, itineri simul apti & pugna, alarum saepè & legionum alteram eadem acie, eodemque collocabant ordine; alteras verò in subsidiis; vel certe cum ad manum veniebatur, ex impedimentis evolutam legionem, sive dextra, sive sinistra, primo agmini junxerunt. In acie Fulvii Proconsulis contra Hannibalem, quinta legio, & sinistra ala in fronte; secunda legio & dextra (uti probabile est; non enim dicit Livius, in secunda acie.) Paulo post de acie Marcelli: *Ab hora tertia, quum ad noctem pugnam extendissent, fessæque pugnando primæ acies essent, ab Romanis prima legio, & dextera ala; ab Hannibale Hispani milites, & funditor balearis: (ita enim hæc distingueduntur; & intelligendum has primas acies utrinque fuisse, non has copias in aciem actas, ceu primæ aciei subsidium; ut vulgo videtur intelligi: ab Romanis prima legio, ab Hannibale Hispani milites & funditor balearis, id est, quæ primæ acies à parte Romanorum, & à parte Hannibalis erant, nam quæ sequuntur, distincta sunt) Elephantum quoque, commisso jam certamine, in prælium aeli. Diu pugna neutro inclinata stetit, primæ legioni tertia, dexteræ alæ sinistra subiit, & apud hostes integri à fessis pugnam accepere. Alibi solam alam in primo; duas legiones in subsidiis reperias. Livius XXXI. Vix spatium instruendi fuit: eo cursu hostis in prælium venerat: dextera ala (nam in alas divisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est, in subsidiis duæ Romanæ legiones. Sed hoc, cum vix spatium instruendi esset: Ideoque statim ut vidit Furius Prætor Gallos circumvenire à cornibus, & amplecti hostium aciem conari, ut & ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis, dextra lævaque alæ, quæ in prima acie pugnabat, circumdat: Alioquin quum ex hoc agmine instruebatur acies, & erat spaciun, non raro, ut diximus, alarum alteram cum altera legionum eadem in acie collocabant, duplumque aciem instruebant. Nam quemadmodum veteri Militia duo agminum genera, alterum, per totas cohortes, legiones, & alas; alterum, per hastatos, principes, & triarios dispositum; quorum utrorumque rationem docet hic Polybius: sic etiam duo genera acierum eadem ratione erant. Nec semper instruebatur acies per hastatos, principes, & triarios, sed interdum per cohortes: & tria hæc militum genera in eadem acie collocabantur, ut in his exemplis, quæ adduximus, videre est. Falluntur enim, qui putant à Mario cepisse, ut per cohortes ordinaretur: saepius manipulatim, fateor: non admodum tamen raro illa ratione*

tione veteri Republica acies struebatur. Crebrius hoc genus agminis per cohortes in itinere ; illud , per manipulos in acie : utrumque tamen & in acie , & in itinere , usu receptum. Illa acies fere triplex ; hæc saepius duplex erat. Marius usum illius prioris aciei sustulit ; sed hanc primus non induxit. Sed hæc suo loco. Hic quam rationem in istis aciei formis sint secuti , terigisse sufficiat. Exempla autem harum acierum , quod ratio itinerum à scriptoribus plerunque omittitur , pro exemplis agminis hujus Polybiani adducere , necesse habuimus ; & possunt commode eorum locum supplere. Equites modò suam quamque partem à tergo sequuntur ; extraordinarii extraordinarios pedites ; alarii alarios , legionarii legionarios ; sicut in castris proxime suos tendunt : modò adequantes impedimentis dextra lœvaque , adversus incursionses hostiles latera tuentur. Hoc tantum Polybius. Certus tamen iis locus proprie non fuit , nec in acie , nec in itinere : Unde quemadmodum militibus & exercitui solent opponi , quod ad Hyginum notavimus ; sic etiam in prælio saepè ab acie , & in itinere ab agmine distinguuntur. Cæsar de bello Gallico IV. Petebant uti ad eos equites , qui agmen anteceßissent , præmitterent , eosque pugnā prohiberent. Eodem : Equitatum , quod recenti prælio præterritum existimabat , agmen subsequi jussit : acie triplici instruēta , & celeriter IX. millium itinere confectio , prius ad hostium castra pervenit , quād quid ageretur Germani sentire possent. Livius XXI. Itaque sub lucem cum equitatu Consul aderat , jussis quadrato agmine legionibus sequi. Vides agmen opponi equitibus , & quidem quadratum ; quod , quia proprie legionum est , nescio annè inde verius legio quadrata dicta , quam à quatuor millibus ; quod autumat Festus. Hinc grave legionum agmen apud Historicos. Vides etiam equites nunc præcedere , nunc subsequi agmen. Præmittebantur quidem , cum in hostem iretur in locis planis & apertis , ut late explorarent hostem , pabulatione , frumentatione & aquatione prohiberent , exciperent excedentes ex itinere , carperent ac male haberent agmen , morarentur iter , opus castrorum tardarent ; quorum in Historiis passim exempla. Cæsar : Relinquebatur Cæsari nihil , nisi ut equitatu agmen adversariorum male haberet , & carperet. Et paulo post : Quum de tertia vigilia Petrejus atque Afranius castra movissent , equites repente se ad novissimum agmen ostendunt ; & magna multitudine circumclusa , morari , atque iter impedire incipiunt.. Eodem Cæsar : Equitatu præmisso , qui novissimum agmen carperet , atque impediret , ipse cum legionibus subsequitur : nullum intendebat tempus , quin extremi cum equitibus præliarentur. Hæc cum sequeretur Afranium & Petrejum Cæsar.. At cum recede-

cederet à Pompejo, post prælium Dirrachinum, ipse in novissimo agmine equites habuit; Pompejus, qui sequebatur, in primo. Libro III. Neque verò Pompejus cognito consilio, moram ullam ad insequendum tulit; sed eadem spectans, si itinere impeditos & perterritos deprehendere posset, exercitum è castris eduxit, equitatumque præmisit ad novissimum agmen demorandum; neque consequi potuit, quod multum expedito itinere antecesserat Cæsar: sed quum ventum esset ad flumen Genusum, quod ripis erat impeditis, consecutus equitatus novissimos prælio detinebat. Huic suos Cæsar equites opposuit, expeditosque antesignanos admiscerunt CD. qui tantum profecerunt, ut equestris prælio commissio, pellerent omnes, compluresque interficerent; ipsi incolumes se ad agmen reciperent. Livius XXV I. Hannibal, omissa oppugnatione, recipere signa, & convertere agmen peditum, objecto à tergo equitatu, ne hostis instaret, cœpit. Eundem in agmine locum, cum in hostem profici scerentur, prælioque certare, aut castris castra conferre studerent, dedere interdum equitatui, in locis in quibus nullus ejus usus; aut cum nihil admodum in eo perterritio esset præsidii. Quanquam tum quoque in medio, veluti in castris, receptus legitur. De agmine Afranii Cæsar: Expeditæ cohortes novissimum agmen cladebant, pluresque in locis campestribus subsistebant; si mons erat adscendendus, facile ipsa loci natura periculum repellebat; quod ex locis superioribus, qui antecesserant, suos adscendentibus protegebant; quum vallis, aut locus declivis suberat, neque ii qui antecesserant morantibus opem ferre poterant, equites verò ex loco superiore in adversos (an aversos?) tela conjiciebant; tum verò magno in periculo erat res: tum inquirebant (scribe, tum vero magno in periculo erant, res tum requirebat) ut quum ejusmodi locis esset adpropinquatum, legionum signa consistere juberent, magnoque impetu equitatum repellerent: eo summoto, repente incitato cursu, sese in valles universi demittere; atque ita transgressi, rursus in locis superioribus consistere: nam tantum ab equitum suorum auxiliis aberant, quorum numerum habebant magnum, ut eos, superioribus perterritos præliis, in medium reciperent agmen, ultroque eos tuerentur, quorum nulli ex itinere excedere licebat, quin ab equitatu Cæsaris exciperetur. Quotiens tamen totus equitatus in prælium non educebatur, nec dividebatur, ut pars ejus antecederet agmen, pars sequeretur, ut plurimum vel ad latera, vel ad tergum suæ cujusque partis, per totum agmen, ita ut memorat Polybius, distribuebatur: alii in primo, alii in medio, alii in novissimo agmine: & sicuti in castris, & in acie instructa, sic & hinc unaquæque pars equitatum suum habebat. Velitum, & reliqua levis armaturæ, nullam hic mentionem habet Polybius; quia nec hi

pars agminis proprie erant, sed longe lateque ut plurimum spargebantur, modò præcurrebant agmen, modò sequebantur, modò hinc inde explorabant; nunc cum equitatu, nunc absque eo: in montuosis quidem & alperis locis, vice equitatus soli fungebantur; in campestribus, equiti miscebantur. Nam illud præcipue observari jubent, ut ea pars, ut ait Vegetius, ad quam hostis venturus creditur, oppositis lectissimis equitibus, & levi armatura, nec non etiam peditibus sagittariis muniatur. Quod si undique circumfunduntur inimici, undique præparata debent esse subsidia. Impedimentorum quoque hic ordo non fuit perpetuus; neque in hac, neque in illa Polybii ratione. Cum in hostem movebant, sequebantur interdum non suum genus, sed omnes legiones: interdum, cum ab hoste recedebatur, præmittebantur, ita tamen, ut his justa manus præsidio esset: præmisit Cæsar, à Dirrachio recedens, de bello Civili III. aliquot dies continuos, unamque iis legionem præsidio misit. Sæpiissime autem hoste vicino, in medio totius agminis impedimenta omnium recipiebantur. Cæsar, cum longius ab hoste abesset, post suam quamque legionem impedimenta ducebat: hoste appropinquante, ex consuetudine, totius exercitus impedimenta in unum locum conferebat. Utrumque nos docet de bello Gallico secundo: Quidam ex Belgis, eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta, nocte ad Nervios pervenerunt, atque his demonstrarunt inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere; neque esse quicquam negotii, cum prima legio in castra venisset, reliquæque legiones magnum spatium abessent, hanc sub sarcinis adoriri, quæ pulsâ, impedimentisque direptis, futurum ut reliqua contra consistere non auderent. Et paulo post: Nam quod hostis appropinquabat, consuetudine sua Cæsar VI. Legiones expeditas ducebat, post eas totius exercitus impedimenta collocabat: Inde duæ legiones quæ proxime conscriptæ erant, totum agmen cladebant, præsidioque impedimentis erant. Equites nostri, cum funditoribus sagittariis que flumen transgressi, cum hostium equitatus prælium commiserunt. Probat hoc omnino scriptor Militaris: Impedimenta, saginarii, calones, vehiculaque in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum & equitum sequatur: nam ambulantibus interdum quidem à fronte, sed frequentior à tergo superventus infertur: à lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda sunt. Germanici in Germania agmen, ut supra citavimus, ita fuit compositum, ut non tantum in medio impedimenta, sed à quatuor partibus, legionibus singulis circumdarentur. Leo, impedimenta omnia, sarcinas, servitia, atque omnein apparatum, simili ratione in medio jubet collocare. Sed idem antea: Δεὶ γὰ τὸ τέλος, ἀστράπτων, οὐκ  
www.libtpool.com.cn

σύνωπέων καὶ τηγερόντων ἔχειν οἶδον, ὥστε αὐτὴν καὶ διατάξαι, καὶ διευθύνειν, καὶ  
ἄλγειν αὐτὸν οὔτις, οὐ τοῦ τοποθέτης, ἐαν̄ εἰς πολίαν γῆν ἐμβαλῆς, ἐνθεν δὲ οὐ κατέθεν,  
ἐαν̄ τὰ στάγματα τοῦ τοποθέτης Φοιτερῶν προεύη, ἐντὸς δὲ τοῦ φάλαγγος,  
ἐαν̄ τὰ παντεχθεν υπόπτα τούτοις. Quæ ex Æliano, paucis mutatis, de-  
sumta sunt; quamvis in Æliano hic hiatus sit, qui ex hoc loco suppleri  
videtur posse: illa tantum postrema immutavit; nam dixerat Ælianuſ,  
εν̄ δὲ τῷ φάλαγγι, εὰν κοῖλον τὸ τάγμα τυγχάνειν ἄγων. Vegetius scribit,  
Veteres, ad exemplum militum, etiam impedimenta militum sub quibusdam  
signis ordinanda duxisse; & ex ipsis calonibus, quos galarios vocant, idoneos,  
ac peritos usu leguisse, quos non amplius quam ducentis saginariis, puerisque  
præficerent: hisque vexilla dedisse, ut scirent ad quæ signa deberent impedimenta  
colligere; sed propugnatores ab impedimentis laxamento aliquo dividi-  
ne, constipati, lædantur in prælio. Hæc de equitibus, leyi armaturā, &  
impedimentis hic monere volui; quod varia eorum in agmine ratio, tam  
in Veteri quam Recentiori fuerit Militia. Neque locus hic ea silentio  
præterire permiserit; alioquin talia sunt, ut cuivis, non supino, aut  
plumbeo, lectori observare ea, in proclivi sit. Nunc ad secundum Po-  
lybii agmen, cujus usum esse ait, in metu hostili, & periculo, cam-  
pisque patentibus, & apertis. In triplicem aciem, vel triphalangiam  
divisi, hastati, principes, & triarii, paribus inter se intervallis distantes  
incedunt: sed jumenta ante singulas acies collocantur, etiam ante pri-  
mam: ex quo conjecturâ videtur judicandum, Polybium extraordina-  
riis, ut in priori agmine, sic etiam hic ante has acies, primum dare  
locum: neque enim veri est simile, quantumvis in Campo puro, & pa-  
tentि, hoste tamen vicino, prima impedimenta nuda objici, nisi quis  
velit, Polybium hic describere agmen ab hoste retrocedens; in quo, ut  
antea diximus, prima procedunt impedimenta: quod ipsum confirmari  
eo possit, quod mox ait de evolutione hastatorum, quasi eā rariū tan-  
tum, non semper, opus sit; & proinde vulgo post omnia impedimenta  
collocentur: ita ut triarii primi iter faciant, deinde principes, postre-  
num agmen claudant hastati. Obstat tamen huic suspicioni, quod Po-  
lybius hastatorum primo, deinde principum meminit, & triariorum,  
sine ulla mentione inversi agminis ordinisque. Hoc ordine agminis, si  
quid ingruat, inquit, periculi, modò ad dextram, modò ad sinistram  
converſis, educunt extra impedimenta eam in partem, qua hostis appa-  
ruerit; atque ita ἐν βεργαῖι κρέον, καὶ μικρήν καὶ τὸ μήν τοῦ ἵστατον σύνη-  
μα λαμβάνει τοποθέτης διάθετιν. Putat Patricius unico hoc motu mili-

tum παρὰ ἀστίδα, vel ἐπὶ δόρυ, quo extra impedimenta ducebantur, agmen habuisse justam exercitus instructi speciem; atque ita rectâ in hostem ivisse: Sed fallitur: de alio hic motu loqui, & verba ipsa Polybii, & mos Romanorū clamat. Ut justam Romanæ aciei formam acciperet agmen, eodem ordine, quo immisisti impedimentis paulò ante incesserat, evolutum, etiam instrui debuit, in prima fronte hastati, secundo loco principes, tertio triarii. Itaque cum à fronte occurrerent hostes, educiti milites haud dubie se èd converterunt; atque ita in hostem processerunt, ut paulo ante iter fecerant. Hæc enim aciei vulgatæ ratio est. Jam si à latere esset hostis, contrâ quem pugnam instruerent, necesse est primos exiisse, & paulò longius ab impedimentis retrorsus agmen versus hostem hastatos; deinde principes, postremò triarios. At si à tergo appareret hostis, vel inversa acie pugnandum fuit, ita ut primi essent triarii, postremi hastati, vel evolutione, aut circumductione acies commutanda: & hoc illud fortassis est, quod ait, εἰν μήποτε προσέξειν δέη τὸς αἰσάτων.

## CAPUT XIII.

DE AGMINE  
VESPASIANI.

**V**osephus, libro tertio ἀλώσεως, Vespasiani agmen, Ptolomeide castra moventis in Galilæam, describit non quidem accurate admodum; haud paulo tamen distinctius quam solent Græci & Romani scriptores. Quem locum, cum itineris & agminis ordinem Romanorum ejus ætatis complectatur, & haud multum distet à ratione Castrorum Hyginianorum, sigillatim hic examinare haud abs re visum fuit. Verba ejus hæc sunt: Οὐεσπασιανὸς δὲ ὁρμὴ

μήθε αὐτὸς ἐμβάλλειν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἐξελαύνει τῷ Πτολεμαῖδᾳ, οἱ φράσιοις ὅδεύειν, καθὼν ρωμαῖοις ἔθῳ. τοὺς μὲν γε φίλους τῷ ὑπηκόοντι τῷ τοξότῃ σφεαγένειν σκέλεσσιν, ὡς τρεπονοποῖεν τὰς ἐξαπναίους τῷ πολεμίῳν ὑπηρομάτῃ, ηδὲ διερρώνειν τὰς οἰκίας ηδὲ λοχῶσθαι διωμάθαις ὕλας. οἵς εἴπετο ηδὲ ρωμαῖοιν ὀπλικῆι μοῖρα, πεζοὶ τε ηδὲ ἵπποις. τόντοις ἀφ' ἐκάστης ἐκαπονταρχίας ἥντλεύθεν δέκα, τὴν τέ ἀντῶν οἰκίαιν, ηδὲ τὰ μέτρα τῷ παρεμβολῆς Φέροντες. ηδὲ μετ' αὐτὸς ὄδοιποιοί, τάπει σκολιὰ τῷ λεωφόρῳ καθίσθιαν ηδὲ χθαυμαλέν τὸ δίστατο, ηδὲ τὰς ἐμποδίες ὕλας τρεπαναγέπτειν, ὡς μὴ ταλαιπωδοῦτο δυστοσέν τὸ σράτομα. κατόπιν δὲ τάπτων, τὰς τε ιδίας, ηδὲ τὰς τῷ αὐτῷ ηγεμόνων ἔταξεν ἀποκοδᾶς, ηδὲ συχνοὺς δῆλο τάπτων πεζῶν, ηδὲ ἵππεών, ηδὲ τὰς λογίοφόρες ἔχων. εἴπετο δὲ αὐτῷ τὸ ιδίον δὲ τάματῳ ἵπποιν, ιδίοις γαρ ἐκάστη τάγματος εἴνει πεζὸς τοῖς ἐκαπτὸν ἵπποις. τάπτων δὲ ἥντλεύθεν οἱ τὰς ἐλεπόλις Φέροντες ὄρεις, ηδὲ τὰ λοιπὰ μηχανήματα, μῆτρα τάπτων ηγεμόνες τε θεοπειρῶν ἔπαρχοι σωματικοῖς, δηπλέκτους τῷσι σφάσι σραπώτας ἔχοντες, εἴπετο δὲ αἱ σημαῖαι τελείωσην τῷ αὔτον, ὃς παντὸς ἀρχῇ Ρωμαῖοις τάγματῳ, Βασιλεύεις τε οιωνῶν αὐτάντων, Καὶ αλκιμάτρῳ δὲν. οἱ δὲ δὲ τῷ ηγεμονίας τεκμήρειον αὐτοῖς, Καὶ κληδῶν ἐφ' οὓς αἱ ἰωσὶ δὲ τεκτήσιεν δοκεῖ. τοῖς ιεροῖς δὲ ἥντλεύθεν οἱ σαλπιγκταὶ, Καὶ κατόπιν αὐτῶν ηδὲ φάλαγξ τῷ στρῳ εἰς ἐξ πλατιώσκει. τούτοις παρέπετό τοις ἐκαπονταρχησιν ἐξ ἔτους τῷ τάξιν δηπονοπούμενῳ. τὸ δὲ οἰκεπιγὸν ἐκάστη τάγματῳ ἀπαντοῖσιν τοῖς πεζοῖς εἴπετο, τὰς ἀποκοδᾶς τῷ σραπωλῶν δῆλο τοῖς ὄρεῦσι Καὶ τοῖς ἀποχυρίοις ἀγοντες. κατόπιν δὲ πάντων τῷ τάγματῶν, οἱ μιθιτῷ ἔχλῳ, οἵς ἀπεργοὶ πεζὸς ἀσφάλειαν ἥντλεύθειον πεζοὶ τε, Καὶ ὀπλῖται, Καὶ δὲ τῷ ἵππον πολλοί. Id est: *Vespasianus vero ipse Galilæam cūpiens invadere, ex Ptolemaide proficisciuit, ordinato militum itinere, sicut Romani consueverunt. Auxiliatores enim qui levius armati essent, itemque sagittarios præire jussit, ad repentina incursus hostium cohibendos, & ut suspectas atque opportunas insidiis sylvias scrutarentur. Hos sequebatur Romani peditatus equitatusque pars: post quos ē singulis centuriis deni armaturam suam ferentes, mensurāsque castrorum. Post hos stratores viarum ibant, qui aggeris magna corrigenter, ac aspera complanarent, sylviasque obstantes praecidenter, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Deinde suas, itemque subiectorum sibi rectorum sarcinas, & tutelæ causa multos cum his equites ordinavit. post quos ipse veniebat, lectos pedites equitesque, nec non & lancearios secum ducens, equitūmque præterea suorum agmine comitatus. De singulis enim turmis propriis centum & viginti equites deputatos habebat. hos sequebantur, qui expugnandis civitatibus machinas & cetera tormenta portarent, deinde rectores, itemque præfecti cohortibus tribuni, stipati lectis militibus. & post hos circum-*

circum Aquilam signa alia, quæ omnibus apud Romanos agminibus praest, quod & universarum avium regnum habeat, & sit validissima. Itaque illam & Principatus insigne putant, & omen victoriae, quo scumque bello petierint. [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) Sacras vero signorum effigies sequebantur cornicines, & post eos acies, in latitudinem senis digesta militibus. hisque adhærebat ex more quidam centurio, disciplinæ atque ordinis custos. Servi autem singularum legionum cincti cum peditibus erant, mulis aliisque jumentis vobentes militum sarcinas. Postremum agmen, in quo erat mercenaria multitudo, cogebant armati pedites, equitumque non pauci. Primo loco ponit τοὺς φίλας τὴν ἐπιστρεψόν, καὶ τοξότας (Auxilia levis armaturæ, & sagittarios. In Titi agmine quod describit libro VI. primo in agmine collocat τοὺς βασιλικούς καὶ πάντα τὰ συμμαχεῖν. Erant autem hæc auxilia in exercitu Vespasiani, bina millia peditum & sagittarii mille, quos Reges, Antiochus, Agrippa, & Sohemus miserant: item quinque peditum Arabum millia, equites mille; pars major sagittarii. Tacitus de Germanico: Incessitque itineri aptus & prælio: pars equitum & auxiliarie cohortes ducebant. Addit: ὡς περισσοτέρες τοὺς ἑξακινδυνούς τὸ πλευριῶν ἐπιδροῦσες, καὶ διεγεννώντες ῥάβδους καὶ λοχῶδες διναμένες ὅλας. Priorem causam tangit Vegetius: Pars ad quam hostis venturus creditur, oppositis lectissimis equitibus, & levi armatura, nec non peditibus sagittariis muniatur. Cæsar supra: Equites nostri cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi, cum hostium equitatu prælium commiserunt. Idem Cæsar alibi conjungit speculatores & antecessores equites. Hyginus in prætentura Castrorum collocat Exploratores, equites Mauros, & Pannonios vedarios, qui primi castris exerant. Πρωταίων ὁ πλευρικὸς μόνος τεθότες καὶ ἵπποις) Expeditæ aliquot cohortes legionariæ cum equitibus alariis esse videntur, quando nulla hic impedimentorum mentio est; sed infra post aquilas & agmen legionum. Cæsar ferè, pro rei necessitate, vel totas legiones, vel aliquot cohortes, vel delectos ex antesignanis legionum expeditos habuit ab ea parte, unde periculum imminebat. Hyginus utriusque generis partem in prætentura collocat: erat enim consuetudo Romanorum, tam in agmine quam in castris, auxiliis Romanam jungere manum. In Titi tamen agmine gravis armaturæ nulla hic est mentio. ἀφ' ἐκάστης ἐκατονταρχίας δέναι (μετεπτάσσαντες σπατοπέδων, ut eos appellat libro sexto; cum perticis vel decempedis, cæterisque instrumentis mensoriis; & quidem satis magnus numerus, decem ex singulis centuriis: an quod decem iis tabernacula? sane pedaturam decem papilionum attribuit cuique centuriae etiam Hyginus: sed, quantum ex vestigiis male habitæ scripturæ colligi potest, octo tantum papilionibus tendunt milites, cætera pedatura

tura centurioni relinquitur. An quod unum contubernium fuit , quibus hæc res delegata? Præmissos quidem , præsertim cum appropinquatum loco ubi ponenda castra , & munus eorum , & nomina , quæ sequori ævo acceperunt , ostendunt. Anteignani enim & Antecessores dicuntur Vegetio , Leoni , aliis. Vegetius : *Metatores , qui præcedentes locum idoneum castris eligunt.* Unde & metatores præmissi à Principe nuntii , autore Suida. Cæsar Exploratores præmittit , & centuriones. ὁδοποιοι ) ita & Xenophon appellat viarum munitores. In agmine Titi hos etiam jungit metatoribus ; sed statim secundum auxilia , nulla præcedente gravi armatura. Classecorum hæc provincia est in Hyginiano exercitu ; quos Mauri & Pannomii veredarii operantes protegunt. Prætendunt alæ milliarie , vel quingenarie , Mauri equites , Pannomii veredarii. Classeci omnes ideo prætendunt , quod ad vias muniendas primi exeunt ; & quo sint tutiores , à Mauris equitibus , Pannomii veredariis operantes proteguntur. τὰ τε σημεῖα τὸν λεωφόρον λεωφόρον appellat viam militarem , qua iter facturus est exercitus. Philo de mari rubro , viæ usum præbente populo Judaico , ὁδὸς ἐγένεται καὶ λεωφόρος γίνεται. De hoc autem more , vias muniendi exercitui iter facienti , intelligenda sunt quæ ex Prophetis citant Evangelistæ , & de Johanne Baptista interpretantur ; qui , ut præcursor & antecessor Domini , jussit viam parare , & ipse paravit. οὐδὲ , ἐγὼ διασέλω τὸν ἀγγελον μη ταχὺ περισσάπειρας , οὐκαντακενάστει τὸν ὁδὸν σὺ εἰπεθέντες σὺ. Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἑρήμασ , Ἐπιμάσσετε τὸν ὁδὸν Κυεῖσ , διθέας ποιεῖτε τὰς τείχους αὐτῷ. Canit enim Propheta , Populum jam jam ex captivitate in Judæam reversurum ; cique jubet muniri viam. Hoc est quod hic dicit , τὰ σημεῖα τὸν λεωφόρον καταθέασεν , καὶ χθαμαλεῖν τὰ δύσεατα. Leo : Εανὶ δὲ διὰ τεραχέων τόπων οὐδεισπειρα μέλλει γίνεσθαι , οὐ κρημνωδῶν δυσεάτων , οὐ δασών περιττέποτες αληθῆς σπατᾶς , & ἀπέσειλον οὔπλι τέτο , οἵσε διαρθρωθεῖσι & αὐθεονθάστειν διθέαν γένεσθαι τὸν ὁδὸν καὶ διωατὸν. Τὰς εὐπρᾶγες ἔλας περιγανακέπλιν. ) Tacitus : Cæcinniam cum expeditis cohortibus præire , & obstantia silvarum amoliri jubet. Cæsar de bello Gallico tertio : Cæsar sylvas cædere instituit , & ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri possit , omnem eam materiam , quæ erat cæsa , conversam ad hostes collocabat. Vegetius : Quod si angustæ sint viæ , sed tamen tutæ , melius est præcedere cum securibus ac dolabris milites , & cum labore vias aprire , quam in optimo itinere periculum sustinere. Aperire Campum etiam Tacitus. Sed mos notior est rerum antiquarum gnaris , quam ut multis eum illustrare sit necesse. Solebant & hæc , quæ expeditæ præmittebantur , cohortes , occupare juga & loca edita , nec uade impetus in

agmen fieret; item angustias, quas κλειστούς vocant Tactici sequioris ævi. Vegetius: *Secreta ne noceant, Dux præstat industria; quem omnia prius convenit explorare. Deprehensa vero subfessa, si circumveniatur, utiliter plus periculi sustinet, quam parabat inferre.* Aperta autem vis si præparetur in montibus, altiora loca præmissis sunt præsidii occupanda, ut, cum hostis advenierit, reperiatur inferior, nec audeat obviare, cum tam à fronte, quam supra caput suum cernat armatos. Præsidia occupare vocant. Cæsar: *In præsidii occupandis magna vi uterque nitebatur: Cæsar; Ut quam angustissime Pompejum contineret &c.* ita enim recte monent viri docti scribendum; vulgo utebatur. De bello civili I. Tamen virtute & patientia nitebantur, atque omnia vulnera sustinebant. Et statim: *Tamen in summum jugum virtute coniititur. Τὰς τε ιδίας καὶ τὰ τῆς ἀπόληψιν ἡγεμόνων δυνάμεις*) Vespasiani, Legatorumque & Tribunorum impedimenta. Vox enim ista, apud Josephum, non minus late patet, variaque significationis est, quam in Historia sacra; nunc Imperatorem sive Cæsarem, nunc Ducem exercitus, nunc Legatos & Tribunos, nunc solos Legatos significat; nunc alios, qui cum imperio sunt & potestate: Hic non tantum Legatos, sed etiam Tribunos & Praefectos Castrorum designari arbitror, ideo quod ipsi statim sequuntur, & in castris etiam ad principia conjuncta habent scamina. Statim tamen eos à Tribunis distinguit; ήγεμόνες τε καὶ σωματῶν ἐπαρχοι συνχριμέρχονται: alibi Trajanum vocat decimæ legionis ἡγεμόνα, Vespasiano Imperatore: dixit: Οὐεσπασιάνω τὴν ἡγεμονίαν ὅμνειν. Impedimenta autem hæc, quorum locum Polybius in agmine neglexit, ante legiones non tantum, sed ante ipsum adeò Imperatorem ponit: idèo opinor, quod prima omnium in castra ducerentur. Priusquam enim horum tabernacula constituta, nemini suum statuere fas fuit: At Leo contrà, Imperatoris impedimenta novissima omnium incedere jubet. Tuentur hæc equites, sicut in Polybiano itinere, & οὗτοι τὰ παντά πλάγια τὸ δραπερεύονται συνέχοντες τάντα, καὶ τὴν ασφάλειαν πόντον τὸ δραπερεύοντες. In Hygini Castris secundum scamina, & proxime impedimenta Legatorum Tribunorumque confident alæ milliariæ. Μεθ' εἰς αὐτὸς.) Imperatorem circumdatum Cohorte sua, ante equites, quos vocat, τάγματα, constituit; quos tormenta, machinæque sequuntur, hos Legati, Tribuni & legiones. Leo: τελιπτεῖται οὐδὲ τὸ σπατοῦ, ἡγεμόνων ησάν εὐδοξίτης, οἱ τὸ παντὸς σπατοῦ τερπορευομένοις αὐτοῖς, πηδᾶς ἔνεκεν, καὶ διὰ τὸ φέρεν τὸ θητηρίων, διὰ τὸ σῆς απάσους τερπελθομένως, καὶ τὸ μὲν σε βάνδων: vulgo ante agmen, ante signa, in itinere; velut εἰ τῇ ιδίᾳ τάξει, ponitur Imperator, & fere pedes. Vitellius

in ingressu urbis Romæ ante primum agmen incessit. Sequuntur eum legiones, deinde alæ, postremò cohortes. De Cajo Julio Suetonius: *In agmine nonnumquam eques, sèpius pedibus anteibat, capite detecto, seu Sol, seu imber eßet.* De Vespasiano hoc Tacitus: *Acer militæ anteire agmen.* Et de Othonе: *Lorica ferrea usus ante signa, pedestris, horridus, incomitus. Toùs πεπλέκτους της πεζῶν ή ποσέων, καὶ τοὺς λογχοφόρους.*) In agmine Titi quosdam post impedimenta locat: *καὶ μὲν τὸν τάτων στρατὸν αὐτὸς, πόλις πεπλέκτους, καὶ τοὺς λογχοφόρους.* Ubi interpres *signiferos* male convertit, quos hic *lancearios*. Hyginus in Castris proxime Prætorium ponit comites Imperatoris, deinde cohortes Prætorias, Primipilares evocatos, & equites Prætorianos. Evidem cohortes Prætoriæ Urbem plerumque, & Italiam tuebantur; raroque admodum, nisi cum ipso educabantur Principe. Duces tamen ex delecto milite, primipilaribus evocatis, & voluntariis, componebant manum quandam, quæ ipsis pro cohorte Prætoria esset, eamque armis Prætorianorum ornabant. Josephus: *Φέρουσι δὲ οἱ μὲν αὐτὶ τῷ στρατῳ πεζοῖ, λόγχην καὶ ασπίδα; lanceam & scutum rotundum;* inde dicti *λογχοφόροι.* Addit; nihil horum armaturam ab armis differre equitum alariorum. *Ουδενὶ δὲ στρατοπέδοντος οἱ αὐτὶ τῷ στρατῳ πεπλέκτοι της τῆς στρατοπέδου.* Lanceis armabantur eaestate equites: item speculatores, quos Tacitus *Lecta corpora* vocat. Hic autem non solos speculatores, sed totam cohortem Prætoriam intelligi apparet: Nam & speculatores ex cohorte erant Prætoria. Tacitus: *Dilapsis speculatoribus, cætera cohors non affermata concionantem.* Insignia alia Prætoriarum cohortium, alia legionum, etiam Tacitus notat: *Aperire deinde armamentarium jussit, raptæ statim arma sine mora, & ordine militæ, ut Prætorianus, aut legionarius insignibus suis distinguerentur.* Tò idov τάγματα iπωικάν: ) Hic est ille locus, quem supra ad Hyginum de cohorte equestri interpretabar; non de equitatu legionis. Suadebat id imprimis ipse numerus equitum, quem alibi cohorti equestri diserte tribuit: neque obstat videbatur vocabulum, quod apud Græcos non semper pro legione sumitur. Libro VI. Josephus omnem eo copiam designat: *Oi Ρωμαῖοι καὶ ἔπαισον τάγματα διετέλεον τὰς τροφὰς.* Libro V. Cohortes vigilum appellat τὰ την κυτοφυλάκων στρατωτῶν τάγματα. Leoni τάγμα & bandum ejusdem significationis; Ignatio, epistola XII. τὸ στρατωλικὸν τάγμα, contubernium, id est decem milites. Repugnare tamen, ut verum fætar, huic videtur sententiæ, quod locus hic ante machinas, & signa legionum, proprius videtur equitum, qui legionibus juncti; non autem equitum cohortis. Nec de equite Prætoriæ

cohortis, vel singularibus, videtur accipi debere; cum jam paulo ante  
 equitum peditumque delectorum meminerit; præsertim cum plures co-  
 hortes Prætoriæ in exercitu Vespasiani fuisse non videantur; hic autem  
 dicat, unumquodque *tagma* habuisse centum viginti equites. Evidem  
 distinguunt etiam interdum equitem legionarium ab auxiliario scriptores  
 ejus ætatis. Tacitus: *Fabius Valens die postero Coloniam Agrippinensem,*  
*cum equitibus legionis primæ auxiliariorumque, ingressus, Imperatorem Vitel-*  
*lium consalutavit.* Sed hæc alæ quingenariæ sunt. Libro Historiarum II.  
*Dextra fronte prima legio incessit cum duabus vexillaribus cohortibus, & quin-*  
*gentis equitibus: super hos è Prætorio auxiliisque mille equites.* Lib. III. *Duæ*  
*tunc Pannonicæ ac Mæsicæ alæ perrupere hostem, numc sedecim alarum conju-*  
*cta sunt.* Pannonicæ ac Mœsicæ alæ, sunt equitatus legionum Pannonicæ  
 ac Mœsicæ. Hæc alæ, quia ex civibus conscriptæ, & legionibus adjunctæ,  
 in inscriptionibus ejus ætatis equites legionis etiam appellantur. Non  
 enim tunc erant trecenti equites Romanis antiquæ militiæ. Notes & alibi  
 parvum equitum numerum dari legioni. Hirtius: *Cn. Domitius legioni*  
 XXXVI. *duas à Dejotaro, quas ille disciplina atque armatura nostra com-*  
*plures annos constitutas habebat, equitesque centum, totidemque ab Ariobar-*  
*zane sumit.* Minor tamen alæ quingenariæ numerus, sub Imperatoribus  
 rarior est. Quare nisi his Vespasiani legionibus minus justo equitum fue-  
 rit, aut corrupti sint hi numeri, vel denique (quod vult Savilius, sed  
 parum probabile est) fallatur Josephus, nondum video quid hæc com-  
 modius accipientur, quam feci ad Hyginum: quod tamen velim alios  
 examinare. Τὰς ἐλεπίλεις Φέγοντες ὄρες, τὰ λοιπά μηχανίατα Machi-  
 nas & tormenta, non tantum expugnandis oppidis, & defendendis ca-  
 stris habebant; verum etiam quæ in Campo, ut ait Vegetius, post  
 aciem gravis armaturæ ponebant; ad quarum impetum, nec equites  
 loricati, nec pedites scutati possent obstare. Vide Tacitum in III. Hi-  
 storiarum, ubi describit aciem Vitellii & Othonis exercituum. Ideo singulæ legiones, imò centuriæ, si fides Vegetio, habuere sua tormenta.  
 Libro II. Cap. 25. Nam (legio) per singulas centurias singulas carroba-  
 listas habere consuevit. Et statim: *In una autem legione quinquaginta quinque*  
*carrobalistæ esse solent.* Tot enim in legione Vegetiana centuriæ sunt: col-  
 locabantur hæc in acie interdum post legiones, interdum ad cornua: in  
 agmine autem hoc ante signa; sive quod ad expugnandas iretur urbes,  
 ubi primus machinarum usus; sive quod prima in castra ferrentur,  
 ibique in vallo constituerentur. Neque sane commode post legiones du-  
 cerentur, in loco impedimentorum. Ήχεύοντες τε καὶ σπειρῶν ἐπισχοι σω̄  
 χλιάρες

χλιάρχοις) libro VI. μετ' ἐπιλέκτων χλιάρχοι, οὐδὲ σπειρῶν ἐπιλέχοις.  
 ἡγεμόνας hic interpretor, Legatos. Arrianus: ἐπειτα τὸ σημεῖον τὸ πεν-  
 τεταρτονάτης Φάλαργος, οὐδὲν αὐτῷ, δέ τὸ ἡγεμών τὸ Φάλαργος Ὁὐαλ-  
 πος, οὐδὲ οἱ χλιάρχοι. Tacitus Hist. II. Illuc Mucianus cum Legatis  
 Tribunisque, & splendidissimo quoque Centurionum venit. Ingressu exercitus  
 Germanici idem ante aquilam Praefectos Castrorum cum Tribunis locat.  
 Ante Aquilam Praefecti Castrorum, Tribunique & primi Centurionum candida  
 ueste, ceteri juxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes. Inter  
 Legatos Legionum Vespasiani etiam Titus filius fuit; autore Suetonio:  
 Additis igitur ad Copias duabus legionibus octo alii, cohortibus decem, atque  
 inter Legatos majori filio adsumto. Αἱ σημαῖαι περιήγουσαι τὸ δέσμον) Unius  
 hic tantum meminit Aquilæ; cum paulo ante Legatorumque & Tribuno-  
 rum omnium fecerit mentionem, & sua cuique legioni Aquila fuerit,  
 non una toti exercitui. Tacitus: Quatuor legionum Aquile per frontem,  
 totidemque circa ē legionibus aliis vexilla. Agmen ducunt Cohortes primæ  
 quatuor legionum (ex enim adserabant aquilas) & totidem Vexilla-  
 riorum cohortes, quæ & in Castris tendebant in striga cohortis primæ.  
 Ut autem Aquila totam legionem, sic cohortium signa, cohortes ma-  
 nipulorum manipulos ducunt. Non licet militi abscedere ab illis, non  
 ante illa procedere. Moveantur signa; sequatur miles: constat, con-  
 ficit agmen. Hinc istud militum invicem adhortantium: Accelera, si-  
 gnifer, sequere, miles. Et illi, pugnæ flagrantes desiderio, clamant; se  
 ante signa ituros. Nam in acie, etiam instruta, primum locum (fallit  
 vir doctissimus qui aliter sentit) tenuerunt signa; nec licuit cui-  
 quam ante ea procedere, priusquam datum concurrendi signum esset. At  
 dato signo, non licitum tantum, verum pulchrum etiam & laudabile  
 fuit, procedere ante signa, ibique in media mole pugnæ versari. Quam  
 Romanorum Disciplinam rationemque, parum adhuc explicatam, in  
 illis quæ de Acie conscripsi, multis persecutus sum. Mutis his signis  
 subjungit semivocalia, quæ vocant, buccinas, tubas, cornua. Hæc  
 quoque alia legionis, alia cohortium, aut manipulorum fuerunt, &  
 duxerunt agmen. Η τὸ Φάλαργος εἰς ἔξ θλατύνασσα) Phalanga vo-  
 cat grave legionum agmen: sed formam longitudinemque agminis pa-  
 rum explicatè describit. Neque enim satis constat, de longitudine, an  
 de latitudine loquatur, cum ait sex ordinibus dilatatos. Nam quamvis,  
 quæ proprie in agmine latitudo, quæ in acie supra probaverimus; con-  
 fundunt tamen ista scriptores. Deinde an de latitudine totius Aciei hæc  
 intelligemus? Ita quidem interpretari videtur Interpres: Phalanx in

latitudinem senis digesta militibus. Lipsius: *Phalanx senum virorum ordinibus dilatata.* At ista ratione immanis fiat longitudo agminis. An de latitudine singularum partium? Addit enim, τὸ σῆφος: quod ipsum dubium, de cohorte, an centuria accipi debeat? per cohortes, an centuriatim sex ordinibus instructi fuerint? præterea plures, an una tantum? & si plures, quot cohortes, vel centuriæ in fronte incesserint? Ad hæc differtè adfirmanda, divino opus est. Si quid ex agmine Vitelliano, & ratione tensionis in Castris, conjecturâ licet judicare; Cohors prima cum Vexillariis, qui respondent numero trium cohortium, frontem tenuint; quorum si singulæ centuriæ, sint virorum sexaginta (decem metatores jam ex singulis præcesserunt, fortassis & alii delecti: quod ait de sex virorum ordinibus, probabile reddit sexaginta milites fuisse) & habeant in fronte sex introrsus decem milites: tres cohortes occupabunt in latitudinem (in singulos tres pedes damus) trecentos quatuor & viginti pedes; si vero contrà, in longum sex, in latum denos habuerint milites, occupabunt quingentos viginti pedes: hos subsequentur tres cohortes; deinde tres aliæ, & rursus totidem. Ita una legio in longitudine agminis, primo modo ducentos viginti quatuor (singulis pedes sex damus) secundo, centum quadraginta quatuor tenebit. Possum alias adjicere formas; sed cum res tota sit incerta, non placet his agminibus, quæ ex suo quisque ingenio fingere potest, chartas replere. ή εκαπνωτάρχης) Vegetius Campi Ductores, Vicarios, vel Tribunos interponit. Illud quoque, inquit, vitandum, ne per negligentiam, aliis festinantibus, aliis tardius incedentibus, interrumpatur acies (de agmine loquitur) aut certe tenuetur: continuo enim hostes inter prolata pervadunt. Interponendi ergo exercitatissimi campi doctores, Vicarii vel Tribuni, qui alacriores tardent, & pigrius incedentes accelerare compellant. Nam qui multum præcessere, supervenient facto, non tam redire (an recedere) quam effugere cupiunt. Qui vero extremi sunt, deserti à suis, vi hostium, & propria desperatione superantur. Evidem magnæ curæ non solum in confictu, sed etiam in itinere fuit ordo, tum universi agminis, tum singularum partium. Idem: *Primis meditationum auctoribus tyrones militarem edocendi sunt gradum. Nihil enim magis in itinere, vel in acie custodiendum est, quam ut omnes milites incedendi ordinem servent. Quod aliter non potest fieri, nisi assiduo exercitio ambulare celriter, & æqualiter discant. Periculum enim ab hostibus semper gravissimum sustinet divisus & inordinatus exercitus.* Josephus: ἐδευτὸν γῆστρι μὲν κόσμου πάντες, ὥστε εἰ πολέμω, τῶν ιδαῖον τάξιν ἔκεισθαι φυλάσσων. Statius vocat legem severi ordinis. Thebaïd. V.

Disposi-

*Dispositi in turmas rursus, legemque severi  
Ordinis, ut cuique ante locus, duclorque monetur  
Instaurare vias.*

Td δ' ὁμετέρην ἐναγγελίᾳ ταῦτα τοῖς.) Calonum magnus sub Imperatoribus in exercitu fuit numerus, ut supra dixit Josephus; qui ibidem notat, in armis quoque fuisse exercitatos; Romanorumque ea in re prudentiam miratur, ita servos instruentium, ut non solum virtutē ministeriis, sed etiam belli necessitatibus utiles sint. Improbant tamen etiam ejus ætatis Romani, rem, magis licentia temporum inductam, quam ex Disciplina Militari, vel usu Reipublicæ institutam. Fabius<sup>1</sup>, de oratione multis epithetis onerata: *Fit longa & impedita, ut in quæstionibus eam judices similem agmini, totidem lixas habenti, quot milites, in quo numerus duplex est, nec duplum virium.* Antiquâ Disciplinâ gregariis non licuit habere servos; sed licentia temporum & ambitio Imperatorum hoc quoque induxit. Certe ex quo Cæsar legionibus omnibus in perpetuum duplicavit stipendium, singuli milites legionarii jus videntur consecuti servum alendi. Quæ res cum inutili turba, & longo impedimentorum agmine, magis saepè oneraret exercitum, quam res & ratio rei militaris permitteret, effecere interdum, ut sine istis milites in castra profici scerentur. Cæsar bello Africano, ita ex Sicilia transportaverat exercitum, ut præter ipsum militem & arma, neque vas, neque mancipium, neque ullam rem quæ militi usui esse consuevit, in naves imponi pateretur. Ipse Cæsar in Britanniam non nisi tres servos duxerat, autore Athenæo. Locus autem calonum, de quo hic agitur, in agmine idem fuit, qui impedimentorum, & lixarum, de quibus supra diximus. Livius: *Non lixa sequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat.* Cæsar: *Inter singulas legiones magnus impedimentorum numerus intercedebat.* Οὐδὲ διαφέρει τοις ὑπόθεσις ὅχλοις.) Hyginus Cantabros, Getas, Dacos, Brittones, & si quid præterea fuerit nationum in retentura, per strigas cohortium equitatarum & peditatum spargit, & ab tergo & lateribus circumdat legionaria manu. Οὐδὲ πεζοὶ πεζοὶ οὐδὲ ὄχλοις, οὐδὲ τοις ποτέ συνπολεότες.) Quod genus peditum equumque agmen claudat, parum hic diserte ostendit, nisi quod pedites, partim esse gravis armaturæ, partim levis; Hygino quidem non invito; qui in Retentura & legionarias & pedestres & equestris cohortes ponit. Tempus profectionis, ut hic dicam quod supra omisi, prout ratio rei gerendæ postulavit, varium; ac aliàs aliud: justum tamen & quadam modo legitimum quarta vigilia fuit. Cæsar de bello civili III. *Duas in castris legiones retinuit, reliquos de quarta vigilia compluribus portis eductas,*

itinere præmisit. Eodem: Postero die Cæsar, similiter præmissis prima nocte impedimentis, de quarta vigilia ipse egreditur: Idemque reliquis fecit diebus. Spatium diurni itineris iustum, viginti millia passuum. Vegetius libro I. c. 10. Militari ergo gradu viginti millia passuum horis quinque duntaxat æstivis confienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quatuor millia peragenda sunt. Ideo Augusti. & Hadriani. Constitutionibus decem millia passuum armati, instructique omnibus telis pedites militari gradu ire ac redire jubebantur in castra, ita ut aliquam itineris partem cursu alacriore conficerent. Ipse Hadrianus traditur vicena millia pedibus armatus ambulasse; & Galba totidem ad esedum Imperatoris cucurrisse campestrem, meditationem scuto moderatus. Cæsar de bello Gallico V. *Eo die millia passuum XX progredivit.* Nec est quod quisquam hoc spaciū minus justo diei itinere esse putet, idè quod quinque horis æstivis conficiebatur ex disciplina militari. Neque enim totos dies sine gravi causa iter faciebant; sed partem diei quieti, partem munitioni Castrorum, partem pabulo lignoque conquirendo dabant. Cæsar, post prælium Dirrachinum, cum impedimenta omnia cum una legione silen-  
tio prima nocte ex Castris Apolloniam præmisisset, reliquas legiones de quarta vigilia jussisset proficisci, jam ante meridiem iustum diei iter con-  
ficerat. *Confecto, inquit, justo itinere ejus diei quod proposuerat Cæsar;* transductoque exercitu flumen Genusum, veteribus suis in Castris contra Asparagum confedit, militesque omnes intra vallum continuit, equitatumque per causam pabulandi emissum, confessim Decumana porta in castra se recipere jussit. Pompejanis autem, ad repetenda ex superioribus castris impedimenta dilapsis, & ad sequendum impeditis, Cæsar, quod fore providebat, meridianō fere tempore signo profectionis dato, exercitum educit, dupli-  
catoque ejus diei itinere, *XXVIII. millibus passuum ex eo loco procedit.* *XXVIII.* millia eo die videtur progressus. Onera quæ tulerunt milites in itinere, præter justa arma, quæ in onere non numerabantur; valli, cibaria, addit his Josephus: Περώνα ἡ μέσην τοῦ ἀγνύτου ἡ πέλεκις, τρεῖς δὲ ισαυγὲς ἐπέπαυνον ἐπίλινον. Ad sexaginta libras pondus bajulare jussos scribit Ve-  
getius. Sed hæc jam pridem observarunt viri docti, & aliis locis à nobis attinguntur. Tulerunt autem onera legionarii: levis armatura, & au-  
xiliares expediti fere ducebantur. Cæsar: *Frumenti copiam legionarii non nullam habebant, quod dierum XXII. ab Ilerda jussi erant frumentum effe-  
re, cetrati auxiliare que nullam, quorum erant facultates ad parandum exiguae,* & corpora insueta ad onera portanda.

## C A P U T X I V.

www.libtool.com.cn

## D E

## T E L I S L E G I O N U M .

**V**eteri Republica , & illa quam Polybius describit Militia , principes & hastatos pilis , triarios hastis , velites vero hastis velitribus instructos fuisse , Viri in Literis celeberrimi , ante Salmasium , magno consensu statuerant : eaque causâ in Græcis Autoribus , *χειρόφονος hastas velitares , ναυτική pila , δόρεγτα hastas* , Latine converterunt . Dissentit ab illis vir clarissimus in libro posthumo de Re Militari , inque epistolis quæ post mortem ejus prodierunt : Et *χειρόφονες* male reddi hastas ; gæsa enim esse : *ναυτικές hastas , δόρεγτες* vero pila esse , contendit . Quæ opinio cum toto cælo à priorum distet sententia , neque sine gravi causa à viro longe doctissimo videatur proferri , operæ pretium fuerit , utrorumque rationes , quas aut in scriptis allegarunt suis , aut quas secuti possint videri , examinare : quamvis enim alterius loci hæc sint , tamen quem jam horum telorum aliquoties mentionem fecerimus ; locaque quædam , in quibus hæc vocabula occurrunt , adduxerimus , non placuit hæc in longiorem diem conferre ; quod ne cui temere , aut imprudenter huic vel illi assensum præbere , aut Græca , priorum potius exemplo , quam certa ratione interpretari videamur . Ac primùm quidem *χειρόφονες* quod attinet , velitum , sive *χειροφονάχων* (de eo enim pugna non est ) tela , ea quidem magno autore Tito Livio , converterunt *hastas* , qui jacula , sive tela velitum hoc nomine passim appellat ; nisi quod interdum , ad discrimen longarum hastarum , addit *velitares* . In institutione velitum ait electos juvenes : *eis septena jacula , quaternos longa pedes data , præfixa ferro , quale hastis velitaribus ineſt* . Absurdum poslit videri , ut recte dixit Lipsius , idem per idem explicari ; sed tamen absurdum nihil est . Loquitur enim de milite qui illa ætate in exercitu notus non erat ; & de hastis quæ erant notæ , & velitibus jam de legione sublati , nominabantur tamen vulgo velitares . Ita intelli-

Q q

gen-

gendus Plinius, cum scribit, *Tyrrhenum invenisse hastas velitares*, id est leves hastas, quæ vulgo sic vocabantur. Festus: *Advelitatio, jactatio quædam ab hastis velitaribus*. Ovidius:

~~www.Utque perim primo plenum flaventis arenæ~~

*Nondum calfaëli velitis hasta solum.*

Ex quibus appareret levem & jaculatoriam hastam dictam velitarem etiam ea ætate, qua velites nulli erant. Hoc igitur dicit Livius; priscorum velitum hasta, quod ad ferrum per omnia nostris hastis, quæ velitares dicuntur, similis est: in hastili aliqua differentia est: hoc enim olim quaternos longum pedes erat. Dubitare autem, an jacula velitum hastæ sint appellatae, cum ipsæ hastæ inde velitares sint dictæ, id quidem absurdum. Sed, si qua fides Livio, quem (ut cunque imperitum rei militaris singas) haudquaquam credibile est, pro gæsis semper hastas velitares substituisse; ejusmodi argumentis opus non est: toties, & tam aperite velitum telum hastæ vocabulo designat. XXXVIII. *Hic miles param tripedalem habet, & in dextra hastas, quibus eminus utitur.* Libro XXX. *Resilientes ad manipulos velites, quiem viam Elephantis, ne obterrentur, fecissent, in eos ancipites ad iustum utrumque conjiciebant hastas.* Ancipites ad iustum vocat, non quod in summo & in imo cuspidem haberent, ut hastæ equestris; sed quod propter levitatem etiam, retrorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum, nullo negocio possent conjici; cum pila, alia que graviora tela, non sine nisu, & conversione totius corporis, recte contorqueri possent. Velitum enim telum admodum habile ad mittendum, sed ad remittendum, inhabile militibus erat; quia inflectebatur, aut frangebatur. Livius: *Velites, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est.* Ubi tamen absurdâ illa postrema: Quid enim? an tam imperiti armorum levium Syracusani? an tantum inhabile ad remittendum imperitis telum velitis? imò, ne peritis quidem habile. Ferrum enim erat adeo exterminatum, ut necessario statim à primo jactu inflectetur, ne possit remitti. Scripsérat Livius, *impeditis;* aut, quod potius crediderim, *petitis:* nam cum pro *petiti* legeretur *peritis*, facili errore, sciolus aliquis absurditatem hujus lectionis videns, inde fecerit, *imperitis.* Opponuntur autem apud Latinos *petentes* & *petiti.* Panegyrico ad Pisonem:

*Et vitare simul, simul & captare petentem.*

Livius XXXVIII. Nec aut procurrere quisquam ab ordinibus suis, ne mudarent undique corpus ad iustus, audebant; & stantes, quo densiores erant, hos plura velut destinatum petentibus vulnera accipiebant. *Velut destinatum petenti-*

tentibus, id est, ut destinatum erat petentibus, ut destinaverant petentes. Frontinus : *Ageſilaus, exterritis Thebanis, digreſſisque ad tuanda mania, repetitum iter, quod destinaverat, emensus est nullo obſiſtente. Sic infidiatorem appellanto petentem inſidiis;* cui ſtructæ ſunt inſidiæ, petitum inſidiis. Livius in oratione Demetrii : *Execrare nunc cupiditatē regni, & furias fraternalē concita; ſed ne ſint cœcæ; Pater, exccrationes tuæ, diſerne, & diſpice inſidiatorem, & petitum inſidiis, noxiū huic eſe caput.* Scribo ; *In noxiū execrare caput. Execrare, inquit, Pater,* ſed in caput noxiū execrare, ne ſint cœcæ exccrationes tuæ. Sic quoque telis petiti, & repetiti dicuntur. Livius : *Repetitumque ſepiuſ cuſpide ad terram adfixit.* Hinc petitiones proprium Gladiatorum verbum. Quemadmodum autem mittere tela, proprie eſt petentiū; ſic remittere, petitorum. Hostes enim, & ex adverſo ſtantes, & in quos tela miſſa fuſt, ii proprie ea remittunt. Cæſar bello Gallico II. *Ut ex tu-mulo tela in noſtos conjiſcerent, pila que intercepta remitterent.* Tale autem haſta velitaris fuit, ut ab hoſte non poſſit remitti. Polybius : *τὸν δὲ κέν-τεον ὅπλη ταῦτα τὸν ὅπλεπθόν, ἐξεληλασμένον, καὶ συνοχυτμένον, ὡς τοῖς ἀνάγκηις ἐνθέως λαπτό τὸ περίτης ἐμβολῆς κάμπτεσθαι, καὶ μὴ δύνα-θαι τοὺς πολεμίους ἀνιτάσσειν, εἰ δὲ μὴ, τοινὸν γίνεσθαι τὸ βέλος.* Ab petitiſ igitur telum hoc remitti poſſe, negat Livius. Igitur *χειρόφους* haſtas velitares eſſe, ex iis quæ ſupra diximus, ſatis liquet. Quanquam gæſa quoque non male vertas; cum haec quoque levi armaturæ tribuantur. Livius in Octavo, de levi armatura ejus ætatis : *Leves autem, qui haſtas tantum gæſaque gererent, vocabantur.* Sic inter tela, ab Aretiniſ Scipioni ſubminiftrata, gæſa quoque invenias : Lib. XXVIII. *Aretini triginta millia ſcutorum, galeas totidem, pila, gæſa, haſtas longas, millium quin-quaginta ſummam cujuſque generis numero expleturos.* Græco autem vocabulo jaculum levis armaturæ, quoconque illud nomine voces, designa-tur: quod uti jam olim in haſta quoque nomen venit; ſic in nomen haſta velitaris, proprie, ex quo velites instituti ſunt. Ut enim *χειρόφο-μάχαι* abſque controverſia velites; ſic *χειρόφους*, haſta velitares recte redduntur. At enim haſta proprie haſtatorum; unde eis nomen. Tela autem haec *ἱστρὶς* appellat Polybius. Qua objectione, quia à velitum telo ad haſtatorum telum tranſit, ne repetenda mox eadem ſint, exami-nabo; jam nunc argumenta Salmasii, quibus adductus, *ἱστρὶς, haſtas, δόρεγον* autem *pila* convertit. Primum eſt, quod haſtati ab haſtis, pilani à pilis nomen duxerunt: unde enim, niſi ab armis suis? Alterum, iſum vocabulum *ἱστρὶς*, à quo deduco vocabulum haſta: ut eaim *ἱστρὶξ*, & *ἱστρὶ* dice-

dicebant, sic & vās & vās; unde hasta. Ac primum quod attinet; ego quidem facile crediderim, initio cum instituti sunt apud Romanos hastati, principes, & triarii, sive pilani; hastatos, ab hastis, & pilanos ~~apilis~~ ~~lithomē~~ suum traxisse; præsertim cum accedat Varronis autoritas ad sonum vocabulorum. *Hastati, quod primi hastis pugnabant: Pilani, quod pilis.* Sed quænam illa prima apud Romanos fuerit Militia, difficile dictu est. Nam hastatos, principes, & triarios, Romuli institutum putat Ovidius: verè an secus, non multum ad hoc tempus: si tamen verè, possis suspicari in legione illa trium millium hastatos fuisse levem armaturam; quales hastatos Ennius describere videtur; ut recte senserunt Viri doctissimi.

*Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.*

Varro etiam, cum ait: *Principes, qui à principio gladiis pugnabant; & post commutata re militari, minus illustres sumuntur:* Indicare videtur, aut hastatos olim gladiis non pugnasse; id est, levis armaturæ fuisse milites: (Leves enim procuraſtabant tantum, eminusque in hostem jaculabantur: irrita deinde velitatione, pugnâ, si instaret hostis, in intervalla manipulorum recipiebantur; ad manus raro veniebant; neque collato-pede in hostem pugnabant:) aut certè principes in prima acie, ante hastatos, solitos collocari: non enim dici potuſſent principes, quod à principio gladiis pugnarent; si jam ante eos alia acies erat iisdem armis telisque instructa, neque minus ad propiorem pugnam habilis. Neque enim ullo modo assentiri possum viro celeberrimo, in hoc loco, à principio, interpretanti, *olim in antiqua militia:* (quomodo Tacitus dixit; *Reges à principio Romanam habuisse.* Ridiculum enim sit, dictos idē principes, quod olim gladiis pugnaverint: quasi prima institutione, cum acceperint nomen, id inde acceperint, quod jam olim aliiquid fecerint, cum non in rerum natura essent.) Nec postea inde accepisse nomen hoc, quod olim aliiquid fecerint, simile est veri. Quæ enim hæc ratio sit, dici ideo principes? Sic quidem nullus antiquus ordo sit, cui non meritò conveniat nomen principum: aliiquid enim in prima sua institutione fecisse necesse est. Sed hæ (pace tanti viri dixerim) nugæ sunt. Principes, Varro dictos vult, quod primi essent qui gladiis pugnarent: primi enim principes sunt. Ac hoc quidem perspicuum est; obscurius, quod sequitur; & post commutata militia minus illustres sumuntur. Dubium enim, an minus illustres postea sumti, qui principes essent: an, qui à principio gladiis pugnarent. Illud Salmasius putat; & ad Marianam refert Militæ mutationem; nec tamen ullo exemplo probat, in Mariana, aut illa

illa quæ sub Imperatoribus fuit Militia, minus illustres fuisse, qui principes dicerentur: Principes enim, & principales milites, tum præcipui dicebantur: nec alio sensu accipi usquam videas, ex quo à significatiōne antiqua, qua designabatur medium inter hastatos & triarios ordo, recessum. Varronis autem ætate vocabula illa, principum, hastatorum, & triariorum, manipulis manebant. Quare si de mutatione Marii intelligendus est Varro; non aliter intelligendus est quam antea, in principes lectos, τὰς ἀρχαὶ τὰς Φύλακας; postea discrimen illud sublatum esse. Ego verò malim, cum Lipsio, intelligere, commutata jam olim Militia Serviana, hastatos, id est, juvenes pubescentes, & proinde minus illustres, in locum principum substitutos, qui primi pugnarent gladiis: cum antea, ex Servii instituto, ditissimi quique, in prima acie essent: & pedibus in viri doctissimi irem sententiam, si quidem apud Varronem esset, sumebantur, vel sumti: ac nescioanne ita fuerit: offendit enim aliquo modo, post commutata militia sumuntur. Dixisset enim potius, opinor, nunc commutata &c. imò, cùm in veteri Codice sit, minus illustres sunt: omnino mihi persuadeo, scripsisse Varronem: Post, commutata militia, minus illustres sunti. Quicquid sit, (persequemur enim hæc alibi plenius:) veterem illam institutionem, qua principes primi gladiis pugnabant; & hastati, hastis, vel à Servio, vel à Tarquinio, vel utique Libertatis principio, commutatam esse, necesse est. Primos enim gravis armaturæ, jam antiqua Republica ante hastatos fuisse; secundos, principes; inter omnes satis constat. Ac jam, bello Latino, hunc ordinem obtinuisse, autor est Titus Livius, ubi hastas palam attribuit triariis: *Triarii sub vexillis confidebant sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inborreret acies, tenentes.* Mox de pilanis Latinorum: *Qui aliquamdiu pugna atroci quum & semet ipsi fatigassent, & hastas aut præfregissent, aut bebetassent.* Iterum de Romanorum triariis: *Clamore sublato principia Latinorum perturbant, hastisque ora fodientes, primo robore virorum cæso, per alias manipulos, velut intermes, prope intæcli, evasere.* Quod si jam tum, prisco ordine turbato, hastati à principio gladiis pugnabant, ut antea principes, pilanique hastis, qui antea pilis; quid est quod de ætate Polybii, aliorumque, tanto propiori addubitemus? Quod si hasta triariorum fuit, pilum hastatorum, & principum telum est. Hasta enim & pilum sunt, quæ gravis armaturæ militibus adscribuntur; non alia. In censu Serviano, δέξει attribuit primis classibus Dionysius; Livius hastas: pilum verò non uno loco, & sigillatim in XXVII. dat hastatis; quos, ait, *pila in Elephantos con-*

*jeſiſſe*: Pilum autem proprium Romanorum telum eſſe, notius pœne eſt, quam ut probare neceſſe ſit. Virgilius Lib. VII. Æneid.

*Pila manu, ſævoſque gerunt in bella dolores.*

[www.libtop.com.cn](http://www.libtop.com.cn)  
Ubi Servius: Pilum proprieſt̄ haſta Romanorum, ut gæſa Gallorum, Sariffa Macedonum. Et XI.

*Procedit legio Aufonidum, pilataque plenis  
Agmina ſe fundunt portis.*

Valerius Argon. Lib. VI.

*Romanos veluti ſævifſima cum legiones*

*Tyſiphone, regeſque movent, quorum agmina pilis,  
Quorum aquilis utrimque micant.*

Hinc apud Festum: Pilumnus populus eſt pilis uti adſuetus. Eadem ratione Græci ὁστὸν, proprium Romanorum telum eſſe ſcribunt. Dionyſius: ἐſt δὲ τὰν τὴν θέλην πρωπαῖον, ἀ τυπιόντες εἰς χεῖρας ἐξανορθίζον. Et ſicuti pila Latini vix eſt ut aliis dent, quam Romanis, & quidem legionariis peditibus; ſic Græci ὁστὸς ſolis etiam Romanis tribuunt: at δόξῃς haſtas modo ſuis, modo alienis: non tantum enim inter militaria Romanorum tela, late patet haſta vocabulum, nunc haſtam equitum, nunc triariorum, nunc velitarem designans; ſed etiam inter externa: eodem enim vocabulo & prælongam Macedonum ſariffam, & longam haſtam, qualem veteribus Heröibus dant, & levia tela exterorum deſignant. Ac quamvis plerique Græcorum, minus hic accurati, Romanis legionibus nunc δόξῃς, nunc ὁστὸς adſignent; vix tamen eſt, ut hyffos aliis, quam Romanis. Mariana militia traductis in primum triariis, & pugna per cohortes integras instituta, frequentiſſimum dicam, an verius unum Romanarum legionum jaculum, pila fuerunt: neque enim temere tum invenias aliud telum legiones Romanas geſiſſe. Et qui geſiſſent? non ſolum ſuperiores, ſed etiam inferiores ordines; nec gregarius tantum miles, ſed etiam centuriones hoc genere telorum instruuntur. Haſtas vero legionibus boni autores eā ætate vix eſt ut tribuant. Confirmat hoc iſpum Josephus, qui præter deleſtos, qui circa Ducem verſabuntur, & ſpeculatores, omnibus cæteris gravis armaturæ militibus eadem adſcribit tela. In illa autem telorum Mariana mutatio-ne, veriſimile non eſt totas legiones, hoc eſt haſtatos, & principes adſumifſe triariorum arma, quæ ad ſtatariam manuariamque pugnam, tertiaz, quam primæ aciei aptiora erant. Probabilius, pilanos haſtatorum arma adſumifſe, ex quo in prima cum illis acie collocari cæperunt: triariorum veterum telum ad manuariam pugnam, fodendaque ora erat aptum;

aptum ; pilum ad emitendum. Fallitur enim vir summus , etiam in eo , ut solet error errorem parere , quod putat hastas tantum jaci , pilis comminus rem geri : comparatione quidem velitarium hastarum , comminus jaciebantur pila ; sed jaciebantur tamen , cum jam jam stricturi essent gladium . Inde est quod milites Romanos saepe tanto cursu impetuque procurrisse legimus , ut spatium non fuerit pilâ emitendi : quod deesse non potuisset , siquidem longius torta fuissent . Cæsar : *Ita nostri acriter in hostes signo dato impetum fecerunt , itaque hostes repente celeriterque procurserunt , ut spacium pila in hostes conjiciendi non daretur ; rejectis pilis comminus gladiis pugnatum est .* Hinc & milites missis pilis celeriter gladios educere præcipiebantur . Cæsar in Pharsalia , cum procurrentibus suis , à Pompejanis contra non concurreretur ; *Parvo , inquit , intermissio temporis spatio , ac rursus renovato cursu , pila miserunt .* ( vides milites veteranos non eminus , nec in primo cursu in hostem contorsisse ) celeriterque , ut erat præceptum à Cæsare , gladios strinxerunt . De Pulfione Centurione idem in hibernis Q. Ciceronis : *Pulfio pilum in hostes mitit , atque unum ex multititudine procurrentem transjicit ; quo percussione & exanimato , hunc scutis protegunt hostes , & in illum universi tela conjiciunt , neque dant regrediendi facultatem : transfigitur scutum Pulfioni , & verutum in baltheo desigitur : avertit hic casus vaginam , & gladium educere conantis dextram moratur manum .* Vides iterum pilo conjecto nihil superfuisse , nisi ut ad gladium veniretur . Apud Scriptorem belli Africani , Labientum videimus tam prope ad legionarios accessisse , ut cum iis loqueretur , priusquam pilum in eum torquerent . Idem scribit , equites Labieni *pilum militis cursu facile vitasse* : quod scilicet vix sub pili jaçtum venirent ; accendentibus autem legionariis , refugerent . Inde natum proverbium quod est apud Vegetum de propiori pugna : *cum ad pila & spathas ventum est .* Non quod pila non emitterentur , sed quod non longe ; missisque nihil superesset , quam ut collato pede pugnaretur . Illud certe ex Cæsare & Livio manifestum est , pila cum in hostem procurrent , fere vibrasse , raro admodum servasse ad pugnam manuariam . Ejusque rei duas potissimum causas video : primùm , quod pilum , propter grave pondus ferri , non ad hoc aptissimum ; minus utique quam hasta habile erat : deinde quod pilo retento , neque scuto optime , gladio vero omnino uti non possent : quæ arma tanti fecerunt Romani , ut nullum genus telorum militem habere voluerint , quod horum usum tolleret , aut aliqua parte impediret . Dionysius , & Polybius , *ιστον* quoque primo congressu emisisse , non semel scribunt : & hic quidem , libro II . in

in pugna cum Gallis, Tribunos præcepisse, ut δέσποτα triariorum tradarentur primæ aciei manipulis, quibus in ora Gallorum pugnarent: argumentum, νόσσων, ut minus habiles huic rei, primo statim impetu emiliſſe. Par ratione Vegetius, veterum pila describens, *missilia* appellat, non hastas manuarias. Lib. I. C. X X. *Missilia* autem, quibus utebatur pèdestris exercitus, *pila* vocabantur, ferro subtili trigono præfixa, unciarum novem, sive pedali; quæ in scuto fixa non possunt abscindī; & loricam, scienter & fortiter directa, facile perrumpunt; cuius generis apud nos jam rara sunt tela. Idem libro II. C. X V. *Bina missilia*, unum magus ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque & semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur; ad cuius jactum exercebantur præcipue milites: aliud minus ferro triangulo, unciarum quinque, hastili trium pedum & semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur. Quod ipsum verutum paulo ante tamen *pili* vocabulo complexus est. Ne igitur miretur vir doctissimus, quod νόσσον, etiam minorem, *pili* vocabulo Interpretes expreſſerint; cum habeant hic Vegetium, & quidem non suis verbis, ut de re desita, nec suo ore loquentem, hujus interpretationis autorem. Sit licet illud minus, & simile fiburnis modicis, quale describit Polybius; quia tamen ejusdem formæ est, retinet idem *pili* nomen: nam forma, magnitudo & pondus *pili*, pro robore & peritia militum, alia aliis temporibus fuerunt: unde Tacitus Germanicum Vitellii exercitum tergis ferarum, & ingentibus telis horrentem, describit. Nihil igitur impediit etiam minoris *pili* parvitas, quin idem acciperet nomen. Josephus omnibus legionariis tribuit ξυστὸν, quod Hesychius & Suidas interpretantur ἀνցήλον; & ipſe alibi Josephus. Quamvis autem Græci hæc confundant omnes, ne Polybio quidem excepto, qui tamen unus omnia Græcorum, in armis Romanorum distinguendis, longe accuratissimus est: tamen proprie neque δέσποτα, neque λόγχης pila vocaverunt. Sub Imperatoribus, cum duo Romanorum tela essent, pilum, & lancea; illo Legionarii, hoc Prætoriæ cohortes ornarentur; quoties Græcis propriæ loqui placuit, νόσσοι legionariis, δέσποτα vel λόγχης Prætorianis adiderunt. Inde Prætoriani λογχοφόροι, & δοροφόροι, passim. Lanceas quidem inter justa peditum tela, ætate Cæsaris necdum fuisse, ostendit Salustius in Catilinario; ubi de Catilinæ legionibus: *Ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: cæteri, ut quemque casus armaverat, sparsos aut lanceas, alii præacutos fudes portabant.* Sub Imperatoribus, cum institutione cohortium Prætorianarum, nisi fallor, peditum Romanorum factæ sunt. Quamvis Poëtæ, Scriptoresque ejus ætatis, etiam hic

hic suo jure utentes, lanceas suæ ætatis telum prioribus impugnant. Lucas de Craftino :

*Cujus torta manu commisit Lancea bellum.*

Item : [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

*Nulla fuit non certa manus; non lancea felix.*

At cum de suæ ætatis armis loquuntur, vere lanceas & pilum recensent. Plinius de Lauru: *Romanis p̄cipuæ lætitiae victoriarumque nuntio additur, literis & militum lanceis pilisque.* Tacitus I. Historia: *Romanus miles faciliorica, & missili pilo, aut lanceis assultans, ubi res posceret, levi gladio inerem Sarimatam cominus fodiebat.* Quemadmodum autem lancea, & pilum, cum gladio Romanis; sic hastæ & spathæ auxiliis, eodem autore Annalium XII. Si auxiliariis resisterent Britanni, gladius ac pilis legionarium: si buc verterent, spathis & hastis auxiliarium sternebantur. Lancea autem Praetorianorum hastæ equestris per omnia, teste Josepho, similis erat; cui hoc nomen jam fuit priusquam à Romanis peditibus adsumeretur. In Commentariis Cæsaris, Gallis certe equitibus, Cominio Atrebalii, aliisque, jam tribuitur: apud Florum jam olim uxoribus etiam Cimborum. lib. III. *Objecūs undique plaustris, atque carpentis altæ desuper, quasi è turribus, lanceis & contis pugnabant.* Ubi lanceas à contis distinguit; ut & Arrianus, qui in acie contra Alanos quatuor primos ordines ex contatis; reliquos quatuor ex lanceariis componit; ut citat vir doctissimus: quem miror mutata priori ratione, nunc contum, nunc pila interpretari, & λογχοφόρος hastatos: non quidem absurde: (utrumque enim ei assentior) sed maxime contra priores rationes ejus: *Cum enim δογοφόροι & λογχοφόροι iidem sint; δέξαται autem ille antea pila convertere jussiferit; hic quoque hos pilanos, alteros hastatos dici oportuit.* Sed bene est, quod ad verum redit, eo saltē tempore, quo Romana Militia, jam externis moribus commaculata, non multum sui habuit simile: bene est, quod jam tandem prima in acie collocat pilanos, quos antea in tertiam detruserat. Sed nobis, ad veterum arma probanda, non multum opus est illo seculo, quod & in vocabulis, & in armis, & omni Disciplina defecerat. Ex illis, quæ antea diximus, perspicuum est, quæ sint pilum & hasta Græcis. Nam, cum tam evidentia, & omni exceptione majora, veterum Latinorum testimonia attulerimus; (neque enim omnia sua è Græcis hauserunt, ut potuerint labi interpretantes; sed pleraque à priscis Romanis, quibus hæc ignota esse non potuerunt) cum δοτες & pila propria teli Romani; hastas verò & δέξαται, communia vocabula esse: cùm Marium triariorum telum sustulisse; hastatorum & principum,

pum, id est pilum, retinuisse: cum pilum missile, hastam vero manuariæ & statariæ pugnæ habilius telum esse, ostenderimus; quis est qui dubitare queat, quin Lipsius, aliquique viri in Literis insignes, ~~de~~<sup>ex</sup> hastas, ~~verò~~<sup>vel</sup> vero pilas recte Latine reddiderint? Ut igitur assentiamur Salmasio, de illa veteri admodum & antiqua Militia, de qua tamen ille non loquitur, nec in tanta Scriptorum penuria, vix est ut quicquam, præter nudas conjecturas, possit afferri: illud haud dubium est, Polybii ætate, de qua ille disputat, & libera Republica, usque ad tempora Marii, principes & hastatos pilis, triarios hastis ornatos instructosque fuisse; velites vero hastis velitaribus. At post Marium, & sub Imperatoribus primis, nullum justum legionariorum telum, præter pilum fuit: nisi quod delecti ex legionibus, qui vicem cohortis prætoriæ fuerunt, & cohortes prætoriæ lanceas geslerunt.

## CAPUT XV.

DE COHORTIBUS  
LEGIONIS ANTIQUÆ.

**D**iximus supra, in notis ad Hyginum, ex sententia Justi Lipsii, non Hyginiano tantum ævo, sed etiam veteri Republica, apud Romanos legionem decem cohortes habuisse. Quam sententiam cum quidam doctorum minus probent, atque adeò Vir insignis, in suo de Re Militari Romanorum palam oppugnet, res postulare videtur, ut, priusquam ex hoc Campo excedamus, rationes adferamus nostras, propter quas, posthabita horum autoritate, illam alteram secuti simus. Nam sine gravi causâ in horum vel illorum sententiam concedere, factionis videtur: at si pondere testimoniorum, & veritatis ostendas te victum, nemo bonus studium dissentendi interpretari potest, quod aliena suis præferas. Quanquam si nostra hic iterum adferremus, quid esset quod invidiam merito deprecaremur? Postulat hoc Veri-

Veritatis studium, quo nihil Bonis antiquius est: postulant Literæ: nec cedit in contumeliam egregiorum virorum, si ostendas eos interdum homines fuisse. Est hæc lex, cum omnium rerum humanarum, tum harum imprimis literarum, quæ ex obscuris Antiquitatis tenebris eruuntur: paulatim & pedetentim, & quodammodo errando ad verum pervenimus. Nec me quidem judice tantum habent honorem viris Doctis, qui sine iudicio stupent in dictis eorum; quantum qui dissentiendo, interdum ostendunt se bona eorum non probare tantum, sed, quod prius est, intelligere. Nam ista demum ratione appetat, quam pauci præ multis veris, quam leves, quam etiam docti sint errores eorum. Profunt, mihi crede, etiam tum iis, qui suo ingenio, judicioque utuntur: in adstruendis enim opinonibus suis, tot sæpe recondita, tot ignota, & inaudita ex plenis doctrinâ pectoribus promunt, ut pæne tanti sit, eos errasse. Quare, ne nimium sibi plaudant, aut se eximiis æquent viris, si qui casu quodam in verum inciderunt: Sed sic quoque discant eos reverenter habere. Maneat tamen nobis cum prioribus, & posteris nobiscum hoc ex Honesto certamen: Valeant autoritates ad confirmandam, non ad opprimendam, veritatem. Perstringantur liberò, sicuti à vero deflexerunt; sed tanquam egregii viri, sine contumelia: meminerintque semper qui alias notant, alibi se quoque notandos esse.

Henricus Savilius, Vir Clarissimus, & bene de Literis meritus, in libello quem de Militia Romana conscripsit, ubi de Legionis in Cohortes divisione agit, hanc Legionis divisionem in decem cohortes apud Polybium non reperiri, notat; inde pronum esse existimare, illis temporibus ignotam fuisse; (quamvis vox non fuerit ignota) frequentem enim apud Livium in prioribus libris; nisi forte figurate ea utatur. Apud Polybium bis libro II. occurrere in Hispanensi Scipionis bello: videri potius manipulorum extra ordinem vocabulum, quam certæ legionis partis esse: se tamen nihil valde adfirmare. Lipsius in Veteri Militia non dubitat cohortes fuisse, & singulas quidem ex tribus manipulis diversorum generum, hastatorum, principum, & triariorum cum velitibus, qui istis manipulis jungabantur. Negat iterum Salmasius; & non ambigue, ut Savilius, & dubitanter; verum sine cunctatione omni adfirmsat, aut nullas in veteri legione cohortes; aut cohortes easdem atque manipulos fuisse: neque enim subsistere posse divisionem in cohortes; cum divisione in hastatos, principes & triarios: Nam cum legio in cohortes divisa, æqualem in omnes partes eam fuisse factam; singulas quippe cohortes inter se pares fuisse: verbi gratiâ: legio Polybiana,

quaternis millibus & ducentis militibus constans, si divideretur in decem partes æquales, unaquæque earum haberet milites viginti & quadringtonos: in tali partitione, triarios, numero sexcentos, nullo modo æqualem ~~huius~~ partem constituere, nec unam, nec duas ex iis cohortes effici posse. Nec in legione quinum millium idem effici posse: cum singulæ cohortes sint quingentorum hominum: ne in legione quidem sex millium, si recte calculum ponas: etiam si enim sexcenti triarii unam cohortem facere queant; quam tamen? primam, an ultimam? Triarios semper dignitate priores fuisse: at in veteri acie ultimo loco positos: nec alia ratione posse subsistere: corpora enim hastatorum & principum in decem manipulos fuisse divisa, in quibus singulis centum & viginti homines: Si quis tentet has partes denas, & ipsa corpora diducere æqualiter in portiones, quæ cohortibus respondeant, nulla ratione id præstatre posse: singulas enim quadringtonos ac vicenos milites habere debere: Ac si facias singulas quadringtonorum hominum rotundo numero, ne sic quidem rem recte procedere. Tres Cohortes dari ex numero hastatorum, tres ex corpore principum, totidem ex velitibus, novem fore, restare decimam ex triariis, in qua sexcenti ponendi sint. Non fore æqualem divisionem. Adde quod in antiqua legione velites in certum & distinctum corpus redigi non solerent: sed in cætera corpora æqualiter distribuerentur. Polybius τέγμα, σπεῖραν, & σημάνων eadem: Spiram Livium interdum cohortes vertere, & distinguere à manipulo; sed mox sui seculi deceptum: in veteri Militia, rem eandem fuisse: & si cohors debeat exponi, triginta tum cohortes, non decem, ut postea, in legione fuisse. Hæc ille fusius paulò per totum Caput, quo agit de veteri legionis divisione. Mirere tamen, cum in omnia se vertat, ne verbo quidem attigisse quod dixerat Lipsius: ex quatuor militum generibus cohortem fuisse compositam, videlicet ex sexaginta triariis; centum viginti principibus, totidem hastatis & velitibus; fient quadringtoni viginti, ad numerum decima pars legionis. Cohortis quidem vocabulum, ante mutantam à Mario Militiam, apud Romanos in usu fuisse, post Polybium, qui co aliquoties utitur, multis probare, id sit hominis intemperanter otio abutentis; aut ceras inanibus testimoniis argumentisque replere gaudentis. Videamus an idem olim significarit atque Manipulus. Id quidem negat Romanorum Doctissimus. Cohors, inquit, quod ut in villa ex pluribus teclis conjungitur, ac quiddam fit unum; sic hæc ex manipulis copulatur cohortes, quæ in villa dicta, quod circa eum locum pecus coerceretur. Tametsi cohortem in villa Hypsicrates dicit esse Graece χρήστον apud Poetas dictam.

Non

Non jam quæram, quæ vera sit origo vocabuli, ne quis per hanc rimam elabatur. Illud satis sit, cohortem atque manipulum apud veteres Romanos fuisse diversa: Stulte enim diceret, inde dictam quod ut cohors in villa ex pluribus tectis, sic ~~ex pluibus manipulis~~ copuletur: si id à Mario demum, non ita diu ante Varronem institutum; olim autem Cohors manipuli unius vocabulum fuisse. Aberret licet non raro in originibus vocabulorum; at tanta rerum & historiæ Romanæ ignorantia non cedit in Tantum virum. Quid? nonne passim Livius & Salustius, & alii, quum de prisca Republica loquuntur, cohortium meminere? nonnè interdum palam distinguunt à manipulis? Piget tam frequentia & obvia loca compilare: tamen quia res mota est, & in dubium vocata, devorandum hoc etiam laboris. Livius XXVII. *Consul, ingenio hostis usus, quo minus in tam apertis collibus timeri poterant, quinque cohortes, additis quinque manipulis, nocte jugum superare, & aversis valibus considere jubet.* Eodem: *Duo simul praesidia, Placentinæ cohortis, & manipulorum secundæ legionis aggreduntur.* Idem: *Cohortibus, quæ signa amiserant, dare hordeum jussit, centurionesque manipulorum quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos defituit.* Quibus tamen in locis, Cohortes, de Sociis auxiliariis; manipuli, de legionariis accipi videntur debere. Et sane non absque specie addubitat Savilius, an pars legionis fuerint Cohortes? Nam Livius, cum de legionarium militum manu aliqua loquitur, manipulorum plerumque meminit: cum verò de auxiliis cohortium, ut cohortium *Latinarum, Hernicarum, Pelingnarum, extraordiniarum;* quas vix est ut manipulos appellat. Unde & Centuriones, quos ad Syphacem misserat Africanus, qui militiam ejus proximè morem Romanorum ordinarent, equites in turmas, pedites in cohortes distribuere docuerunt. Lib. XXX. *Equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam ab Romanis Centurionibus didicerat, distribuit.* Meminit tamen aliquando & Cohortium legionariarum. Lib. XLV. *Equites turmatim, & cohortes peditum suis quæque ordinibus: IIII. Omnis juvenis affuit postero die: Cobortes sibi quæque centuriones legerunt: binii senatores singulis cohortibus praepositi.* Dubites quid velit? cohortes veras intelligat; an manipulos? nam neque ex more Romano fuit, binos singulis cohortibus præfici; neque Senatores in Centuriones legi: & dicere possit, videri aliorum electionem militi permissem; alios tamen præpositos integræ cohorti: rursus, cum ait cohortes centuriones legisse, manipulos intelligere videtur: confundunt enim pleraque; ut saepius jam diximus ista. Ita ordo in Re Militari, modo jugum, modo versum, modo manipulum, modo centuriam; inter-

dum aciem; interdum strigam significat, ita spira apud Græcos, veteri etiam Republica, non tantum Nova, nunc manipulum, nunc cohortem. Dionysius spiras sexagenarias, quingenarias, & octogenarias habet. Polybius hoc vocabulo ut plurimum manipulum denotat; alicubi tamen & velitibus spiras dat; qui neque cohortes habuere, neque manipulos: τὰ διασημάτα τῆς πεντάτων σημειῶν ἀνεπλήρωτος Τοῦτος τὸ χρονομάχων σπείρεται. Ita Latini interdum ipsos etiam manipulos cohortes dicunt; interdum quamlibet manum manipulo grandiorem. Tales cohortes delectæ, ex quibus Cohortium Prætoriarum origo. Talis cohors *parmata* apud Livium, equitum, qui ad pedes descenderant. *Nisi hæc*, inquit, *parmata cohors* sifat impetum hostium, actum de Imperio est. Ita enim legendum, probant illa paulo post sequentia: *Ut parmatis novæ cohorti hostium locus detur.* *Parmata* autem, ut cohors *cetrata*, *togata*, *scutata*. Aliquando quælibet sine discrimine manus: Alibi tamen intelligi cohortes legionarias, minime dubium est. Livius XXX. De Catone: *Denuntiari militum tertiae parti ex omnibus cohortibus jubet, ut cibum, quem in naves imponant, mature coquant.* Idem: *Non continuas instruxit cohortes, sed manipulis inter se distantibus spaciū dedit.* XXXIV. Tandem signa legionum supervenerunt; & quum primi agminis cohortes duæ in prælium essent. Ubi nihil verear proprie accipere: quia alterum agminis genus per cohortes ordinabatur: Salustius: *Metellus ubi videt Numidas minus instare, paulatim milites in unum conductit, ordines restituit, & cohortes legionarias quatuor adversum pedites hostium locat.* Ac non idem in legione esse cohortem, & manipulum, Varro in iis, quæ supra citavimus, palam docet: de legione enim & partibus legionis loquitur; legioni cohortes, cohortibus manipulos subjicit. Polybius etiam in undecimo pamphletum de legione: οὐ τοῖς σπείρεται τὸ καλέστη τὸ σύνταγμα τῆς πόλεως, ὡς Παρμάταις καθόντες) Cincio Vero Alimento, Scriptori antiquo, apud Gellium, quid est quod reponant? Nam in legione decem esse cohortes, manipulos triginta, diserte dixit. Cohortem autem legionariam, ut recte dixit Lipsius, ex manipulo hastatorum, nec non principum & triariorum, cum velitibus cuiusque generis fuisse compositam; tum ex eo liquet, quod aliter legio in decem partes commode tribui non queat; tum ex Militia Cæsariana, in qua quæque cohors tres manipulos, vel sex centurias, duas hastatorum, duas principum, totidem habuit triariorum. Cæsar: *Aquila conservatur, omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis, præter principem priorem.* Cicero: *At ille cohortem primam totam perdidit, centurionemque primipili nobilem sui generis Asinium Dentonem,*

C

& reliquos ejusdem cohortis. Adde quod hæc ipsa ratio hujus divisionis pulchra est. Cohors enim hæc, decima legionis pars, toties centum homines habet, quoties legio mille: Cohors legionis quaternum millium quadringentos, quinum millium quingentos, senum millium sexcentos: Deinde cum pars aliqua legionis ad præsidia agitanda, aut parvas expeditiones mittitur, ex omni militum genere aliquos demi, ex iis unum corpus effici posse, aptissimum est; quod fit tota cohorte missa. Adde quod residui in legione milites, tum commodius longe ordinari possunt: exempli gratia, si quadringentos hastatos, nullos verò nec principes, nec triarios, vel quadringentos principes, absque hastatis & triariis, de legione detraxeris, tota ratio aciei turbabitur. Subsidia non erunt paria primæ aciei, nec prima acies subsidiis, detractis hastatis solis, non erunt, qui ante principes ejusdem ordinis collocentur; detractis vero principibus, vel triariis, hastati subsidio suo destituentur. At si ejusdem ordinis principes, hastatos, & triarios, hoc est justam cohortem demferis, acies quidem ab illa parte, qua collocatur legio, ista ratione imminuta, brevior paulo erit; sed ratio & modus instruendi, idem manebit. Præterea, sicut in singulis manipulis est quidam nexus, non tantum eorum, qui eodem versu, sed etiam qui eodem jugo collocantur: ita in acie vinculum quoddam non solum inter milites ejusdem generis, ejusdemque aciei, inter hastatos, & hastatos principes, & principes triarios, & triarios esse oportuit: verum etiam inter eos, qui sibi subsidio ponebantur inter primum manipulum hastatorum, & primum principum, & primum triariorum: item inter secundos, tertios, & inter diversa genera, qua ratione efficiebatur, ut legio ab omni parte, & undique pulchrè composita esset & ordinata.

## EXPLICATIO

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

## FORMARUM.

**P**RINCIPIA harum Formarum ad numerum pedemque illa eadem est, quam exhibet Lipsius in libro de Militia, quam hic adjunxi; tum ut discrimen quod est inter nostram & illam, tum ut eodem actu, quatuor legionum metatio ostenderetur: demto enim vallo portaque prætoriis, hæc quam illi pro castris consularibus nobis dederunt, pars dimidia duplichum castrorum erunt, in quibus quatuor legiones tendunt.

Duarum verò legionum, sive *consularis exercitus vera castra* sunt, quæ formâ secundâ dedimus: quæ tamen à prioribus sola Prætorii & Quæstoriî positione abeunt: Nam cum illic ea parte castrorum sint sita, quæ hic est prætentura: hic inter duas legiones media ponuntur. Cætera ad priorem formam. Quæ cum à Lipsio aliisque explicatæ affatim, hic repetere, supervacaneum ducimus.

At formam Castrorum *Hyginianorum trium*, videlicet, *legionum cum supplementis*, quæ à nemine ante me fuit descripta, hic describere operæ precium est. Atque hæc ita se habet.

*Gromam* posui in medio viæ principalis, quod ista ratione stellæ, sive concurrentes lineæ quatuor portas medias contingant.

*Laterum prætorii* unum tantum explevimus intra viam sagularem: cui dedimus longitudinem pedum septingentorum viginti: latitudinem pedum sexcentorum, ut computat Hyginus, demis nimirum triginta pedibus, qui respondent dimidiæ parti viæ Prætoriæ: cum his sint sexcenti triginta pedes: eadem est latitudo omnium partium intra viam sagularem.

*Prætorio dimidio* dedimus pedes nonaginta.

*Stationi* proxime hoc pedes 10.

*Comitibus Imperatoris* pedes sexaginta.

Reliquo numero pedes quadringentos viginti; ut supra computavimus: ordinem tamen, quibus ista disposita, quia Hyginus diserte non descripsit, nos nemini præscribemus. Ratio, quam nos fecuti sumus, licet est;


ut

# FORMA CASTORVM EXERCITVS

CONSVLARIS

"X"

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)



[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)


Back of  
Foldout  
Not Imaged

# TABVLA ET FORMA CASTRORVM.

2017

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

a X



- A. Praetorium.
- B. Quaesitorium.
- C. Legati duo.
- D. Tribuni.
- E. Praefecti socium.
- F. Euocati equites.
- G. Ablecti equites.
- H. Euocati pedites.
- I. Ablecti pedites.

- K. Extraordinary equites.
- L. Extraordinary pedites.
- M. Principia.
- N. Equites Romani.
- O. Triary legg.
- P. Principes legg.
- Q. Hasta legg.
- R. Equites socij.
- S. Pedites socij.

- T. Quintana.
- V. Spatium ad vallum.
- Xa. Porta Praet.
- Xb. Porta Decum.
- Xc. Porta Princip. dextra.
- Xd. Porta Princip. sinistra.


n° 2 f. 318

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

Back of  
Foldout  
Not Imaged

CASTRA TRIUM LEGIONUM CUM SUPPLEMENTIS.

www.libtool.com.cn



Prætentura

Prætorii latera

Retentura .

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

Back of  
Foldout  
Not Imaged

ut more Polybiano interius equites, exterius pedites collocemus: Quamvis Hyginus, in Descriptione generali Castrorum, proxime comites, non equites prætorianos, sed cohortes prætorias ponat; propiores quidem prætorio cohortes, equitique prætorianos, proxime verò viam sagulariam cohortes primas; & his alas quingenarias apponi debere non dubito. Rationem vero tensionis quod attinet, cohortes prætorias & alas quingenarias, & reliquum numerum hic integris strigis tendere jussit Hyginus. Cohors quoque prima eandem pedaturam commode accipere potest, vexillarii semistrigium; nisi quis rectius putet dividi in tria hemistrigia cohortem primam, & supra hanc iisdem strigis collocari vexillarios; utrumque enim fieri potest: & dixit alibi Hyginus, vexillarios tendere supra cohortem primam, & in striga cohortis primæ.

*Vias vicinales* duas hic posui percurrentes, & retenturam: singulas pedum quinque & viginti: quinquaginta enim pedes viis dat Hyginus in universum; nec quot sint numero definit. Unde suspicere, inter singula genera vias esse interjiciendas, ut diximus supra: quod cum facile sit unicuique, hanc rationem, quæ Polybianæ propior videtur, proponere volui: nemini tamen pro verâ obrudere.

*Via principalis* est pedum sexaginta, ad hanc ante prætorium parte altera tribunal, altera aræ, & auguratorium.

*Prætentura* intra viam sagulariem, eandem quam latera Prætorii longitudinem habet, & latitudinem.

*Scannum legatorum* sexaginta pedum est; totidem pedum, scannum legatorum.

*Alæ milliarie.* His dedimus ex præscripto Hygini singulis pedes centum quinquaginta.

*Nationibus* dedi primùm strigam integrum, deinde partem alteram strigæ; in qua valetudinarium, veterinarium, & fabrica.

*Cohorti primæ* cum vexillariis & exploratoribus adsignavi duas strigas, id est centum viginti pedes: quibus parte altera tres cohortes legionarias, secundam, scilicet, tertiam, & quartam oppofui. Ac hæc est Prætenturæ intra viam sagulariem numerus: adde his unam viam vicinalem pedum viginti & quatuor; alias pedum demum erunt ad numerum pedes septingenti viginti.

*Via Quintana* est pedum triginta.

*Retentura*, in pari latitudine cum cæteris partibus, habet quadringentos octoginta pedes longitudinis. Septendecim hemistrigiis collocatur numerus retenturæ. Sed an in hac ratione tensionis nationes supra co-

hortes iisdem hemistrigiis; an in medio eorum suis hemistrigiis tendant: Viarum præterea numerum, incertum relinquimus: nec putet quisquam pro vero nos afferre, quod in forma hic pingi curavimus: nam utrumque omisit Hyginus.

Has tres partes circuit *via sagularis* latitudine pedum triginta: nam quamvis de fronte & tergo minus diserte id dicat Hyginus; tamen quum harum copiarum tensio seorsim tradatur, &, ratione strigaram, diversa sit, omnino mihi persuadeo viam hanc ambire interiora Castra.

Ultra hanc cohortes legionariæ, quarum pedaturam, ex sententia Hygini, uti arbitror, dedimus, nisi quod de ordine cohortium, cum Hyginus nos destituat, non contendam. Nam primæ in prætenturâ opposui secundam, tertiam & quartam; ita quintam, deinde proxime primam ad vallum intranti portæ prætoriæ parte lœva, deinde sextam parte dextra, rursus septimam lœvâ, deinde octavam dextrâ, denique eâdem ratione nonam & decimam lateribus. Atque ita absolvi pedaturam legionis, quæ in Prætentura tendit.

Duarum reliquarum cohortes secundas adposui primæ, tertias his opposui ab alterius viæ principalis parte: quartas adposui secundis: quintas iterum ab altera parte viæ junxi tertiis, deinde sextas, proxime quartam; & postea ultra quintanam septimas, octavas, nonas, decimas ordine, usque ad portam Decumanam.

Causa hæc est: quod Hyginus in Prætentura cohortes cohortibus jubar opposere, ut combinatæ possint educi. Nos tamen de hoc ordine non pugnamus, si quis eum paulum velit immutatum. Ex Hygino quidem constat, quatuor cohortes in fronte, & totidem tergo tendere; quarum singulæ accipiunt pedes sexaginta per trecentos sexaginta. Octo verò singulis lateribus pedatura pedum nonaginta per ducentos viginti. De qua pedatura, cum & latitudini & longitudini partium ad pedem conveniat, & divisioni Castrorum respondeat, dubitare non licet. Intervallo Hyginus dat pedes sexaginta. Igitur latitudo univerorum Castrorum erunt pedes mille sexcenti viginti: longitudo, duo millia trecenti decem.

# A D D E N D A.

www.libtool.com.cn

**P**ag. 6. l. 1. *percurrant.*) Alioquin in veteri novaque Castrorum metatione, non pauca observes ad Agricolarum & Agrimenorum leges componi: quorum neutrum mirum: veteres Romani, atque adeo ipsi Imperatores, agricolæ erant: *Qui*, ut ait Plinius, *eddem curâ semina traçabant, quâ bella, eâdemque diligentia arva disponebant, quâ castra.* Novorum verò castrorum metatores, professione, Agrimensores erant.

Ead. p. l. 19. *imperium fecit.*) Varro & Nonius ex Paccuvio, *chlamide clupeat brachium.*

*Pag. 7. l. 9. natus equis.)* Ponimus autem in his æstivis sub dio, equos; quia Hyginus spacium hoc, quod adsignat jumentis, distinguit à papilio; nec usquam legi sub tabernaculo, sed aliquoties strato dorso stetisse. Nec res ipsa est probabilis; cum tantum impedimentorum & tanta tentoria, quæ cum milite equos capiant, nimium oneratura sint exercitum.

Pag. 8, l. 19. iam Livio dicuntur equi.) & ante hunc Sabino Massurio apud Gellium.

*Pag. 11. l. 18. adjectimus forma.)* Erunt fortassis etiam, quibus verius videatur, ante tabernacula poni arma: Nec pugno, si quis olim ita fuisse contendat. Dionysius Halicarnassaeus Libro V. meminit τὸν κατηπεπηγμένων ἀρχὴν ταῖς οὐκαντίσιμαις ψηφίαις. Sed cum Hyginus primò papilionum, deinde armorum, tertio jumentorum mentionem faciat, ab ejus ordine recedere non sum ausus.

*Pag. 13. l. 13. Christiana militia.) Tertullianus de Oratione: Nam & Militia Dei sumus.*

*Pag. 15. l. 4. vel vexillum unum.)* quingenti homines: erunt in unum  
quinque millia septingenti octoginta.

*Pag. 19. l. 13. initiemur.)* Nam in angulis rectis quadratis æquilateris, vel altera parte longioribus, numerus latitudinis per longitudinem multiplicatus, ut notum est, efficit totius areæ pedaturam.

Pág. 21. l. 14. *descripta suis quæque partibus.*) Leoni μέρη, sunt tria hominum millia; quam multitudinem ille turmam appellat. Μοῖρα, cuneus, vel ala milliaria: At Polybius manipulos legionarios, ut partes in quas legio dividebatur, μέρες appellat. Ἐξης δὲ τριτη μετὰ τῆς ταξια-

χῶν διεῖλον τὰς ἡλικίας ἐνάσην εἰς δέκα μέρη. & statim: οὐ πό μὴ μεցετάσον ἐνάλεον, οὐ τάγμα, οὐ σπεῖρχεν οὐ σεμιδιαν. Ita & Latini. Varro, Manipulum, ait, *minimas esse partes, quae sequuntur unum signum.* Livius IX. Romana acies distinctior, pluribus partibus constans: & XXXVII. fronte in decem partes divisa. Cæsar bello Gallico II. Quam quisque in partem ab opere devenit, queque prima signa conspexit. De bello civili III. Numero multis partibus fuisse inferiorem. Quæ etsi ex vulgari consuetudine sermonis Latini videntur dicta, ab Militari tamen hac divisione ortum trahunt; fortassis cum *partes militare sit vocabulum.*

Pag. 28.l. 10. *ratio & situs.*) Hæc tamen origo mihi non admodum placet, ut verum fatear: itaque initio volebam viam *angularem* vel *angulariam*, ut semel habet liber, obviâ nominis origine; quod nimirum ciremeundo supplementa quatuor angulos efficiat, & ad castrorum angularium pæne concurrat: Sed cum toties dicatur sagularis, tenuit me reverentia veteris scripturæ.

Pag. 33.l. 1. *prælio firmabat.*) De Alexandro Lampridius: *Aegrotantes ipse visitavit per tentoria milites, etiam ultimos, & carpentis vexit, & omnibus necessariis adjuvit: & si forte gravius laborasset, per civitates & agros patribus familias, hominibus, & sanctioribus matronis, eos distribuebat, reddens impendia quæ fecissent, sive convalescent illi, seu perissent. Ubi omnino arbitror reponendum esse: Patribus familias humanioribus, vel honestioribus: cum Salmasio; pro hominibus, quos hic inepte intruserunt. Est hoc hujus vocabuli fatum; aliquoties in membranis, ut in alienum locum irrepserit; alibi vero sit corruptum. Ne hic item loca ab aliis observata; Suetonius Cajo: Monenti aviae Antonie, & tanquam parum esset non obedire, memento, ait, omnia mibi, homini licere. Aliæ editiones, in omnes: manu exarati codices quidam; & hominis: lego; Omnia mibi in homines licere. Dixit enim idem, se in hominum bona omne jus habere. Et sic credibile est locutum Latiale illum Jovem, illum, qui se inter Castorem & Pollucem præbebat adorandum, illum, qui cum Luna concubere, & cum Jove secreto jaetabat fabulari. Nam & sic Poëtae & Oratores solent adulandi Principibus, ut eos hominibus opponant:*

*Jam pridem nobis Cœli te Regia, Cæsar,*

*Invidet, ac hominum queritur curare Triumphos.*

Latinus Pacatius: *Gaudent profecto divina perpetuo motu, & jugi agitatione vegetant Aeternitatis; & quicquid homines vocamus, laiorem, vestra natura est.* Papinianus 1. Thebaïd.

Ma-

— *Maneas hominum contentus habenis,  
Undarum Terræque potens, & sidera dones.*

Ubi male Luctatius interpretatur istud; sidera dones, Concedas Numinibus, vel suis locis esse [www.yejitosdehistoria.com.es](http://www.yejitosdehistoria.com.es). Sensu enim est: maneas contentus Imperio hominum, Terræ & pelagi: Cælo autem alios dones, alios deos facias: respicit enim ad morem illius ætatis, quo Cæsares in deos referebant fato funestos decessores suos. Auctor Octaviæ: stulte werebor ipse, cum faciam Deos. Plinus Panegyrico: Tu sideribus patrem intulisti, quia Deum credis. Vellejus de Tiberio: Sacravit parentem suum Cæsar, non imperio, sed religione; non appellavit eum, sed fecit Deum.

Pag. 35. l. 36. insererentur.) Cæsar de bello Gallico V I. Complures erant in castris ex legionibus ægri relieti; ex quibus qui hoc spacio dierum convalescuerant, circiter trecenti sub vexillo una mittuntur.

Pag. 37. l. 2. frumentum commeatusque.) In libris sacrorum; Ἀπορεθὲς ἐπὶ πέτρᾳ καὶ οἱ αἰπόσολοι. Act. V. solet etiam aliquando inverti hoc genus eodem sensu; ut levis armatura, & velites. Apud D. Marcum Angelus: Εἴπερ τοῖς μαχηταῖς ἀντεῖ, καὶ τῷ πέτρᾳ. Est enim & hoc χῆμα non infrequens, ζυνταχλέγειν τὸ μέρος τῷ ὅλῳ, ut dixit Strabo.

P. 46. p. 32. omisi sint.) Quod genus in Codicibus Imperatorum, & ejus ætatis Scriptoribus, Castrrenses ministri, & Castrrensiæ dicuntur. Hinc titulus in Codicibus: *de Castrrensiæ*, & *Ministerianis*. l. 7. Cod. Theod. de privilegiis eorum qui in sac. Pal. mil. Quique in scriniis militant, quique inter agentes in rebus plenum vigiliarum munus exercent, admissionales etiam, & qui sub Castrrensi officio, quique Comitatensibus & privatis largitionibus obsecundant. Alibi ministeriales appellantur, & aulicum ministerium.

Pag. 55. l. 3. *Sella sedisse.*) In Judicio adfidentes Legatos Tribunosque describit in Milite Mariano Quintilianus: Nec pudet accusatorem apud C. Marium adfidentibus legatis, præfetiisque, & iſis illi prodigio dissimilis Tribunis, toto armatorum judicio, objicere militi, quod vir sit.

Ead. l. 46. *Ante principia Castrorum.*) Quibus tamen in locis distingui videntur à via Principali principia; & proprie sumi pro ipso illo loco, in quo residunt Princes, ante quem habebantur judicia. Quare tutius hic legeris ad viam principalem: nisi si verius sit quod longius à scriptura abit; partem media viam principalis. Nam Roma media via principali ponit videtur debere, ut mediæ Castrorum portæ in conspectu rigoris efficiant stellam: si in ipso introitu ad viam principalem posueris, mediis quidem portis prætoriæ, & Decumanæ responderet, at non principalibus.

Pag. 57. l. 22. *legiones tres vexillarii.*) Prædictum, & supra dictum: Medio ævo frequentia sunt; artium scriptoribus, & formulariis fortassis etiam, antea in usu fuerunt: at apud politiores scriptores vix est ut invenias ~~whoc~~ ~~lisenſu~~. c Nam quoties priora in memoriam revocare volunt, solent dicere; *de quibus ante diēlum*, aut simili modo. Apud Livium quidem: *Præmonitis militibus adesse certamen quadrato agmine, ad prædictas hostium latebras succedunt*: Sed ibi *prædictæ latebræ*, non intelligendæ latebræ, de quibus antea sumus locuti: sed quæ ipsi *prædictæ* fuerant; de quibus antea fuerat monitus.

Pag. 61. l. 15. in orbe.) Cæsar de Bello Civili 1. *Circumfundit noctu equitatum Cæsaris, atque omnia loca atque itinera obſideri.*

Pag. 66. l. 23. *suo referam loco.*) Nam mutatio numeri in istis, tum aliis, tum Hygino frequens est. Si quis tamen retinere malit quod est in libro, per me licet: & fortassis fuerat; *ut suo queque referam loco.*

Pag. 67. l. 6. *Romani aut equeſtres.*) Intellige Equites Romanos, veterem illum legionis Romanum equitatum, tunc non fuisse. Ita & illa inferius: *non quidem legionarius, aut Romanus, sed honestissimus provincialium*; ne quis secus ea accipiat.

Pag. 69. l. 13. *neutrūm eā ētate obſervatum.*) Hinc Cæsar opponit legionibus equites, de bello Gallico V. Cæsar *legiones equitatumque revo- cari, atque itinere deſſtere jubet.* Eodem: *Ut hoſtes impetum legionum, atque equitum ſuſſinere non poſſent.* Ibidem: *Præmiffo equitatu, confeſſim legiones ſubſequi jufſit.*

Pag. 70. l. 4. *militias recenſeat.*) Apud Cæſarem Trebonius, Eques Romanus, Equitum Præfectus. Trebatio, Ciceronis amico, Cæsar Tribunatum dedit. Plinium majorem Præfectum alæ militasse, testatur minor Plinius, lib. V. Epistolâ 3.

Pag. 72. l. 12. *vexillariis legionis.*) Hac tamen ratione dari videntur cohorti primæ quatuor turmæ, id est quinque turmarum numerus; quia prima duplum numerum habet.

